COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM.

XLII.

PATRES QUARTI ECCLESIÆ SÆCULI.

S. BASILIUS.

I.

PROSTAT INSUPER VENALE

LUGDUNI,
APUD **RUSAND**, BIBLIOPOLAM;

MONTIS PESSULANI,
APUD **VIRENQUE**, BIBLIOPOLAM;

PARISIIS,
APUD { **GAUME** FRATRES, BIBLIOPOLAS;
ANT. **POILLEUX**, BIBLIOPOLAM;

ROMÆ,
APUD **MERLE**, BIBLIOPOLAM;

PERPINIANI,
APUD **ALZINE**, BIBLIOPOLAM.

TRECIS, E TYPIS CARDON,
VIA VULGO DICTA MOYENNE, N° 2.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM,

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

PRESBYTERO,

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE, AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICE :

BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DES PÈRES DE L'ÉGLISE.

OPUS REGI DICATUM.

TOMUS QUADRAGESIMUS SECUNDUS.



PARISIIS,

APUD MÉQUIGNON-HAVARD, EDITOREM,

VIA VULGO DICTA JACOB, Nº 26.



M.DCCC.XXXIII.

SANCTI PATRIS NOSTRI

BASILII

CÆSAREÆ CAPPADOCIÆ

ARCHIEPISCOPI.



HOMILIÆ NOVEM IN HEXAEMERON.

HOMILIÆ IN PSALMOS.

COMMENTARIA IN ESAIAM PROPHETAM.

SANCTUS BASILIUS.

(ANNO 379.)

GRÆCUS.

SANCTUS BASILIUS, à Theodoreto primum, et deinde ab omnibus Ecclesiæ sæculis *Magni* cognomento insignitus, *Neocæsareæ*, quæ antea *Mazaca*, in Pontica Cappadociæ regione, vertente anno 329, clarissimis sanctissimisque natalibus ortus est; cujus ea fuit gloria, ut inter consanguineos, non commendabiles tantum juxta mundanam sapientiam viros, sed et juxta Evangelicas leges perfectissima Christianarum virtutum exemplaria numeraret.

Avia enim, Macrina illa vetus, cujus memoria inter Sanctos 14 januarii die recolitur; pater Basilius major, cui eosdem honores tribuit Ecclesia 30 maii; mater, Emmelia, cujus memoria eodem cum marito die celebratur; soror autem, Sancta Macrina junior, et fratres, S. Gregorius Nyssenus, natu major, Naucratius monachus, beatusque Petrus episcopus Sebastenus, præter quatuor alias, ut videtur, puellas, quæ inter mundi pericula degentes pietatis nihilominus laude inclaruerunt, ita ut beati illi parentes cum novem a se progenitis, non cœlestem tantummodo gloriam, sed terrenos

etiam sanctitatis honores invadere prævaluerint.

Apud aviam Macrinam aliquandiu enutritus, ita optimæ fœminæ sermonibus imbutus est, ut nunquam extirpanda veræ pietatis semina intrinsecus susciperet; cui etiam accesserunt primæ liberalium disciplinarum ab ipso patre, eloquentiæ gloria notissimo, collatæ notiones. Quo defuncto, Cæsareæ primum, ubi tunc vigebant scientiæ, Antiochiæ post ea et Constantinopoli, ubi magistro usus est celeberrimo rhetore Libanio, qui juniorem discipulum in publico dicentem nunquam sine admiratione auscultabatur; Athenis denique, quo omnes doctrinæ cupidi undique confluebant, ita, disserentibus Himerio Proæresioque bonarum litterarum studio profecit, ut pietas laboris assiduitate minime læderetur.

Hic præcipue crevit, incœpta primum Cæsareæ, cum Gregorio Nazianzeno familiaritas, qua copulati, innexi, et velut *conglutinati, par quoddam non obscurum et incelebre non solum apud socios, sed etiam apud universam Græciam et erant et dicebantur.* (S. Gregor. Nazianz. Orat. XLIII. n° XXII.) Nulla cum improbis, et procacibus, et impudicis, et religioni insultantibus societas; nulla nisi cum bonis, et verecundis, et virtutis amantibus colloquendi consuetudo : « Duas tantum vias notas habebant, » *unam* ad sacras ædes, *alteram* vero ad externos » professores; cæteras autem omnes quæ ad festa, » spectacula, celebres conventus, epulas ducebant » æquo ac libenti animo aliis relinquentes. » (*Ibid.* n° XXI.) Omne vel pietati, vel studio tempus im-

pensum : modo legere quæ probatissimi scriptores omnibus absoluta numeris conscripserant; modo perlecta iterum atque iterum meditari; modo meditata fidelibus chartis committere; modo commissa chartis sæpius stylo verso retractare; modo retractata inter se communicare denuo retractanda; nec etiam prætermittere exteriorem dicendi formam, corporis statum, vultus compositionem, oculorum nutus, vocis inflexiones, brachiorum manuumque elegantiores motus; laborem ubique adhibere, laborem ubique dissimulare. Sic natura et industria magni fiunt oratores.

Talis ergo evasit Basilius, ut ipsismet Athenis velut oraculum haberetur, discipulique simul et magistri, quasi conjuratione facta, ne discederet, omnibus nervis contenderent. Sed neque mirantium preces, neque amici ipsius Gregorii, quem Athenis relinquere coactus est, dura separatio obsistere potuerunt, quominus Cæsaream anno 355 repeteret, ubi rhetoricam docere, causasque forenses agere instituit, eorum more, qui perfectioris eloquentiæ clariorisque nominis gloriam ambiebant. Damnosæ optimis etiam viris laudes; vanæ gloriæ stimulos ipse persensit Basilius, tanta licet imbutus philosophia, tanta licet religione supra terrena exaltatus. Quo perterritus animæ periculo, hortantibus præsertim sorore Macrina Gregorioque Nazianzeno, maximam divitiarum partem pauperibus erogavit, vitamque monasticam aggressus est; cujus ut tremenda magis pernosceret officia, Syriam, Mesopotamiam, et Ægyptum peragravit,

ut sanctorum Eremi incolarum exempla et videret, et miraretur, et imitari addisceret.

Anno 357 à Dianæo episcopo Cæsariensi baptizatus et sequenti anno lector ordinatus, sed ab ejusdem brevi, utpote Arianis nimium faventis, communione sejunctus, *in Pontum profugus*, atque *cum Elia et Joanne solitudinem amplexus, pietatis Gymnasia*, conditis pluribus mulierum virorumque monasteriis, *sapienter moderatus est;* (Idem, ibid., n° XXIX.) ita orationi deditus, ut semper et ubique Deum præsentem attenderet; ita pauperum amans, ut, quæ adhuc supererant bona temporalia, intercedente an. 359 fame, egentibus ad assem divideret; ita pœnitentiæ addictus, ut pane et aqua semel in die contentus, vix aliquas festis diebus herbas adhibere sustineret, corpusque humi recumbens, imposito etiam domaret cilicio; ita animarum salutis desiderio inflammatus, ut cum rudibus agricolis prima fidei principia balbutire tantus doctor oratorque tantus non dedignaretur. Hæc ipse testatur Gregorius Nazianzenus, qui Basilii solitudinis felicitatisque aliquandiu particeps factus, parvam illam quam simul incoluerant ædem, necnon et parvum quem manibus exercuerant hortum animo votisque, episcopus licet, indesinenter repetebat.

Cæsaream an. 362 reversus, defuncto in fide catholica Dianæo, præsbyter ab Eusebio ejus successore reluctans consecratus est, ejusdemque invidia non ita multo post ab Ecclesia Cæsariensi depulsus. Ubi mundi sectatores lugere solent, ibi solent gau-

dere Christi discipuli : recuperata igitur libertate gaudens Basilius, Ponti solitudines anno sequenti repetiit.

Qui facilis invidiæ cesserat, facilis invidiæ condonavit. Exagitata a Valente Ariano Ecclesia, ab Eusebio revocatur; periclitante fide tremefactus, injuriæque immemor statim adest ; vincuntur Ariani; confirmantur in sacra doctrina Ecclesiæ filii; qui libentius peccabant, ad virtutem revocantur; qui tristi inter se dissidebant discordia, pacis fædus ineunt; qui jam consumente fame perimendi languebant, indefessa illius liberalitate recreantur. Hinc Eusebio gratus, hinc acceptus populo; hinc mortuo Eusebio, an. 370 episcopus a populo designatus.

Tunc seipso major, splendidiori lumine perfundi : vespere et mane, ferialibus etiam diebus, sacram evolvebat doctrinam, nec ejus sermones assiduitate vilescebant. Tantus erat audientium numerus, ut illos immenso *mari* ipse conferat; (*Hexaëm. Hom.* II *et* III.) tantus in corde motus, ut lacrymæ, torrentis instar, defluerent; (*Epist.* LXIII.) tanta populi pietas, ut non solum dominica, sed quarta et sexta feria, insuper et sabbato, et in omnibus martyrum natalibus sacrum Domini corpus perciperetur; (*Epist.* CCLXXXIX.) tantus pauperum amor, ut nosocomium ædificare curaret, quod Gregorius Nazianzenus vocare non dubitat *novam quamdam urbem* a conditoris nomine *Basiliaden* nuncupatam, imo et inter ipsa mundi mirabilia numerandam.

Quis autem non audivit imperterritam Basilii

contra Valentem Arianum constantiam? Hinc Modestus præfectus cum imperatoria potestate, cum tremendis lictoribus, cum omnibus omnium suppliciorum minis; illinc Basilius cum episcopali dignitate, cum integritate fidei, cum invicta Christi patientia; stant cominus; jam pugna incipit : « Quæ tua est, inquit præfectus, ratio, heus tu! » nomine illum compellans, (nondum enim eum » episcopum vocare dignabatur,) ut tanto imperatori obsistere audeas, solusque omnium contumaciter te geras? — Quorsum, respondit Basilius, » hæc oratio spectat, et quænam hæc contumacia » et arrogantia? Nondum enim id satis intelligo. » — Quoniam, inquit ille, imperatoris religionem » minime colis, omnibus aliis jam inclinatis ac superatis. — Non enim, inquit Basilius, hæc vult » imperator meus; nec rem ullam creatam adorare » sustineo, cum et ipse a Deo creatus sim, et Deus » esse jubear. — Nos vero, inquit ille, quid tandem » tibi videmur? nihil-ne sumus qui hæc jubemus? » quid igitur? Non magnum et honorificum existimas ad nostras partes adjungi, sociosque nos habere? — Ad hæc Basilius : vos quidem præfecti estis, » et quidem illustres, non inficias eo; minime tamen Deo præstantiores. Socios autem vos habere » mihi quidem amplum et honorificum fuerit, » (quidni enim? ipsi quidem Dei creaturæ estis,) » sed ut alios quosdam ex his qui nobis subjecti » sunt. Non enim personarum dignitate, sed fide » Christianismus insignitur. — Hac oratione commotus præfectus, ac majori ira succensus, de sub-

» sellio surrexit, atque asperioribus verbis cum eo » agere perrexit. Quid? potestatem hanc non pertimescis? — Cur vero pertimescerem, inquit Basilius? quid fiet? quid patiar? — Quid patieris, inquit » ille? unum e tam multis, quæ meæ sunt potestatis. — Quænam hæc, subjunxit Basilius? Fac » enim intelligamus. — Bonorum, inquit ille, proscriptionem, exilium, cruciatus, mortem. — Tum » Basilius : si quid aliud habes, id nobis minitare. » Horum enim quæ adhuc commemorasti, nihil » nos attingit. — Quonam modo, inquit ille? — Quoniam, inquit Basilius, bonorum proscriptioni » obnoxius non est, qui nihil habet; nisi forte » laceris et detritis hisce pannis indiges ac paucis » libellis, in quibus omnes mihi facultates et » copiæ sunt. Exilium autem non cognosco, qui » nullo loco circumscriptus sum; ac neque terram hanc quam nunc incolo meam habeo, et » eam omnem, in quam projectus fuero, pro mea » duco; imo, ut rectius loquar, universam terram » Dei esse scio, cujus advena ego sum et peregrinus. Jam tormenta quid accipere queant, cum » corpus desit, nisi forte primam plagam dixeris? » Hujus enim solius penes te arbitrium et potestas » est. Mors porro beneficii mihi loco erit; citius » enim me ad Deum transmittet, cui vivo et servio, » maximaque ex parte mortem obii, et ad quem » jampridem propero. — Quo sermone obstupefactus præfectus : Nemo, inquit, me (nomenque » suum adjunxit) ad hunc usque diem, ita, nec pari » verborum libertate est allocutus. — Neque enim,

» ait Basilius, fortasse in episcopum incidisti. Alioqui hoc prorsus modo disseruisset, pro hujusmodi rebus in certamen veniens. Nam cæteris quidem in rebus, o præfecte, mansueti et placidi sumus, atque omnium abjectissimi, quemadmodum hoc nobis lege præscriptum est; ac non dicam adversus tantum imperatorem, sed ne adversus plebeium quidem quemquam et infimi ordinis hominem supercilium attollimus. Verum ubi Deus nobis periclitatur, ac proponitur, tum demum alia omnia pro nihilo putantes ipsum solum intuemur. Ignis autem, et gladius, et bestiæ, et ungulæ carnem lacerantes, voluptati nobis ac deliciis potius sunt quam terrori. Proinde contumeliis nos affice, comminare; fac igitur quidquid collibuerit; potestate tua fruere; audiat hæc etiam imperator; nequaquam profecto nos vinces, nec efficies ut impiæ doctrinæ assentiamus, ne si his quidem atrociora miniteris .... Ipse autem præfectus, quam celerrime potuit, imperatorem adiens : Imperator inquit, ab hujus Ecclesiæ antistite victi sumus. Minis superior est, sermonibus firmior, verborum blanditiis fortior. Ignaviorum alius quispiam tentandus est: huic autem, aut vis aperte inferenda, aut non expectandum ut minis cedat. » (*S. Gregor. Naz. Orat.* XLIII, *n*° XLVIII—LI.)

« Cum (autem Valens) in templum universa satellitum manu stipatus ingressus fuisset, (erat autem Epiphaniæ dies, cœtusque amplissimus) ac inter laicos locum habuisset,.... postquam

» intus fuit, atque ipsius aures Psalmorum cantu,
» non secus ac tonitruo quodam personuerunt,
» plebisque pelagus vidit, omnemque ordinem et
» concinnitatem, quæ tam in sacrario quam prope
» sacrarium erat, angelicam potiusquam huma-
» nam; atque ipsum quidem ante populum recto
» corpore stantem; qualem Scriptura Samuelem
» describit, (1. *Reg.* XIX. 20.) nec corpore, nec
» oculis, nec animo, perinde ac si nihil novi con-
» tigisset, ullam in partem se moventem, sed in
» cippi modum, ut ita dicam, Deo et altari affixum;
» eos autem à quibus cingebatur, cum timore quo-
» dam ac reverentia stantes : hæc inquam, simul
» atque perspexit, (nec enim simile quidquam
» unquam viderat,) humanum quoddam passus
» est, ejusque oculi et anima vertigine ac tenebris
» præ timore replentur. Atque id plerisque adhuc
» obscurum erat et incognitum. Verum cum dona,
» quorum ipsemet opifex erat, divinæ mensæ offe-
» renda essent, nec quispiam, ut mos ferebat, si-
» mul ea caperet, utpote incertum, an ea Basilius
» accepturus esset, tum manifeste se affectus pro-
» didit. Ita enim titubare cœpit, ut nisi quispiam
» ex sacrarii ministris vacillantem supposita manu
» retinuisset, misere utique et luctuose prolapsu-
» rus fuerit. » (*Id. ibid.* n° LII.)

Hinc pax aliqua datur; sed non diuturna. Mox exulare jubetur Basilius; ægrotante vero filio principis, missum retractatur imperium, sanitatique a Basilio puer restituitur, ea conditione quod religioni catholicæ addiceretur : conditio non imple-

tur; moritur infans. Nec ideo conversus ad meliora Valens, Basilium rursus in exilium mittere statuit; sed scribere prohibetur; arundo, qua litteræ tunc exarari solebant, inter manus confringitur; adhibetur altera, tertia adhibetur, et istæ pariter confractæ dissiliunt; adhuc illo instante, brachium et manus insolito motu concutiuntur; quo tandem prodigio territus, lacerata charta, pontificem in pace dimittit; quæ tamen usque ad Valentis mortem anno 378 a Demosthene, Cappadociæ præfecto, non semel turbata est.

Anno denique 379, regnante catholico principe Gratiano, prima januarii die, cum hæc verba protulisset : *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum,* (Luc. XXIII, 46.) inter omnium lacrymas, supremum diem obiit, anno ætatis 51, pontificatus autem incipiente nono.

« Ast urbs et tellus Cappadocum ingemuit,
» Ac simul hanc mundus vocem dedit : Occidit almus
» Præco ille, et vinclum fœderis eximii. »

(*Nazianz. Carm.* LXIX.)

Totus vero, ut ita dicam, vivit adhuc sibi superstes in mirabilibus istis, quæ tanquam pretiosas reliquias ab eo suscepimus, scriptis, quorum hæc sunt præcipua : 1° *Hexaëmeron* Ἑξαήμερον seu explicatio operis sex dierum, quæ 9 homilias complectitur, à Gregoriis Nazianzeno et Nysseno, nec non et Ambrosio maxime commendata; 2° 13 *in psalmos Homiliæ;* 3° *Commentarium in Isaïam Prophe-*

tom, quod illi a Gannerio negatum, merito a D. Ceilliez restituitur; 4° 5 *contra Eunomium libri*; 5° *libri* II. *de Baptismo*, qui licet minus eleganter scripti, Basilio non videntur subtrahendi; 6° *Homiliæ* 24 *de diversis*, *et de festis martyrum*; 7° Sermo de *contubernalibus* posterius inter monumenta Bandiniana editus; 8° *Ascetica*, quœ in explicandis moralibus officiis versantur, valdeque utilia prædicantur à Photio. (*Bibl. cod.* CXCI.) Sub Asceticorum autem nomine vulgoconcluduntur *tres asceticæ orationes*, *libri de judicio Dei et de fide*, *moralia*, *duæ aliæ orationes*, quæ specialem titulum non præferunt, *regulæ majores* 55, *et regulæ minores* 313, *quædam statuta* circa monachorum monialiumque castigationem, *monasticæque* demum *constitutiones*; 9° *Liber de Spiritu sancto* ad Amphilochium, ubi sancti Spiritus divinitatem asserit; 10° Epistolæ 336, quas Photius tanquam perfectissimum exemplar proponit, si quis in hoc scribendi genere præcellere contendit. (*Bib. cod.* CXLIII.)

Liturgia quæ S. Basilio tribuitur, ab ipso confecta minime asseverari potest.

Quantus vero fuerit Basilius optime poteris cognoscere, si attente legeris illud Basilii encomium, quod Desid. Erasmus B. doctoris editioni anni 1532 præfixit : « In Basilio, inquit, nescio quid morosulus etiam lector possit desiderare. Manat e sanctissimo pectore, cunctisque humanis cupiditatibus defœcato, simplex ac naturalis oratio; præstantur omnia quæ potest ars, nec ulla tamen usquam artis significatio. Agnoscas ibi summam

» mundanæ philosophiæ cognitionem, sed nullam
» prorsus ostentationem. Sentias illum callere dis-
» ciplinas liberales, et in his mathematicas omnes;
» sed sic adhiberi, ut nihil aliud quam ancillentur
» pietati. Divinarum Scripturarum testimonia tam
» concinne admiscet orationi perpetuæ, ut gemmas
» purpuræ non assutas, sed ibi natas dicas. Nec in
» uno tantum genere excellit. Tanta erat ingenii
» dexteritas, ut quocumque se intendisset, felicis-
» sime rem gereret, in enarrandis sacrorum volu-
» minum mysteriis, mire διδακτικος, diligens, cautus,
» apertus, minimeque violentus. Ad genus pane-
» gyricum putatur maxime natura fuisse composi-
» tus, in quo sic orationem attemperat ad animos
» auresque multitudinis, ut et imperitis sit pers-
» picuus, et eruditis admirandus. In disputando
» adversus Eunomium, cum admirabilem habeat
» subtilitatem, nusquam tamen ab orationis pers-
» picuitate recedit; atque intra catholici dogmatis
» defensionem sese continens, nusquam evagatur
» in convicia nihil ad causam facientia. Nec sui
» dissimilis est in opere ad Amphilochium de Spi-
» ritu sancto, sed quodcumque tractat argumen-
» tum, nusquam illum destituit perpetua dictionis
» sanitas ac jucunditas, eaque non ascita, sed na-
» tiva. Adest ubique, juxta nomen illius, regia
» quædam majestas cum admirabili quadam hu-
» manitate conjuncta. » (*Desid. Erasm. epist. ad Sadolet. episc. Carpentor.*) Idem sentit D. Rollin, qui S. Basilium inter primos oratores collocandum, unumque e doctissimis eloquentiæ magistris haben-

dum esse declarat. Qua quidem in sententia veterum judicio consenserunt, qui semper et ubique dignas Basilio laudes profuderunt.

« Nullum est, inquit Gregorius Nazianzenus, » disciplinæ genus, in quo versatus non fuerit, » atque ita eximie versatus, quasi in eo solo laborasset.... Quis in rhetorica, illa, inquam, vim » ignis spirante, cum eo comparandus?.... Quis in » grammatica?..... Quis in philosophia, in qua » adeo excelluit, ut iis qui cum eo disputabant facilius esset à Labyrinthis sese extricare, quam » argumentorum ejus laqueos effugere?... Sed quid » hæc, tametsi magna et præclara, si cum morum » illius doctrina dicendique facultate conferantur? » Quis seipsum magis spiritui purgavit, atque ita » se comparavit, ut dignus esset qui oracula divina » explanaret? Quis rursum majore scientiæ luce » collustratus est, atque in profunda spiritus magis » prospexit, ac cum Deo, quæ Dei sunt, exquisivit? » Quis porro sermonem habuit animi sensa melius » exponentem, ita ut neutra parte claudicaret,.... » sed vere integer esset et perfectus?.... Quænam » hodie alia ullius conventus lætitia? Quæ conviviorum voluptas? Quæ fori, quæ ecclesiarum, » quæ principum et privatorum deliciæ? Quæ » monachorum aut eorum qui societate gaudent? » Quæ eorum qui se a negotiis removerunt, vel » eorum qui in rebus gerendis versantur? Quæ eorum qui profanæ, vel eorum qui nostræ disciplinæ studium profitentur? Una et per omnia et » maxima oblectatio illius volumina et lucubratio-

» nes,.... atque is apud nos eruditissimus habetur » qui libros ipsius quam maxime intelligit, ac lin- » gua versat, auribusque instillat.... Hoc tantum » de eo dicam : Cum *Hexaëmeron* illius in manus » sumo, atque in ore habeo, cum Creatore con- » jungor, ac creationis rationes cognosco.... ; cum » libros eos, quibus hæreticorum scripta refutat, » lego, Sodomiticum ignem cerno, quo improbæ » ac sceleratæ linguæ in cinerem rediguntur.... ; » cum ea quæ de Spiritu sancto scripsit evolvo, » Deum, quem habeo, nanciscor, veritatem libero » et fidenti animo prædico, illius videlicet theolo- » giæ atque contemplationi insistens; cum alias ejus » enarrationes *circa scripturas* perlego.... eo addu- » cor ut non in externo litteræ cortice pedem fi- » gam..... ; sed ex profundo in profundum tran- » seam, abyssum per abyssum invocans, ac per » lumen lumen inveniens, quoadusque ad sum- » mum tandem verticem pervenero; cum marty- » rum encomia lego, corpus contemno, et cum iis, » qui laudibus efferuntur, animo versor, atque ad » certamen excitor; cum orationes eas quas de mo- » ribus ac bene vivendi ratione scripsit in manus » accipio, animo et corpore purgor, templumque » Dei capax...., et divina quadam immutatione » alius ex alio efficior. » (*Orat.* XLIII. *n*° XXIII. LXV. LXVII.)

Porro S. Ephræm præter alia quæ agnoscit in Basilio, hæc de illo ad illum conversus pronuntiat : « Instar Petri prædicasti, instar Pauli docuisti, » instar Thomæ Dei Filium confessus es, instar

» Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis de rebus divinis » disseruisti. » (*Orat. in Basil.*)

A quo non dissentit S. Gregorius Nyssenus dicens : « Hujus oratio atque prædicatio omnem pro» pemodum terrarum orbem amplexa est, cum » etiam ipse, æque ac Pauli sermones, ab omnibus » probaretur et expeteretur. » (*Orat. de Basil.*)

Quin et ut paucis omnia complectamur, dicitur à Theodoreto *Cappadociæ, vel potius orbis universi lumen,* (*Epist.* CXLVI.) a Sophronio *decus Ecclesiæ,* (*Apud Phot. cod.* CCXXXI.) ab Isidoro Pelusiota, *pater divino Spiritu afflatus,* (*Epist.* LXI.) a concilio Chalcedonensi *minister gratiæ,* (*Concil. tom.* IV. *p.* 825.) a concilio Nicæno secundo, *vir qui omne quod sub cælo est, planam rectorum dogmatum basim edocuit.* (*Ibid. p.* 450.) « Cujus, ait Nazianzenus, tanta » virtus gloriæque præstantia fuit, ut multa etiam » ex parvis illius virtutibus, atque adeo ex corporis » defectibus, ab aliis ad gloriam nominisque cla» ritatem parandam excogitata sint : cujus generis » sunt pallor, barba, certus incedendi motus, tum » etiam ad loquendum minime promptum esse, » sed ut plurimum cogitabundum atque intro col» lectum; id quod multi non recte imitantes, nec » animadvertentes, in odiosam quamdam tristitiam » inciderunt. Vestis etiam genus, et lectuli species, » et cibi sumendi modus; quorum ille nihil stu» diose adhibuit, sed simpliciter et prout congrue» bat.... Illud vero non jam parvi, sed maximi » etiam momenti, ad gloriam non immerito existi» matur, consuetudinem cum eo aliquando ha-

» buisse, aut etiam coluisse, aut quidpiam ab eo
» joco vel serio dictum aut factum, monimenti loco
» ferre, quemadmodum ipse quoque (Nazianzenus)
» me hoc nomine sæpe gloriatum esse scio : quo-
» niam quæ ab illo velut obiter fiebant, multo
» præstantiora, atque illustriora erant, quam ea in
» quibus alii elaborabant. » (*Orat.* XLIII. *n°* LXXVII.)

Sic denique Photius B. Basilii eloquentiam laudibus extollit : « Pura dictione, significante, pro-
» pria et omnino civili ac panegyrica, si quis alius,
» uti novit, sensuumque ordine ac puritate primus,
» et nemini secundus apparet. Jam persuadendi
» quoque vim ac jucunditatem cum perspicuitate
» amat, atque ita ejus fluit oratio, quasi ultro
» tanquam e fonte rivulus scaturiret. Verisimilitu-
» dine autem usque eo est usus, ut si quis ejus
» sermones pro civilis orationis exemplo sibi pro-
» posuerit, in iisque sese exercuerit, nullum alium
» præterea, quantum quidem existimo, desidera-
» turus esse videatur, non ipsum quoque Platonem,
» sive Demosthenem, quos tamen versandos anti-
» qui præcipiunt iis, qui in oratores civiles ac pa-
» negyricos evadere cupiunt. » (*Bibl. cod.* CXLI.)

Nec illa etiam Basilio defuit gloria, ut versibus quoque exornaretur. Sic enim Cyrus Theodorus Prodromus, cujus græcos versus ita latine convertendo aliquando ludebam :

« Cappadocum præsul, Basili, decus accipe laudum,
» Moribus immotis ingenioque tenax;
» Qui vultu vitaque doces pietatis amorem,
» Doctoremque tacens sobrietatis agis;

» Qui subis æquoreas altæ rationis abyssos,
» Præcipitis cymba mentis, adorsus iter.
» Salve hominum vitæ, Basili venerande, magister,
» Quo redit oblitam mundus ad harmoniam;
» Ut divina tua sapientia luce refulsit!
» Inculpata prior posteriorque manet.
» Sacro intentantem malesana mente furores
» Spiritui, Eunomium fulminis igne feris.
» Tu labyrintheas filo deludere fraudes,
» Ambiguosque potens solvere voce dolos.
» Tu cunctas meritus rerum cognoscere causas,
» Non parcus cœli munere nota tenes.
» Nunc terræ tractus, lati nunc invia cœli,
» Vitalem hinc flatum, luminis inde jubar,
» Imo et brutarum memoras genus omne ferarum,
» Quas mare, quas cœlum, quas humus alma ferunt.
» Nec variæ herbarum species, virtusque tacetur;
» Factorum monachi nec moderator abes.
» Salve, hominum vitæ recta dux tramite, salve,
» Qui juvenis frænum, qui decus omne senis. »

Græce tantum, excusa sunt primo opera sancti Basilii apud *Hieron. Froben*, *Basil.* an. 1532, curante *Erasmo*, postea *Venetiis* an. 1535, apud *Steph. Fabium*, et tandem *Basil.* 1551, quæ ultima editio auctior evasit. *Latine* autem prodierunt *Paris.* 1525, *Colon.* 1531, Basil. 1540, 1552 et 1565; *Paris.* 1566, *Antuerp.* 1568, *Paris.* iterum 1571 et 1603, quam editionem sequitur Antuerpiensis an. 1616, et Coloniensis an. 1618. *Græce* demum et *Latine* eadem fuerunt excusa tum an. 1618, *Parisiis*, *Frontonis Ducæi et Frederici Morelli* opera, quæ nitida et emendata editio minus accurate an. 1638 ibidem recusa est; tum an. 1721, quoad primum tomum, 1722, quoad secundum, *Julii Garnerii* cura, et 1725, quoad tertium, studio *Prudent. Marand* Benedictini, *Parisiis*; quæ editio huc usque principatum tenet; unde illam hic sequi curavimus, additis, quæ deesse supra diximus.

In *gallicam* linguam versa sunt: 1° *Ascetica*, à D. *Hermant*, cum notis, an 1673 et 1727, in-8°. 2° *Epistolæ* ex interpretatione D. de *Morvan de Bellegarde*, *Parisiis*, 1693, in-8°. 3° *Moralia* opera D. *Leroi de Haute-Fontaine*, 1660, *Parisiis*, in-12. 4° *Orationes* cura iterum D. *de Bellegarde*, cum sermonibus Asterii Amaseni 1693, *Parisiis*. 5° *Oratio de modo legendi*

gentilium libros a Claudio Pontun 1561, *Parisiis*, in-8°. 6° *Liber quod Deus non sit auctor malorum*, ignoto interprete, 1584, *Rothomagi.* 7° Denique ampla leguntur fragmenta apud Bibliothecam gallicam D. Guillon, tom. VII.

Ejusdem S. Doctoris opera versa fuerunt in linguam Tudescam, a comite Schweikhard, *Ingold.* an. 1591. — Italice autem habentur ejusdem orationes *Venet.*, 1566, vertente *Ballini*, et aliæ quædam a *Galea Florimonze* in una collectione diversorum, *ibid.* an. 1564.

S. BASILII

CÆSAREÆ CAPPADOCIÆ

ARCHIEPISCOPI,

HOMILÆ IN HEXAEMERON.

HOMILIA I.

In principio fecit Deus cœlum et terram.

I. Conveniens principium est mundi structuram narraturo, narrationi suæ principium quo res visibiles exornatæ sunt, præponere [1]. Etenim cœli terræque tradenda creatio est, quæ casu, ut quidam opinati sunt, producta non est, sed a Deo originem traxit. Ecquis auditus magnitudine eorum quæ dicuntur, dignus est? Quali apparatu instrui convenit animam ad res tantas audiendas accessuram? Par fuerit a carnis affectionibus esse puram, vitæ hujus curis minime excæcatam, alacrem, rerum indagatricem, undique circumspicientem sicunde Deo dignam suscipere possit cogitationem. Sed antequam accuratam verborum rationem expendamus, perscrutemurque quanta his exilibus vocibus significentur; quis


[1] Vide D. Guillon, tom. VII, 73, 78.

nos alloquatur, consideremus. Quanquam enim scriptoris profunda sensa non assequimur ob mentis nostræ infirmitatem, tamen ejus qui loquitur auctoritati intenti, eo adducemur, ut dictis non inviti assentiamus. Moïses igitur is est, qui hanc contexuit historiam, Moïses ille, qui dum adhuc infans lactens esset, gratus apud Deum fuisse perhibetur[1] (1) : quem sibi adoptavit Pharaonis filia, regalique cultu educavit, magistros ei erudiendo præficiens eos qui inter Ægyptios erant sapientes. Qui tyrannidis fastum perosus, et ad tribulium humilitatem recurrens, una cum Dei populo divexari maluit, quam temporaria peccati suavitate frui. Qui justitiæ amorem ex ipsa natura sortitus est : quandoquidem prius etiam quam ei committeretur populi principatus, ob naturale nequitiæ odium ad mortem usque malos insectatus fuisse comperitur. Qui ab iis quos beneficiis affecerat, fugatus, ac lubenter Ægyptiacos tumultus derelinquens, adveniensque in Æthiopiam, et illic omnino ab aliis negotiis feriatus, totos quadraginta annos rerum contemplationi impertivit. Qui octogesimum jam natus annum, Deum, quantum homini videre licet, vidit; imo quantum nulli alii datum est, juxta ipsum Dei testimonium : « Si fuerit » Propheta vester Domino, in visione ei agnoscar, et in » somno loquar ei. Non ita velut servus meus Moïses, in » tota domo mea fidelis est. Os ad os loquar ei, in specie, et non per ænigmata[2]. » Hic itaque divinæ ipsius faciei conspectu perinde ac Angeli dignatus, ea quæ a Deo audivit, nobis refert. Audiamus igitur veritatis verba, non in humanæ sapientiæ persuasionibus, sed in Spiritus doctrina prolata, quorum finis laus non est audientium, sed eorum qui docentur salus.

1 Act. VII, 20. — 2 Num. XII, 6.


II. « In principio fecit Deus cœlum et terram [1]. » Orationem meam admiratio hujus sententiæ sistit. Quid primum dicam ? Unde narrandi sumam exordium ? Redarguam ne Ethnicorum vanitatem, an veritatem nostram laudibus efferam ? Prodiderunt multa Græcorum sapientes de natura : sed ne una quidem opinio, posteriore priorem semper antiquante, fixa inter ipsos atque inconcussa permansit. Quare dicta eorum confutare nihil nobis opus est ; si quidem ad mutuam suam eversionem sufficiunt. Etenim Deum qui ignoravere, causam providam ortui præesse universorum non concessere : sed consequentia convenienter primæ suæ inscitiæ concludebant. Quamobrem nonnulli, origine universitatis rerum elementis mundi ascripta, ad causas materiales confugerunt : alii vero atomis, et corporibus partium expertibus, mole ac meatibus naturam rerum visibilium contineri finxerunt. Nunc quidem insecabilibus corporibus inter se conjunctis, nunc vero rursus discretis, generationes et corruptiones fieri, atque in durabilioribus corporibus diuturnitatis causam ex atomorum inter se complexu validiore proficisci arbitrati sunt. Sane araneæ telam texunt qui talia scribunt, qui cœli terræque et maris principia ponunt adeo tenuia, nec uspiam consistentia. Non enim noverunt dicere : « In principio fecit Deus » cœlum et terram, » Quapropter ob inhabitantem in ipsis divinitatis ignorationem in hunc errorem inciderunt, ut cuncta, tanquam casu et temere mota, credant nec regi nec gubernari. Quod ipsum nobis ne accidat ; is qui mundi fabricam conscripsit, statim in primis verbis per Dei nomen mentem nostram illustravit, dicens : « In principio » fecit Deus. » Quam pulcher est ordo iste ! Primo appo-

[1] Gen. I, 1.



suit principium, ne qui mundum principii expertem esse opinarentur. Deinde adjecit; « Fecit, » ut ostendatur res conditas minimam esse potentiæ opificis partem. Quemadmodum enim figulus qui eadem arte innumera effinxit vasa, neque artem, neque potentiam exhausit : ita et universi hujus opifex effectricem potentiam habens, non uno mundo circumscriptam, sed in infinitum excedentem, rerum quæ conspiciuntur magnitudines solo voluntatis nutu condidit. Itaque si mundus et principium habet et factus est inquire quis sit qui ei dedit principium, et quis illius sit conditor? Imo ne forte, si humanis, inquiras ratiocinationibus, a veritate aberres : hoc nos documento præoccupat, dum videlicet præstantissimum Dei nomen tanquam sigillum et antidotum in animis nostris imprimit, dicens : « In principio » fecit Deus. » Beata natura, ingens bonitas, idipsum quod omnibus rationis participibus est amabile, pulchritudo valde desiderabilis, eorum quæ existunt principium fons vitæ, spiritualis lux, sapientia inaccessa, hic « in » principio fecit cœlum et terram. »

III. Ne igitur cogites, o homo, ea quæ conspiciuntur principio carere : et quia ea quæ in cœlo moventur, circumaguntur circulatim, circulique principium prompto sensu a nobis percipi non potest, ne idcirco naturam eorum corporum quæ orbiculatim moventur putaveris principii esse expertem. Neque enim circulum hunc (figuram dico planam una linea circumscriptam) quoniam sensum nostrum effugit, aut quoniam neque unde cœperit, neque in quid desinat invenire possumus; continuo et principii exortem esse statuere debemus. Verum tametsi sensum fugit revera tamen omnino cœpit a quopiam, qui eum centro et quodam intervallo circumscripserit. Sic et tu, quoniam quæ in orbem versantur, eodem



redeunt, ne ob hanc motus ipsorum æquabilitatem nullo interstitio interruptam, falso arbitreris, mundum principio ac fine destitui. « Transit enim figura hujus mun- » di[1]. » Et, « Cœlum et terra transibunt[2]. » Quæ nunc breviter initio doctrinæ divinitus inspiratæ traduntur, dogmata de consummatione, deque mundi immutatione præcinunt : « In principio fecit Deus. » Quæ a tempore initium duxerunt, ea in tempore etiam necesse est omnino interire. Si temporale initium accepere, ne dubites de fine. Nam geometria, rationes arithmeticæ, inquisitiones de solidis, astronomia adeo decantata, negotiosissima vanitas, ad qualem finem divertunt? Siquidem harumce rerum studiosi hunc mundum visibilem sempiternum esse unacum conditore universorum Deo decreverunt; mundo circumscripto, eidemque corpus ex materia compactum habenti eamdem gloriam atque incomprehensibili naturæ et invisibili tribuentes. Ne hoc quidem animadvertere potuerunt, quod necesse sit et totum cujus partes corruptioni et mutationi subjacent, iisdem aliquando obnoxium esse affectionibus, atque ipsius partes. Sed usque adeo « evanuerunt in cogitationibus suis, » et obscuratum est insipiens cor eorum, et dicentes se » esse sapientes, ita stulti facti sunt[3], » ut alii quidem simul cum Deo cœlum ab æterno existere affirmarint, alii vero illud ipsum esse Deum sine principio et sine fine, atque gubernationis rerum singularum causam esse statuerint.

IV. Profecto isthæc mundanæ sapientiæ copia eis aliquando condemnationem accerset graviorem, quippe quia adeo acutum in vanis rebus cernentes, suapte sponte in intelligenda veritate occæcati sunt. Qui porro spatia

[1] Cor. VII, 31. — [2] Matth. XXIV, 35. — [3] Rom. XII, 1.

dimetiuntur stellarum, assignantque quænam semper affulgeant, et quænam septemtrionales sint, et qui sitas circa austrinum polum stellas illic quidem habitantibus conspicuas, nobis vero ignotas describunt, et latitudinem aquilonarem ac zodiacum circulum innumeris spatiis dividunt, et astrorum conversiones, stabilitatem, declinationes, eorumque omnium ad prima loca motum diligenter observant et quanto tempore unumquodque siderum errantium circuitum suum expleat : ii unam ex omnibus artem non invenere, qua agnoscerent Deum esse universi opificem, et justum judicem actiones vitæ pro merito remunerantem. Neque hanc consummationis cogitationem judicii doctrinæ consentaneam in animum sibi induxerunt, mundum videlicet necessario mutatum iri, si et animarum status ad aliam vitæ rationem sit transiturus. Quemadmodum enim præsens vita naturam huic mundo affinem habebat : ita etiam futura animarum nostrarum vivendi ratio sortem exceptura est suo statui convenientem. At vero tantum abest, ut hi studium impertiant hisce veritatibus, ut etiam effusis cachinnis irrideant nos, cum de mundi hujus consummatione et de sæculi regeneratione verba facimus. Cum autem principium secundum naturam prius statuatur, quam ea, quæ ab ipso proficiscuntur, necessario tum cum de his quæ a tempore habent, quod sint, dissereret; hanc omnibus anteposuit vocem, inquiens : « In principio fecit. »

V. Nam et ante hunc mundum, ut verisimile est, erat aliquid quod nostra quidem cogitatione possumus assequi, sed narrationem ideo effugit, quod id his qui instituuntur, suntque adhuc in cognitione infantes, nequaquam congruebat. Erat status quidam mundi ortu antiquior, cœlestibus potestatibus conveniens, transcendens tempus omne, æternus, perpetuus. Opificia autem conditor et

artifex omnium eo in statu perfecit, spiritualem lucem, eorum qui Dominum diligunt beatitudini consonam, rationales et invisibiles naturas, et intelligibilium creaturarum quæ nostrum captum superant ornatum omnem : quorum ne nomina quidem possumus excogitare. Hæc complent invisibilis mundi essentiam, velut nos docet Paulus, dicens : « Quoniam in ipso condita sunt universa, » sive visibilia, sive invisibilia, sive throni, sive domi- » nationes, sive principatus, sive potestates, sive virtu- » tes[1], » sive Angelorum exercitus, sive Archangelorum præfecturæ. Tum demum oportebat, et hunc mundum rebus jam extantibus adjungi, qui esset inprimis idoneus locus edocendis animabus hominum atque erudiendis : dein in universum, ut aptum cunctis rebus quæ generationi et corruptioni obnoxiæ sunt, domicilium foret. Itaque huic mundo productisque in ipso tum animalibus tum plantis affinis facta est temporis successio, quæ semper urgetur, præterfluitque, nec unquam a cursu quiescit. Annon ejusmodi est tempus, cujus pars præterita evanuit, futura nondum adest, præsens sensum prius fugit quam cognoscatur? Quin etiam talis existit eorum quæ fiunt natura, aut augescens omnino, aut deficiens, nec conspicuam firmitatem aut stabilitatem obtinens. Itaque animalium stirpiumque corpora quæ ad fluxionem quampiam necessitate astringuntur, quæque motioni generationis corruptionisque conciliatrici obnoxia sunt, par erat a temporis natura proprietatem mutabilibus cognatam habente contineri. Hinc qui nos mundi ortum sapienter edocet, habendum de ipso sermonem apte aggressus est, dicens : « In principio fecit, » hoc est, in eo temporis principio. Etenim non quod mundum

[1] Col. 1, 16.

rebus omnibus conditis antiquitate præire testetur, ait eum in principio factum fuisse : sed narrat has res visibiles ac sensibiles post invisibiles ac spirituales existere cœpisse. Et quidem primus etiam motus principium dicitur : exempli causa, « Principium viæ bonæ, facere justa[1]. » Nam a justis actionibus primum movemur ad beatam vitam. Rursus principium etiam dicitur unde fit aliquid ; cum scilicet aliud inest, uti fundamentum in domo, et carina in navi; juxta quam acceptionem dictum est : « Principium sapientiæ timor Domini[2]. » Pietas enim est velut basis ac fundamentum ad perfectionem. Est et artificialium operum principium ars ; sicut Beseleelis sapientia, ornatus tabernaculi principium erat. Quin et utilis finis eorum quæ fiunt, plerumque actionum est principium, verbi gratia, concilianda Dei gratia eleemosynæ principium est. Item promissorum finis, actionis cujuscumque a virtute proficiscentis est principium.

VI. Cum igitur tot modis dicatur principium ; consideres velim, ea ne vox singulis significatis conveniat. Etenim a quo tempore structura mundi hujus cœperit, discere potes; si modo ex præsenti ad superiores ætates progressus, primam originis mundi diem invenire contendas. Hoc namque pacto reperies unde insit tempori motus primus : deinde, quod tanquam fundamenta quædam et bases cœlum et terra præstructa sint : tum, quod sit industria quædam ratio quæ, uti tibi vox principii indicat, rerum visibilium præest ornatui ac ordini. Denique deprehendes excogitatum fuisse mundum non temere neque frustra, sed ad finem quemdam utilem, et magno usui cunctis rebus futurum : siquidem est revera animarum ratione præditarum gymnasium ; et locus est in quo Dei comparatur cognitio : quippe per res visibiles

[1] Prov. xxi, 7. — [2] Ibid.

sensibilesque mentem quasi manu ducit ad invisibilium contemplationem, uti ait Apostolus : « Invisibilia a crea- » tura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspi- » ciuntur[1]. » Aut fortasse quia opificium illud in momento et citra ullam temporis moram absolutum est, ideo dictum fuit : « In principio fecit : » quandoquidem principium est quiddam insecabile, ac dimensionis expers. Quemadmodum enim principium viæ, nondum est via, et domus principium, nequaquam domus est : sic et temporis principium, nondum tempus est, imo neque pars ipsius minima. Quod si quispiam altercans dicat principium tempus esse; is sibi illud in temporis partes dividendum esse sciat. Hæ autem sunt, principium, medium, et finis. Atqui principium principii excogitare prorsus ridiculum est. Et qui bipartito principium secat, pro uno duo efficiet; imo multa et infinita, dum quod dividitur, id semper in alia resecabitur. Igitur ut mundum voluntate Dei citra ullam temporis moram simul substitisse edoceamur, dictum est : « In principio fecit. » Quod ipsum interpretes alii sententiam dilucidius reddentes, dixerunt : « In capitulo fecit Deus, » hoc est, subito et brevi. At enim hactenus de principio, ut pauca de multis dicamus.

VII. Jam vero cum artium aliæ quidem dicantur effectrices, aliæ vero practicæ, aliæ autem speculatrices; cumque speculatricum finis sit ipsa mentis operatio; practicarum vero, ipse corporis motus, quo cessante nihil subsistit, nihil superest videntibus: finis enim saltationis et artis tibia canendi nullus est, sed ipsa in seipsam desinit actio. Contra, in artibus effectricibus, cessante etiam operatione, opus remanet, exempli causa, opus artis ædificandi, fabricandi, excudendi, texendi, et aliarum qua-

[1] Rom. I, 20.

rumcumque artium ejus generis: quæ artifice vel absente abunde in seipsis causas solertes ac industrias exhibent; potesque ædificatorem, ærariumque et textorem post opus admirari. Proinde ut mundus demonstretur esse artificialis structura, omnibus ad contemplationem proposita, adeo ut per ipsum conditoris ejus sapientia cognoscatur, non alia ulla voce sapiens Moïses usus est, dum de eo sermonem habuit, sed dixit : « In principio fecit. » Non autem dixit, « operatus est, » aut informavit, sed « fecit. » Et quia complures eorum qui mundum ab æterno una cum Deo existere opinati sunt, ab ipso factum esse nequaquam concesserunt : sed eum per se, quasi esset potentiæ ipsius adumbratio quædam, quadam rudi ratione substitisse affirmarunt : et quia causam quidem ipsius Deum esse fatentur, sed causam non voluntariam : perinde atque corpus umbræ, aut res quæ illuminat, splendoris causa est; errorem certe ejusmodi corrigens Propheta, hoc accurato verborum delectu usus est, dicens : « In principio fecit Deus. » Non hoc solum præstitit causam ut esset mundus; sed uti bonus fecit quod utile est : uti sapiens, quod pulcherrimum est : uti potens, quod maximum est. Nam ostendit tibi artificem tantum non rerum omnium substantiam invadentem, et partes singulas inter se coagmentantem, efficientemque universum mundum concordem sibi et consonum atque concinnum. « In principio fecit Deus cœlum et terram. » Extremis duobus significavit orbis totius substantiam, cœlo quidem tribuens ortus prærogativam : terram vero origine secundam esse astruens. Si quid autem in istis medium est, id utique una cum ipsis finibus factum est. Quamobrem etiamsi de reliquis elementis, igne, aqua et aëre nihil dixerit, tute tamen omnia in omnibus primum permixta fuisse pro tua solertia intellige; atque adeo aquam,

aëremque et ignem in terra reperturus es. Nam ex lapidibus quidem ignis exilit : ex ferro vero, quod ipsum etiam e terra originem trahit, ignis abundans in affrictu emicare solet. Id quoque par fuerit admirari, quomodo ignis qui inest corporibus, in ipsis citra detrimentum delitescat : contra, ea a quibus antea servabatur, simul ut foras eductus est, absumat. Demonstrant autem puteorum fossores aquæ naturam terræ insitam esse : quin et aëris naturam terræ inesse comprobant emissæ illæ sursum e terra humectata et a sole calefacta exhalationes. Deinde cum cœlum natura locum supernum occupet, terra vero infima sit : quippe feruntur in cœlum levia; gravia vero ex se vergunt in terram, cumque maxime contraria sint inter se supernum et infernum; qui rerum longissime inter se natura diversarum mentionem fecit, etiam ea quæ regionem mediam in his explent, acervatim significavit. Quare ne singulorum exquiras narrationem, sed ea quæ sunt silentio præterita, per ea quæ indicata sunt intellige.

VIII. « In principio fecit Deus cœlum et terram. » Inquisitio quæ de singularum rerum essentia fieret, sive earum quæ sub nostram contemplationem cadunt, sive earum quæ nostris sensibus objiciuntur, sermonem longum et excurrentem in nostram interpretationem induceret, quandoquidem in hoc problemate expendendo verba plura insumenda essent quam in reliquis, quæ de singulis quæsitis dici possunt. Præterea haud operæ pretium fuerit ad Ecclesiæ ædificationem in his tempus terere. Verum circa cœli essentiam satis nobis sunt ea quæ dicta sunt ab Hesaïa, qui vulgaribus verbis naturæ ipsius cognitionem sufficientem nobis indidit dum dixit : « Qui firmavit cœlum quasi fumum[1], » hoc est, qui tenuem non

[1] Isai. LI, 6.

solidam, neque crassam naturam, ad constituendam cœli substantiam condidit. De figura quoque sufficiunt nobis quæ ipse in Dei glorificatione dixit: « Qui statuit cœlum » sicut cameram[1]. » Cæterum hæc eadem et de terra nobis ipsi suadeamus, ut ne qualis tandem sit ejus substantia, curiosius perscrutemur, neque in subjecto perquirendo ratiocinatione defatigemur: neque naturam quampiam qualitatibus destitutam, et qualitatum sua ipsius conditione expertem exquiramus: sed probe sciamus omnia quæcumque in ea considerantur, ad ipsius existendi rationem spectare, quippe quæ ipsius compleant essentiam. Etenim si qualitates singulas quas obtinet, ratione auferre coneris, es in nihilum desiturus. Nam si amoveris nigritudinem, frigiditatem, gravitatem, densitatem, et qualitates ipsius ad gustum pertinentes, aut si quæ aliæ in ea conspiciuntur; supererit subjectum nullum. His igitur omissis, ne illud quidem inquirendum moneo, videlicet super quo stet fulcimento. Nam et hoc pacto vertigine mens laborabit, quandoquidem ad certum nullum finem perventura est ratiocinatio. Sive enim aërem latitudini terræ substratum esse dixeris; ambiges qui fieri possit ut natura mollis, valdeque inanis tanto pondere compressa renitatur, et non potius dilabatur undelibet, hanc molem subsidentem aufugiens, seque sursum perpetuo super id quod ipsam comprimit diffundens. Rursum si aquam terræ subjectam esse tecum statueris; etiam sic inquires quomodo grave et densum corpus non penetret aquam, sed res longe gravior a debiliore natura detineatur? Ad hæc ipsius etiam aquæ investigabis basim, ac rursum dubitabis, cuinam solido et renitenti fulcro ultimum ejus fundum incumbat.

[1] Isai. LX, 22.

IX. Quod si ponas aliud corpus esse terra gravius ac solidius, quo terra ne ad ima decidat impediatur; in animum inducturus es illud etiam aliquo alio simili indigere, quod alterum suffulciat, nec corruere sinat. Et si confictum quid illi substernere poterimus, rursus ejus fulcrum mens nostra inquiret; atque hoc modo in infinitum dilabemur, semper præter inventa fundamenta, alia rursus excogitantes. Et quanto longius ratione progredimur, tanto majorem renitendi ac suffulciendi vim cogimur inducere, quæ toti simul moli superpositæ possit obniti. Quamobrem modum finesque menti impone; nequando curiositatem tuam, qui incomprehensibilia perscrutaris, redarguat Jobi sententia : neve tu quoque ab eo interroeris, « super quo circuli ejus fixi sint[1]. » Sed etsi in Psalmis aliquando audieris : « Ego confirmavi columnas ejus[2]; » vim illam qua in suo statu confirmatur, columnas dictas esse puta. Nam illud : « Super maria fundavit eam : » quid aliud significat, quam aquæ naturam undique terræ esse circumfusam? Quomodo igitur aqua quamvis sit fluida, et in declive suapte natura feratur, manet suspensa, et nusquam defluit? Tu vero non consideras quod terra per se suspensa, eamdem aut etiam adhuc majorem pariat rationi hæsitandi locum, quandoquidem natura gravior est. Verum necesse est, sive terram per seipsam concesserimus consistere, sive super aquas jactari dixerimus, nunquam de pia sententia discedere[3] : sed fateri simul omnia per conditoris potentiam contineri. Itaque tum nobis ipsis tum aliis interrogaturis nos, quo fulcro ingens illud nec ulli ferendum terræ onus innixum sit, dicamus hæc oportet : « In manu Dei sunt » fines terræ[4]. » Hoc nobis tutissimum est ad com-

[1] Job. xxxviii, 6. — [2] Psal. lxxiv, 4. — [3] Ibid. xxiii, 2. — Ibid. xciv, 4.

parandam intelligentiam, et auditoribus conducibile.

X. Jam vero Physici nonnulli etiam ob ejusmodi causas terram immobilem manere magno cum apparatu verborum dicunt. Nimirum quod mediam orbis regionem occupavit, et quod quo se magis inclinet, non habet, utpote ab extremis æqualiter omni ex parte dissita; hinc eam in seipsa necessario permanere asseverant, cum circumjacens undelibet æqualitas faciat, ut non queat omnino in ullam partem declinare. Contendunt itidem terram medium locum non sorte, neque casu nactam esse : sed hunc esse terræ naturalem ac necessarium situm. Nam cum cœleste corpus regionem extremam sursum versum obtineat; quæcumque sane, inquiunt, pondera ex supernis elabi posuerimus, ea undique ad medium deferentur. Et certe in quod deferuntur partes, in id utique etiam totum detrudetur. Etenim si lapides, et ligna, et terrestria omnia deorsum versus corruunt, hic utique fuerit etiam toti terræ proprius ac conveniens situs : at si quid levium e medio evehatur, profecto suprema petet. Quare motio deorsum tendens, gravium est propria : infimum autem, medium esse ex dictis patet. Ne igitur mireris; si nusquam excidat terra, quippe quæ medium locum naturæ suæ convenientem occupet. Omnino enim ipsam in eo loco manere necesse fuerit, aut eam præter naturam motam a propria sede dimoveri. Jam si quid eorum quæ dicta sunt, probabile tibi videatur, ad Dei sapientiam quæ hæc ita ordinavit admirationem transfer. Qui enim maximas ob res accedit stupor, nequaquam ideo minuitur quod modus quo quid fiat stupendorum, adinventus est. Sin minus, saltem fidei simplicitas plus habeat roboris, quam quæ ex ratione petuntur demonstrationes.

XI. Hæc eadem de cœlo quoque dixerimus, clamosis-

simas scilisset ac verbosissimas de cœli natura a mundi sapientibus propositas fuisse commentationes. Alii quidem ipsum ex quatuor elementis conflatum esse dixere : quippe cum in tangendi ac cernendi sensum cadat, sitque terræ quidem particeps ob soliditatem : ignis vero, quia conspicitur : reliquorum tandem, ob mixturam. Alii autem hac opinione, tanquam quæ verisimilis non esset, rejecta, quintam quamdam corporis naturam ad constituendum cœlum suopte ingenio, et a seipsis temere atque inconsulte introduxerunt. Est et apud ipsos æthereum quoddam corpus, quod neque ignem dicunt esse, neque aërem, neque terram, nec aquam, nec quidquam omnino ex simplicibus, propterea quod proprius simplicium motus rectus est, levibus quidem sursum, gravibus vero deorsum tendentibus. Neque vero sursum ac deorsum ferri, idem est atque in orbem versari : et in summa, rectum et orbicum motum plurimum inter se differre censent. Quorum autem motiones secundum naturam diversæ sunt, horum etiam necesse est, inquiunt, essentiam esse diversam. Sed ne ex primis quidem corporibus quæ elementa vocamus, cœlum componi, statuere possumus; eo quod ea quæ ex diversis constant, motum qui æquabiliter ac sine vi edatur, habere non possunt; cum singula quæ in compositis insunt simplicia, alium atque alium a natura sortiantur impetum. Quocirca res compositæ primum quidem in continuo motu ægre continentur, quod unus motus omnibus contrariis non potest congruus esse et amicus : sed is qui rei levis proprius est, gravissimæ adversatur. Cum enim sursum versus movemur; per id quod terreum est, gravamur : cum vero deorsum volvimur, vim facimus igneo, quippe qui ipsum deorsum trahamus præter naturam. Hæc autem elementorum in contraria distractio, ruinæ et dissolutionis causa

existit. Quod enim coactum est, et præter naturam, cum parum resistat, idque violenter et ægre, brevi in ea quibus constat dissolvitur, dum singula quæ in unum convenerant, ad proprium redeunt locum. Sane ob has, ut aiunt, ratiocinationum angustias, ii qui quintam corporis naturam ad cœli stellarumque ipsius constituendam generationem commenti sunt, rejectis priorum opinionibus, argumentis propriis opus habuere. At quivis alius arte suadendi præpollens, rursus hos adortus, hæc confutavit, dissolvitque, et de suo opinionem propriam invexit. De quibus si nunc dicere aggrediemur, in easdem nugas atque illi incidemus. Verum sinentes nos, ut sese invicem evertant refellantque, jam omisso de essentia sermone, fidem Moïsi adhibentes, quod « fecit Deus cœ- » lum et terram, » artifici optimo pro his quæ sapienter ac industrie peracta sunt, gloriam demus; et ex pulchritudine eorum quæ videntur, eum qui omnem pulchritudinem superat, mente concipiamus : et ex magnitudine sensibilium horum et circumscriptorum corporum, illum qui infinitus est et immensus, quique omnem præ potentiæ suæ multitudine cogitationem exsuperat, intelligamus. Etsi enim eorum quæ facta sunt naturam ignoramus : at certe quicquid omni ex parte sub nostros sensus cadit, tantum præ se fert admirationis, ut vel acutissima mens impar esse comperiatur, quæ aut minimum quid eorum quæ in mundo sunt, pro rei dignitate explicet aut debitam laudem rependat Creatori, cui omnis gloria, honor et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA II.

De eo quod invisibilis erat terra et indigesta.

I. Mane in paucis explicandis verbis immorati[1], tantam sententiæ profunditatem reconditam invenimus, ut de iis quæ sequuntur, omnino desperemus. Nam si Sanctorum atria talia sunt, et templi vestibula adeo veneranda sunt, atque magnifica, ut pulchritudinis suæ præstantia oculos mentis nostræ perstringant, qualia sunt Sancta Sanctorum? Ecquis tandem comperietur idoneus, qui adyta ingredi ausit? Aut quis conspecturus est arcana? Siquidem vel eorum aspectus est inaccessus; et ea quæ mente concepta sunt, ægre omnino verbis possunt explicari. Attamen cum apud justum judicem vel ob id solum, quod quis officium suum sibi faciendum proposuerit, constituta merces sit, eaque non contemnenda; ne ad perscrutandum fuerimus segniores. Nam tametsi rerum non possumus assequi dignitatem; tamen si a Scripturæ proposito, Spiritu auxiliante, non excidamus, etiam ipsi non omnino rejectanei judicabimur; ac gratia cooperante, non nihil præstabimus ædificationis Ecclesiæ Dei. « Terra autem, » inquit, « erat invisibilis, et incompo- » sita. » Quomodo conditis pariter utrisque cœlo et terra, cœlum quidem omnibus numeris absolutum est, terra vero adhuc imperfecta est et rudis? Aut omnino quid est terra incomposita, aut ob quam causam erat invisibilis? Sane perfectus terræ apparatus ipsa illius fertilitas est,

[1] Vide D. Guillon, tom. VII, 86-95.

generationes quarumcumque plantarum, altissimarum arborum tum frugiferarum tum infecundarum ortus; florum colores speciosi ac odores grati, et quæcumque paulopost Dei jussu e terra emergentia genitricem suam erant ornatura. Quarum rerum quoniam nihildum erat, merito Scriptura ipsam nominavit incompositam. Hæc eadem et de cœlo dixerimus; quandoquidem vel ipsum nondum erat excultum, neque proprium receperat ornatum, utpote quod nondum sole aut luna splendesceret, neque astrorum choris coronaretur. Necdum enim isthæc condita erant. Quare a veritate non aberraveris, si cœlum quoque dixeris fuisse incompositum. Terram autem duas ob causas appellavit invisibilem; aut quod nondum esset qui eam conspiceret homo, aut quod ea videri minime posset, quippe quæ aquis super ipsius superficiem innatantibus esset submersa. Nondum enim erant aquæ in suas stationes congregatæ: quas postea aggregatas Deus maria nuncupavit. Invisibile igitur quid est? Aliquando quidem id quod ex se oculis carnis cerni non potest, cujusmodi est mens nostra : aliquando vero id quod ex natura sua potest conspici, sed incumbentis ei corporis occultatur interjectu, veluti ferrum, quod in imo gurgite jacet. Juxta quam notionem, nunc invisibilem ducimus vocatam esse terram, utpote quæ ab aquis occultaretur. Deinde vero cum necdum esset facta lux, nihil erat miri si terra in tenebris sita, quod aër super eam non illuminaretur, ob id etiam a Scriptura invisibilis appellata sit.

II. At vero veritatis adulteratores qui suam ipsorum mentem Scripturæ obtemperare nequaquam docent; sed ad propriam sententiam detorquent Scripturarum sensum, materiam hisce verbis aiunt significari. Hæc enim, inquiunt, est et invisibilis et incomposita suapte natura: quippe cum ex sua ipsius conditione careat quacumque

qualitate, atque ab omni forma ac figura sit separata; quam assumptam pro sua sapientia conformavit artifex, et in ordinem redegit, et ita per ipsam rerum visibilium essentias constituit. Quod si ingenita est hæc; primum quidem par ei ac Deo honor tribuendus est : quandoquidem eodem antiquitatis jure dignabitur. Quo quid magis impium esse possit? Materiam scilicet qualitatis ac formæ expertem, extremam ipsam deformitatem, fœditatem ipsam figura destitutam, ipsis enim eorum utor vocabulis, pari cum sapienti et potente ac perpulchro opifice ac universorum conditore, prærogativa ac dignitate cohonestari? Deinde quidem si tanta est materia ut totam Dei suscipiat scientiam; et sic aliquo pacto ipsi Dei potentiæ quæ investigari nequit, substantiam illius æquiparant, cum omnem Dei intelligentiam per seipsam abunde possit dimetiri : si vero materia operatione Dei inferior est, sic etiam hæc eis verba in absurdius convitium vertentur, quippe qui Deum a perficiendis et absolvendis suis operibus propter materiæ defectum abarceant. Verum illos decepit humanæ naturæ inopia. Et quoniam ars quælibet apud nos circa aliquam materiam separatim versatur, velut ars ferraria circa ferrum, lignaria vero circa ligna; atque in his aliud est subjectum, aliud forma, aliud id quod ex forma conficitur : et quia materia quidem forinsecus assumitur, ab arte vero aptatur forma, effectus autem ex utrisque, ex materia scilicet et ex forma componitur; sic etiam existimant in divino opificio, mundi quidem figuram a sapientia Conditoris universorum esse inductam, materiam autem extrinsecus Creatori advectam ac subjectam fuisse, mundumque compositum extitisse, utpote qui subjectum et essentiam aliunde habeat, figuram vero ac formam a Deo acceperit. Hinc autem fit, ut Deum magnum constitutioni rerum

præfuisse negent : sed eum tanquam symbolam quamdam supplentem, modicam quamdam portionem ad rerum generationem de seipso contulisse : quandoquidem præ ratiocinationum ignobilitate, ad veritatis sublimitatem respicere non potuere; quia artes hîc materia sunt posteriores, utpote ob usus necessitatem in vitam introductæ. Lana enim prius extitit : ars vero textoria successit, defectum naturæ ex se expletura. Sic lignum quidem erat : at succedens ars lignaria, materia ad usus quotidie expetitos conformata, lignorum nobis ostendit utilitatem, nautis remum, agricolis ventilabrum, et armatis militibus hastam subministrans. At vero Deus priusquam quidpiam eorum quæ nunc videntur, extitisset, cum in animum induxisset, statuissetque ea quæ non erant : in lucem edere : simul atque cogitavit qualemnam mundum esse oporteret, materiam formæ ipsius convenientem produxit. Et cœlo quidem naturam assignavit, cœlo convenientem : figuræ vero terræ congruam debitamque substantiam subjecit. Ignem autem, aquamque et aërem, uti voluit, conformavit, et ad substantiam evexit, prout singularum rerum quæ fiebant, ratio postulabat. Cæterum mundum totum diversis partibus constantem indissolubili quodam amicitiæ vinculo in unam societatem et harmoniam colligavit : adeo ut ea etiam quæ plurimum inter se situ distant, conjungi per concentum videantur. Cessent igitur a fabulosis commentis ii, qui potestatem menti incomprehensibilem, et quam humana vox exprimere nullo modo possit, cogitationum suarum imbecillitate admetiuntur.

III. « Fecit Deus cœlum et terram, » utrumque non ex dimidia parte, sed totum cœlum, totamque terram, ipsam substantiam cum forma conjunctam. Non enim inventor est figurarum, sed ipsius naturæ rerum opifex.

Alioqui respondeant nobis, quonam pacto inter se tum effectrix Dei potentia, tum passiva materiei natura convenerint, ille vero sine materia scientiam habens figurarum, ut id quod defuerit alteri, ab altero tribuatur, opifici quidem, ut habeat unde specimen det suæ artis: materiei vero, unde deformitatem et formæ privationem deponat. Sed de his hactenus. Jam ad propositum redeamus. « Erat autem terra invisibilis ac incomposita » Cum dixit: « In principio fecit Deus cœlum et terram, » multa tacuit, aquam, aërem, ignem, emergentes ex his affectiones. Quæ sane omnia, tanquam quæ mundum compleant, procul dubio unà cum universitate rerum substiterunt. Omissa sunt autem isthæc ab historia, ut dum reliqua ex paucis argumentis tradit æstimanda, mentem nostram ad industriam diligentiamque exerceat. Itaque cum dictum non sit Deum aquam fecisse: sed dictum sit terram fuisse invisibilem; tute tecum reputa quo velamine operta non appareret. Neque igitur ignis operire terram poterat: ignis siquidem affert lucem, ac ea quibus accedit, illustrat potius, quam tenebras offundat: neque itidem aër erat tunc terræ tegumentum. Rara enim et pellucida est aëris natura, quæ cunctas rerum visibilium species excipit, et ad intuentium oculos transmittit. Reliquum igitur est, ut cogitemus nos, aquam superficiei terræ innatasse, cum nondum esset liquida ista substantia in propriam sedem segregata. Hinc autem terra non erat solum invisibilis, sed erat etiam inornata: quippe humoris redundantia etiamnum fructuum partum impedit. Eadem igitur causa est, cur et invisibilis esset et incomposita. Nam terræ apparatus, ille ipse est ornatus qui ei proprius est ac naturalis. Puta undantes in convallibus segetes, prata virentia et diversis floribus referta, floridi saltus ac montium cacumina silvis inum-

brata : quorum nondum habebat quidquam, parturiens quidem omnium ortum, ob inditam sibi ab opifice facultatem, sed tempora congrua expectans, ut juxta divinum præcepum fetus suos in apertum proferret.

IV. « Sed et tenebræ » ait, « super abyssum. » Aliæ rursum fabularum occasiones, et commentorum magis impiorum causæ; cum hæc verba ad suas divertant opiniones. Tenebras enim non exponunt, ut mos est, aërem quemdam lucis expertem, aut locum objectu corporis obumbratum, aut denique locum quacumque ex causa lumine privatum, sed potentiam malam : imo malum ipsum a seipso originem trahens, oppositum Dei bonitati atque contrarium. Etenim si Deus lux est : absque dubio, aiunt, adversans ei potentia, tenebræ utique fuerint, juxta sententiæ consequentiam. Tenebræ ab alio non habent quod sint, sed sunt malum per se genitum. Tenebræ hostes animarum, mortis conciliatrices, virtutis adversariæ : quæ per hæc Prophetæ verba, ut falso putant, et subsistere, nec tamen a Deo prodiisse indicantur. Ex hoc sane principio quid non pravorum et impiorum dogmatum confictum est? Qui lupi graves, gregem Dei discerpentes, sumpto ab hac parva voce initio, animas non invaserunt? Nonne hinc Marciones? Nonne Valentini? nonne abominanda Manichæorum hæresis, quam si quis putredinem appellet Ecclesiarum a decoro non aberrabit? Quid procul a veritate recedis, o homo, tibi ipsi exitii causas excogitans? Simplex est dictio, et ab omnibus comprehendi facile potest, « Erat, » inquit, « invisibilis terra. » Quænam est causa? Quia circumfusam sibi abyssum habebat. Quid autem abyssus significat? Copiosam aquam, cujus fundus vix potest attingi deorsum versus. At complura corpora per tenuem et translucentem aquam scimus non raro videri. Quomodo igitur

nulla terræ pars sub aspectum cadebat per aquas? Quia effusus super eam aër, obscurus adhuc erat, et tenebris obductus. Nam solis radius cum per aquas penetrat, sæpe in imo gurgite calculos ostendit. At vero in profunda nocte nemo ea quæ sub aqua sunt, ullo pacto videre potest. Itaque id quod subjungitur : abyssus incumbebat, et ea erat tenebris obducta, in causa est cur terra fuerit invisibilis. Neque igitur abyssus adversariarum potestatum est multitudo, ut quidam imaginati sunt : neque tenebræ sunt principalis quædam ac mala potentia, bono opposita. Duo enim inter se contrarietate paria mutuo suam naturam destruent; ac indesinenter capient, exhibebuntque molestias, jugi inter se bello implicata. Quod si adversantium alterum alteri viribus præstet, victum omnino absumit. Quare si mali contrarietatem cum bono æquilibrem esse dicant, continuum bellum perpetuamque corruptionem inducunt; quandoquidem partim vincunt, partim vincuntur. Jam si viribus præpollet bonum; quid fuit causæ, cur mali natura non funditus sublata sit? Sin aliter, quod non licet dicere, miror quomodo se ipsi non abhorreant, ad tam nefanda maledicta delapsi. At neque malum a Deo generatum esse, dicere fas est, propterea quod nullum contrarium a contrario gignatur. Neque enim vita mortem generat, neque tenebræ lucis principium sunt, neque morbus opifex est sanitatis : sed in affectionum commutationibus, e contrariis ad contraria fiunt transitiones : in generationibus vero, res singulæ quæ fiunt, non ex contrariis, sed ex congeneribus producuntur. Proinde, inquiunt, si neque ingenitum est malum, neque a Deo genitum, unde naturam habet? Nam mala esse nemo vitæ particeps negaverit. Quid igitur dicimus? Malum scilicet non substantiam esse viventem, aut animatam : sed animæ affectionem virtuti

contrariam, desidiosis ac inertibus, propterea quod a bono deciderunt, inditam.

V. Malum itaque forinsecus ne circumspicias, neve primigeniam quamdam malignitatis naturam commi-niscare : sed suæ quisque malitiæ se ipsum agnoscat auctorem. Nam semper eorum quæ fiunt, alia quidem a natura nobis contingunt, ut senectus et infirmitates : alia vero a casu, puta inopinati quarumdam rerum sæpe tristium, aut etiam lætarum eventus, ex alienis principiis adnascentes : velut puteum fodienti, thesauri inventio, aut ad forum progredienti rabidi canis occursus. Alia tandem in nostra potestate et arbitrio sunt posita, ut cupiditates superare, aut voluptatibus modum non ponere : velut iram continere, vel in eum qui injuria lacessivit, manum injicere : item verum dicere aut mentiri : mansuetum moribus esse et moderatum, aut tumidum et superbia elatum. Quorum itaque tu ipse dominus es, cave quæras horum principia aliunde : sed malum proprie dictum noveris a voluntariis lapsibus incepisse. Nam si malum non esset voluntarium, nec in nostra potestate situm, injuriam inferentibus non impenderet tantus timor a legibus, sicque judiciorum pœnæ quæ meritam maleficis rependunt mercedem, forent inevitabiles. Atqui hæc mihi de eo quod proprie malum est, dicta sint. Morbum enim, paupertatem, ignominiam, mortem, et omnia quæcumque hominibus molesta sunt in malorum numero par non est recensere : eo quod neque ea quæ his opponuntur, inter maxima bona annumeramus. Quorum aliqua insunt natura : aliqua vero etiam utiliter multis accidisse constat. Omnem igitur interpretationem, tropis et allegoriis constantem, in præsentia prætermittentes, tenebrarum notionem simpliciter et citra curiositatem, sensum Scripturæ secuti,

accipiamus. Inquirit autem ratio, an simul cum mundo factæ sint tenebræ, et utrum antiquiores sint luce, et cur id quod deterius est prius extiterit? Dicimus igitur hasce tenebras non secundum substantiam substitisse : sed fuisse in aëre affectionem, ex luminis privatione provenientem. Et vero mundi locus cujusnam lucis illico inventus est exors, adeo ut tenebræ super aquam essent? Sane si quid ante erat (2), quam hic mundus sensibilis atque corruptioni obnoxius constitueretur, profecto id arbitramur in lumine fuisse. Neque enim Angelorum dignitates, neque cœlestes quotquot sunt exercitus, neque tandem si quæ aliæ sunt rationales naturæ, aut si qui alii sunt administri spiritus, sive habeant nomen, sive non, degebant in tenebris : sed in luce et in omni lætitia spirituali statum sibi convenientem habebant. Atque his contradicet nemo, non is certe, qui in bonorum promissis cœlestem lucem expectat, de qua Salomon ait : « Lux » justis semper[1]. » Et Apostolus : « Gratias agentes Deo et » Patri qui dignos nos fecit in parte sortis Sanctorum in » lumine[2]. » Etenim si damnati mittuntur in tenebras exteriores : utique qui opera laude ac commendatione digna peregerunt, in cœlesti lumine requiem possident. Quoniam igitur Dei jussu est cœlum factum, sic ut rebus intra suam ipsius circumferentiam contentis derepente circumfunderetur; haberetque corpus continuum quod ab externis interna sejungere posset, necessario locum a se comprehensum obnubilavit, interciso scilicet externo splendore. Tria enim ad umbram concurrere oportet, lucem, corpus, obscurum locum. Itaque per cœlestis corporis umbram mundanæ constiterunt tenebræ. Quod autem dicimus, id intellexeris evidenti exemplo, si in

[1] Prov. XIII, 9. — [2] Coloss. I, 12.

meridie ferventissima tabernaculum aliquod ex densa et impenetrabili materia tibi ipse circumposueris, atque in tenebris extemporalibus teipsum incluseris. Velim igitur ponas et has tenebras tales fuisse, nec per se substitisse, sed alias subsecutas esse. Hæ sane tenebræ etiam abysso insidere dicuntur, quod extremæ aëris partes cum corporum superficie solent conjungi. Tunc autem aqua omnibus superstabat. Quapropter necessario tenebras super abyssum extitisse dictum est.

VI. « Et Spiritus Dei, » inquit, « ferebatur super » aquas. » Sive spiritum hunc dicat diffusionem esse aëris, partes mundi tibi a Scriptore enumerari intelligas : quippe fecit Deus cœlum, terram, aquam, aërem, eumque diffusum jam et diffluentem. Sive, quod et verius est, et majoribus nostris comprobatum, Spiritus Dei, Sanctus ille dictus sit : eo quod observatum est Scripturam eum ejusmodi appellatione peculiariter ac præcipue dignari, ac nullum alium Spiritum Dei nominare, quam Sanctum illum, qui divinam et beatam Trinitatem complet. Hanc quoque sententiam si admiseris, plus ex ea percepturus es emolumenti. Quomodo igitur « ferebatur super aquas ? » Dicam tibi non meam, sed viri Syri sententiam, qui tantum a mundi distabat sapientia, quantum ad rerum verarum scientiam appropinquabat. Aiebat igitur vocem Syrorum et significantiorem esse, et ob suam cum Hebraïca lingua cognationem, quodam modo ad Scripturarum sensum propius accedere. Itaque talem dicebat esse hujus dicti sententiam. Illud, inquiebat, verbum, « ferebatur, » interpretantes sumunt pro verbo, « confovebat, » et ita naturæ aquarum vim tribuebat fetificandi, instar incubantis avis, et vitalem quamdam facultatem iis quæ foventur impartientis. Talem quamdam intelligentiam

aiunt hac voce indicari. Nimirum « ferebatur Spiritus » super aquas », hoc est, naturam aquæ ad feturam præparabat. Quare quod a quibusdam quæritur satis ex hoc liquet, nempe ab actu creandi Spiritum sanctum non abfuisse.

VII. « Et dixit Deus, fiat lux. » Prima Dei vox lucis naturam creavit, dissipavit tenebras, dispulit mœstitiam, mundum illustravit, et acervatim gratum ac jucundum aspectum universis impertivit. Nam et cœlum apparuit, antea in tenebris delitescens; visa est et ipsius pulchritudo, eaque tanta, quantam etiam nunc oculi testantur. Illustrabatur autem aër; imo permixtam sibi lucem habebat totam in se tota, celeres fulgoris distributiones ad suos ipsius terminos quaquaversum transmittens. Sursum enim ad ipsum usque æthera et usque ad cœlum pervenit : in latitudine vero omnes mundi partes, tum Aquilonares, tum Australes, tum Orientales, tum Occidentales in brevi temporis momento illuminabat. Talis est enim ipsius natura, tenuis scilicet et pellucida; adeo ut lux per ipsum transiens, nulla temporis mora indigeat. Quemadmodum enim contuitus oculorum nostrorum ad ea quæ sub aspectum cadunt, citra temporis moram deducit : sic etiam luminis accessum minima mora et temporis momento ita brevi, ut a nemine possit excogitari brevius, in omnes suos fines suscipit. Quin etiam æther post ortam lucem jucundior evasit, necnon aquæ limpidiores fuere, non fulgorem modo suscipientes, sed eum ex se ipsis etiam per lucis repercussum remittentes, vibrato undelibet ab aqua splendore. Divina vox ad jucundissimum et præstantissimum statum transmutavit omnia. Ut enim qui oleum in aquæ fundum immittunt, in illum locum inducunt claritatem : ita universorum conditor statim atque

locutus est, lucis gratiam mundo repente intulit. « Fiat » lux. » Sane hoc præceptum, opus erat : et facta est natura, qua jucundius quidquam ad fruendum ne excogitare quidem potest humana ratio. Cum autem in Deo vocem, verbumque et præceptum dicimus, non sonum per vocalia organa emissum, non aërem lingua conformatum, divinum sermonem intelligimus : sed voluntatis nutum, ut discentium oculis res subjecta esset, in præcepti speciem adaptari arbitramur. « Et vidit Deus » lucem quod esset pulchra. » Quasnam laudes luce dignas dixerimus nos : quam pulchram esse conditor in antecessum testatus est? Imo vero apud nos ipsis oculis judicium defert oratio, cum tantum nihil queat prædicare, quantum sensus antevertens declarat. Sed si corporis pulchritudo ex partium inter se symmetria, ac apparente coloris bonitate oritur, quomodo in luce quæ natura simplex est, similibusque constat partibus, pulchritudinis ratio conservatur? Num propterea quod lucis temperatio non in propriis ipsius partibus, sed in quadam hilaritate et lenitate visui se offerente inesse perhibetur? Sic enim pulchrum est etiam aurum, quod non ex partium commensu, sed ex sola coloris bonitate, illicium et jucunditatem ad visum exhilarandum obtinet. Hesperus quoque stellarum est pulcherrimus, non quod in partibus quibus constat, insit proportio et symmetria, sed quod jucundus quidam et suavis splendor ex ipso ad oculos accedat. Præterea hoc Dei de pulchritudine judicium, non modo ad visus delectationem respicientis, sed etiam ad futuram ipsius utilitatem prospicientis, factum est. Nondum enim pulchritudinis lucis judices erant oculi. « Et divisit Deus inter lucem, et » inter tenebras. » Hoc est, utrarumque naturam mixturæ, cujuscumque incapacem, et alteram alteri ex

adverso oppositam Deus reddidit. Hæc enim magno inter se intervallo discrevit ac separavit.

VIII. « Et vocavit Deus lucem, diem, et tenebras voca- » vit noctem. » Nunc quidem de reliquo post solis generationem dies est aër ipse, a sole illuminatus, dum in hemisphærio quod super terram est, lucet : nox vero est, quæ occultante se sole intervenit telluris obscuratio. Tunc autem non secundum motum solarem, sed primigenia illa luce effusa, et rursus contracta, secundum præfinitam a Deo mensuram, fiebat dies, et nox succedebat. « Et facta est vespera, et factum est mane dies unus. » Vespera igitur diei ac noctis est communis terminus : et similiter mane, est noctis cum die vicinitas. Itaque ut prioris generationis prærogativam diei tribueret, prius commemoravit finem diei, deinde noctis, velut insequente diem nocte. Nam qui status in mundo fuit ante lucis generationem, is non erat nox, sed tenebræ : quod autem a die distinguebatur, eique opponebatur, id nox appellatum est; quod idem recentiorem etiam appellationem post diem obtinuit. « Facta est igitur vespera, et » factum est mane. » Diei et noctis dicit spatium, nec amplius usus est his nominibus, « dies et nox : » sed præstantiori totam tribuit appellationem. Hanc utique consuetudinem invenies in tota Scriptura observatam : nimirum in metiendo tempore dies enumerari, non noctes una cum diebus. « Dies annorum meorum [1], » ait Psalmorum cantor. Et iterum Jacob : « Dies vitæ meæ » parvi et mali [2]. » Item rursus : « Omnibus diebus vitæ » meæ [3]. » Quare quæ nunc in historiæ speciem tradita sunt, ad ea quæ sequuntur regulæ sunt atque legislationes. « Et facta est vespera, et factum est mane, dies » unus. » Quam ob causam, non dixit primum, sed

[1] Psalm. LXXXIX, 10. — [2] Gen, XLVII, 9. — [3] Psal. XXII, 6.

unum diem, quanquam erat convenientius, ut is qui secundam, tertiam, et quartam diem subinde memoraturus erat, eam diem quæ subsequentium exordium fuit primam nuncuparet? Sed unam dixit, qui scilicet diei et noctis definierit mensuram, et diei ac noctis tempus simul conjunxerit : quandoquidem unius diei spatium complent viginti quatuor horæ, si videlicet dies et nox simul intelligantur. Quamobrem etiamsi in solstitiis alteram ab altera accidat superari, tamen definito tempore spatium utriusque omnino circumscribitur; tanquam si dixisset : viginti quatuor horarum mensura, unius diei est spatium : vel, cœli ab eodem signo ad idem reditus, uno die peragitur. Itaque quoties vespera et mane mundum occupant per solis conversionem, non prolixiore tempore, sed in unius diei spatio expletur circuitio. An ea ratio in arcanis tradita, potior est ac validior, quod Deus qui temporis constituit naturam, mensuras ei ac signa, nimirum dierum spatia impertivit; ac hebdomade ipsum dimetiens, hebdomadem qua temporis motus enumeratur, semper in se ipsam jubet revolvi, rursusque unum diem ubi in se ipsum septies redierit, hebdomadem conficere? Hæc est autem orbiculata figura, quæ a se ipsa incipit, et in se ipsam desinit. Quod sane hujus etiam sæculi proprium est, reverti in se ipsum, nec usquam terminari. Hanc ob causam temporis caput, non primam diem, sed unam vocavit; ut ex ipsa etiam appellatione cognationem cum ævo habeat. Dies enim qui principii unici et alteri insociabilis exhibet characterem proprie et apposite unus nuncupatus est. Quod si plura sæcula nobis ob oculos ponit Scriptura, dum multis in locis dicit : « Sæculum sæculi, et sæcula sæculo-
» rum ; » illic tamen neque primum, neque secundum, neque tertium sæculum nobis enumeratum est. Qua-

propter nobis potius statuum, variarumque rerum differentiæ, non autem circumscriptiones finesque et successiones sæculorum ex hoc demonstrantur. « Dies enim » Domini, » inquit, « magna est et illustris [1]. » Et iterum : « Ut quid vos quæritis diem Domini? et ea est tenebræ, et non lux [2]. » Nam utique iis qui digni sunt tenebris, tenebræ sunt. Enimvero illam diem vespera carentem, successionisque et finis expertem Scriptura novit : quam etiam Psalmorum cantor, propterea quod extra hoc tempus septenarium sita sit, octavam vocavit. Quare sive diem, sive sæculum dixeris, eamdem dices sententiam. Sive igitur dies, status ille dicatur; una est, et non multæ : sive appelletur sæculum, unicum utique fuerit, et non multiplex. Quare ut ad futuram vitam cogitationem nostram transferret, eam diem unam dixit, quæ sæculi est imago, primitiæ dierum, luci coæva, sancta Dominica, Domini Resurrectione honorata. « Facta est » igitur « vespera, » inquit, « et factum est mane, dies » una. » At enim hi sermones quos de illa vespera instituimus, dum a præsenti vespera attinguntur, hîc orationi nostræ finem imponunt. Pater autem veræ lucis, qui diem cœlesti lumine decoravit, qui ignis splendoribus illustravit noctem, qui futuri sæculi requiem spirituali jugique luce instruxit, illuminet in agnitione veritatis corda vestra, vestramque vitam conservet inoffensam, largiens vobis, ut in die honeste ambuletis : ut eluceatis in splendore Sanctorum veluti sol, ad meam ipsius exultationem in die Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Joël II, 11. — [2] Amos V, 18.

HOMILIA III.

De firmamento.

I. Primæ, seu potius, unius diei memorata sunt opera [1]. Absit enim ut ei eam adimamus dignitatem, quam in natura obtinet, utpote a conditore seorsum edita, nec in ordine aliarum annumerata. Attamen postquam ea quæ in ipsa facta sunt recensuit hesterna oratio; et postquam divisa auditoribus enarratione, ut matutinam animarum alimoniam, ita vespertinam lætitiam effecit, nunc ad secundæ diei miracula transit. Hoc autem dico, nec tamen refero ad enarrantis facultatem, sed ad eorum quæ scripta sunt gratiam, quæ a natura id habet ut facile excipiatur, omnique cordi eorum qui veritatem probabili anteponunt, blanda sit et grata. Juxta quod et Psaltes significantissime suavitatem exhibens veritatis, ait : « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super « mel ori meo [2]. » Postquam itaque hesterna de Dei eloquiis tractatione, quantum in nobis situm fuit, animas vestras exhilaravimus : iterum hodie secunda die convenimus, miracula operum secundæ diei spectaturi. At enim non me latet multos artium mechanicarum opifices circumstare nos, qui sibi ex diurna opera vix parantes victum, nos sermonem discindere ac decurtare cogunt, ut ne diutius ab opera distrahantur. Istis quid dicam? Nimirum istam temporis partem, Deo fenori

[1] Vide D. Guillon, VII, 95-98. — [2] Psal. CXVIII, 103.

datam, nequaquam perdi, sed magno cum incremento ab ipso rependi. Etenim quicumque casus impedimentum afferunt, eos Deus avertet; ac corpori robur, animo alacritatem, facilitatem commercii et prosperitatem per totam vitam iis qui spiritualia prætulerint, largiturus est. Etsi autem in præsenti non secundum spem succedunt nostra studia, at certe Spiritus doctrina pro futuro sæculo thesaurus bonus est. Tolle igitur ex corde omnem victus sollicitudinem, totumque te ipse mihi collige. Nec enim quidquam ex corporis præsentia percipitur emolumenti, si tuum cor in terreno thesauro comparando occupatur.

II. « Et dixit Deus : Fiat firmamentum in medio aquæ, » et sit discernens inter aquam et aquam. » Jam audivimus heri Dei verba : « Fiat lux. » Et hodie : « Fiat fir- » mamentum. » Amplius autem quiddam habere videntur præsentia : quandoquidem sermo non in nudo præcepto permansit, sed causam etiam cur firmamenti structura requiratur, declaravit, dum ait : « Ut sit discer- » nens inter aquam et aquam. » Primum quidem quod susceptum est, id inquiramus, quomodo Deus loquatur. Num more nostro prius rerum species imprimitur in intellectu : deinde post conceptam animo imaginem proprias et unicuique subjecto accommodas significationes seligens, enuntiat : num denique vocalium organorum ministerio cogitata committens, ita demum aëris impressionem, ad vocis motum articulate distinctum accommodatam, cogitationem internam manifestat? Et quomodo non fabulosum est, dicere Deum ad suas cogitationes declarandas circuitione tali indigere? Nonne magis pium est dicere, voluntatem divinam, primumque motionis intelligentis impetum, Verbum esse Dei. Porro verborum ambitu ipsum adumbrat delineatque Scriptura, ut

demonstret quod non voluerit solum fieri creaturam, sed eam etiam in lucem edi per quempiam operis sui socium ac consortem. Poterat enim, uti initio locutus fuerat, de singulis dicere : « In principio fecit Deus cœlum et » terram : » deinde, « fecit lucem : » tum « fecit firma- » mentum. » Nunc autem Deum imperantem et colloquentem inducens Scriptura, illum cui imperat, et quocum loquitur, tacite subindicat, quippe quæ nobis non invideat cognitionem, sed ad desiderium nos accendat; dum arcani vestigia quædam ac indicia commonstrat. Quod enim labore partum est, cum gaudio suscipitur, et diligenter conservatur : contra, quæ facile comparantur, ea cum contemptu possidentur. Quapropter via quadam et ordine nos ad Unigeniti notitiam perducit. Et certe vocali sermone non erat opus incorporeæ naturæ : quandoquidem quæ fuerant cogitata, isthæc cum eo qui operis socius ac consors erat, poterant communicari. Quamobrem quænam erat sermonis necessitas iis, ipsa cogitatione se invicem suorum consiliorum poterant facere participes? Nam vox propter auditum, et auditus propter vocem. Porro ubi non est aër, nec lingua, nec auris, nec meatus intortus sonos ad sensum in capite repositum referens : ibi neque verborum usus est : sed ex ipsa, ut ita dicam animi cogitatione fit voluntatis communicatio. Quare, quod aiebam, ut ad inquisitionem personæ ad quam hic sermo dirigitur, excitaretur mens nostra, sapienter atque scite illa loquendi forma usurpata est.

III. Disquirendum est secundo loco, an hoc firmamentum sit aliud quid ab eo cœlo, quod in principio factum fuerat : quod ipsum itidem appellatum sit cœlum, vel, utrum duo omnino sint cœli. Sed qui de cœlo disseruere philosophi, amittere linguas suas malint, quam id ceu verum admittere. Ponunt enim cœlum unum esse,

nec ejus esse naturæ, ut secundum, aut tertium, aut multiplex ei accedat; cum ut putant, tota cœlestis corporis substantia ad unicum constituendum fuerit consumpta. Etenim corpus in orbem circumactum, unum esse aiunt, illudque finitum esse : quod sane si omnino insumptum est, ad primum cœlum conficiendum, consequens fuerit ut nihil jam ad secundi, vel tertii generationem supersit. Hæc quidem fingunt, qui Opifici ingenitam materiam subministrant, ex hoc primo commento fabuloso ad subsequens mendacium delapsi : nos vero Græcorum sapientes rogamus, ut ne prius nos irrideant, quam inter se convenerint. Sunt enim inter ipsos, qui cœlos et mundos aiunt esse infinitos : quorum cum ineptias redarguerint ii, qui argumentis utuntur gravioribus, atque geometricis demonstrationibus probaverint id naturæ repugnare, ut cœlum aliud præter unum fiat; tunc eorum lineares artificialesque nugas etiam magis deridebimus. Siquidem etsi ob similem causam fieri vident sive unam, sive multas bullas, nihilominus de cœlorum multitudine dubitant, an potestas effectrix eos in lucem edere potuerit. Quorum robur ac magnitudinem, cum ad divinæ potentiæ præstantiam respicimus, ab eo humore concavo qui in fontibus salientibus intumescit nihil differre putamus. Quare id fieri non posse ridicule dicunt. Sed tantum abest, ut nos de altero cœlo dubitemus, ut etiam tertium cujus aspectu beatus Paulus dignatus est, inquiramus[1]. Psalmus autem dum nominat cœlos cœlorum, plurium etiam tribuit nobis notitiam. Neque vero hæc stupenda sunt magis, quam septem circuli : in quibus stellas septem ferri omnes uno fere consensu confitentur : quos etiam alterum alteri instar cadorum in se mutuo insertorum, aptatos esse astruunt. Quin etiam

[1] Cor. XII, 2.

hosce circulos contrario universi motui cursu abreptos, diffiso ab ipsis æthere, gratum quemdam ac concinnum sonum contendunt reddere, adeo ut melodiæ suavitatem omnem exsuperet. Deinde cum ii qui talia dicunt, sensuum fidem ac testimonium rogantur, quid respondent? Nos ob eam quam initio cum sono habemus consuetudinem, huic eidem sono a primo ortu assuetos, sensu isto præ frequenti audiendi exercitatione privari, perinde atque hi quorum aures in officinis ærariis assidue obtunduntur. Quorum confutare cavillationem ac futilitatem, ita aperte omnibus ex primo auditu se prodentem, viri non est, qui aut parcere sciat tempori, aut audientium intelligentiam conjectet. Verum externa externis relinquentes, nos, ad ecclesiasticum revertimur sermonem. Dictum est igitur a quibusdam, qui nos præcessere, non secundi cœli generationem hanc esse, sed ampliorem prioris explanationem : propterea quod illic cœli et terræ creatio in summa traditur, hîc vero Scriptura modum quo singula facta sunt, accuratius nobis et perfectius exponit. Nos autem, cum et nomen aliud et munus secundi cœli proprium traditum sit, dicimus hoc cœlum ab eo quod in principio conditum fuit, aliud esse : siquidem solidioris est naturæ, ac præcipuam universo affert commoditatem.

IV. « Et dixit Deus : fiat firmamentum in medio » aquæ, et sit discernens inter aquam et aquam. Et fecit » Deus firmamentum : et divisit Deus inter aquam quæ » erat sub firmamento, et inter aquam quæ erat super » firmamentum. » Sed antea quam Scripturæ sententiam attingamus, id quod ab aliis objicitur, dissolvere enitamur. Percontantur enim nos, si sphærale est firmamenti corpus, ut ipsi testantur oculi, si itidem aqua diffluere, et e supernis quaquaversum dilabi soleat, quomodo

potuerit in gibba firmamenti circumferentia retineri? Quidnam ad hoc respondebimus? In primis quidem, quod etiamsi quidpiam a nobis rotundum conspiciatur secundum internam convexitatem, nequaquam necesse sit externa etiam superficie ad sphæræ modum confectum fuisse, aut totum esse perfecte tornatile, ac plane et æquabiliter circumductum : quandoquidem lapidea balneorum tecta, et ædium in antri speciem ædificatarum structuras videmus; quæ licet in semicirculi formam ex parte interni aspectus circumducantur, sæpe tamen in superioribus tecti partibus levem ac planam habent superficiem, neque igitur hujus rei gratia facessant negotia sibi ipsis, neque nobis exhibeant, quasi aquam in supernis partibus detinere non valeamus. Consequens autem fuerit dicere quæ sit natura firmamenti, et ob quam causam jussa sit medium quemdam inter aquam locum obtinere. Solet Scriptura in iis rebus quæ robore ac viribus præpollent, nomen firmamenti usurpare. Velut cum dicit : « Dominus firmamentum meum, et refugium » meum[1]. » Et, « Ego confirmavi columnas ejus[2]. » Et illud : « Laudate eum in firmamento virtutis ejus[3]. » Et quidem philosophi hoc corpus dicunt firmum, quod quasi solidum est et plenum, quod ita appellatur, ut a mathematico distinguatur. Est autem mathematicum, quod in solis consistit dimensionibus in latitudine, inquam, ac profunditate et longitudine. Firmum autem illud est, in quo præter dimensiones durities etiam et renixus inest. Porro Scriptura quod validum est et inflexibile, firmamentum vocare consuevit, ita ut etiam aërem valde densatum designatura, sæpe hac ipsa voce utatur, velut cum dicit : « Firmans tonitru[4]. » Soliditatem enim

[1] Psal. XVII, 3. — [2] Ibid. LXXIV, 4. — [3] Ibid. CL, 1. — [4] Amos IV, 13.

et renixum spiritus, qui in nubium finibus inclusus, ob violentam eruptionem fragorem tonitruum edit, tonitrui firmitatem scriptura appellavit. Itaque et hic hanc vocem pro firma quadam natura quæ aquam lubricam ac facile dissolubilem continere possit, usurpatam esse arbitramur. Nec vero, quoniam firmamentum ex communi acceptione ab aqua ortum traxisse videtur, putandum est illud simile esse aut aquæ congelatæ, aut tali cuidam materiæ, ex humore percolato principium accipienti : qualis est natura aut crystalli lapidis, quem ob præstantissimam aquæ congelationem transmutari aiunt : aut specularis lapidis, qui inter metalla concrescit. Est autem hic lapis pellucidus, peculiari ac purissima claritate donatus, qui si pro sua natura sincerus et absolutus repertus est, neque ulla exesus putredine, neque fissuris sese ad interiores usque partes extendentibus divisus, splendore aëri fere similis existit. Nulli igitur horum comparamus firmamentum. Puerilis enim revera et simplicis animi est, tales de cœlestibus habere opiniones. Neque tamen quoniam cuncta in cunctis insunt, ignis quidem in terra, aër vero in aqua, et ex aliis similiter alterum in altero, nec ut ullum est elementorum sub sensus cadentium purum et sincerum, omnem sive cum medio, sive cum opposito societatem excludens, non idcirco dicere audemus, firmamentum aut ex uno simplicium conflari, aut ex his permixtionem quamdam esse : quandoquidem edocti sumus a Scriptura, ut nihil menti nostræ præter ea quæ concessa sunt, permittamus comminisci. Nos autem ne hoc quidem annotare omittamus, quod posteaquam præceperat Deus : « Fiat firmamentum; » non dictum est simpliciter : « Et factum est firmamentum ; » sed ; « et fecit Deus firmamentum. » Et rursum : « divisit » Deus. » Audite surdi, et cæci suspicite. Sed ecquis

surdus est, nisi is, qui Spiritum non audit, magna adeo voce inclamantem? Ecquis vero cæcus est? Ille ipse est qui adeo clara de Unigenito argumenta non videt. « Fiat » firmamentum. » Hæc vox est primariæ et principalis causæ. « Fecit Deus firmamentum. » Hoc est effectricis potentiæ atque creatricis testimonium.

V. Sed ad interpretationem continuandam sermonem revocemus. « Sit discernens », inquit, « inter aquam et » aquam. » Infinita erat, ut videtur, aquarum effusio, cum quaquaversus inundarent terram, ac supra ipsam suspenderentur : ita ut ipsas inter et cætera elementa videatur esse proportio nulla. Propterea enim dicebatur antea abyssus terram undique circumdedisse. Verum ejus copiæ causam in sequentibus proferemus in medium. Profecto autem nemo vestrum, ne eorum quidem qui mentem habent valde exercitatam, atque in hac mortali et fluxa natura acute vident, opinionem hanc impetet, quasi res quæ secundum rationem fieri non possunt, aut quæ commentitiæ sunt, proponamus, neque a nobis exiget, ut supra quo fulcro natura aquarum firmata sit, disquiramus. Qua enim ratione terram aqua graviorem ab extremis abducunt et in medio pensilem collocant : eadem sane omnino et infinitam illam aquam tum propter naturalem quemdam deorsum versus impetum, tum propter æquale ex omni parte pondus, circum terram quiescere concessuri sunt. Igitur terræ circumfusa erat immensa aquæ natura, nec tamen ipsi cum ea inerat proportio, sed eam longe superabat, opifice magno futurum sic initio prospiciente : ac propter necessitatem consequentem prima ordinante. Quid igitur opus erat, ut aqua amplius quam dici queat exsuperaret? Quoniam ignis substantia necessaria est universo, non ad constituendas solum res terrestres, sed

ad universum etiam complendum. Nam mutilum esset totum, si uno hoc maximo et omnium opportunissimo elemento destitueretur. Jam vero hæc sibi mutuo adversantur, et alterum alterius parit corruptionem : corrumpit nimirum aquam ignis, cum præstat viribus : destruit vero ignem aqua, cum copia prævalet. Oportebat autem neque seditionem inter se esse, neque dissolutionis dari occasionem universo, ob integrum alterius defectum. Tantam humoris naturam præstitit totius gubernator, ut usque ad statutos constitutionis mundi terminos, dum paulatim ignis vi absumitur, resisteret. Et vero qui cuncta pondere et mensura disposuit (numerabiles enim sunt ipsi secundum Job vel pluviæ guttæ[1]) noverat ille quanto tempore secundum præscriptum suum duraturus esset mundus, quantumque pabuli oporteret igni præparatum. Eam ob causam aqua in creatione sic abundavit. Atqui nullus usque adeo extra vitam positus est, ei ut sit opus, ut ignem mundo necessarium esse ratione edoceatur : non solum quod artes quibus nostra vita conservatur, ignis efficientia indigeant omnes, textoria, inquam, sutoria, architectonice et agricultura, sed quod neque arborum germinatio, neque maturitas fructuum, neque aut terrestrium aut aquatilium animalium generatio, neque horum alimenta, aut constitissent ab initio, aut ad tempus perseverassent, calore non præsente. Necessaria igitur est caloris creatio; ut ea quæ gignuntur, et coagmentari possint et permanere. Rursus aquæ abundantia erat pernecessaria, quod vi ignis consumens interquiescere non queat, neque vitari.

VI. Circumspice omnes res creatas, et caloris vim in omnibus quæ generantur ac corrumpuntur, videbis

[1] Job. XXXVI, 27.

dominari. Idcirco multa aqua effusa est super terram, atque ultra ea quæ sub aspectum veniunt, transvecta est, insuper toti terræ profunditati fuit inspersa. Unde fontium copia, congeriesque puteorum, et fluenta fluviorum tam eorum qui torrentes sunt, quam eorum qui perennes, ut in multis et variis promptuariis conservaretur humiditas. Equidem ex Oriente ab hiberno solstitio Indus fluvius manat, flumen omnium fluvialium aquarum maximum, velut hi qui terræ circuitum descripsere, prodiderunt : a medio autem orientis Bactrus, et Choaspes, et Araxes, a quo et Tanais diffissus in Mæotidem paludem dilabitur. Et præter hos Phasis a Caucasiis montibus effluens, et innumeri alii a septemtrionalibus locis in Pontum Euxinum feruntur. Contra, ab occasu æstivo sub Pyrenæo monte et Tartessus et Ister : quorum ille quidem in mare extra columnas exoneratur; Ister vero per Europam fluens, in Pontum effunditur. Et quid attinet alios enumerare, quos Ripæi montes qui ultra intimam Scythiam siti sunt, generant? Quorum ex numero est et Rhodanus cum infinitis aliis fluviis, usque navigabilibus, qui occidentales Galatas, Celtasque et vicinos ipsis barbaros præterlabentes, in occidentale pelagus omnes influunt. Alii e meridie a supernis plagis per Æthiopiam partim in nostrum perveniunt mare, partim in illud quod extra navigabile jacet, exonerantur; Ægon nimirum et Nyses, et Chremes quem vocant, et Nilus quoque, qui neque fluviis natura est similis, cum instar maris inundet Ægyptum. Sic hujus terræ nostræ habitabilis locus aqua circumseptus est, et adeo multiplici alligatus mari, ac innumeris fluviis perennibus irriguus per ineffabilem sapientiam ejus, qui adversam igni naturam consumi vix posse statuit. Erit quidem tempus cum et igne ardebunt omnia; velut ait Esaias, ubi Deum allo-

quitur universorum : « Qui dicis abysso, desolaberis, et » omnes fluvios tuos arefaciam[1]. » Quamobrem sapientia quæ infatuata est, abjecta, suscipe nobiscum veritatis doctrinam, imperitam quidem sermone, stabilem vero firmamque cognitione.

VII. Idcirco « fiat firmamentum in medio aquæ, et » sit discernens inter aquam et aquam. » Dictum est quid significet in Scriptura firmamenti vocabulum. Nimirum firmamentum non dicit quamdam esse naturam resistentem ac solidam, gravitate et renixu præditam. Alioqui hoc pacto id sibi nominis potius vindicasset terra. Sed quia natura superiorum corporum tenuis est et rara, nec ullo potest sensu percipi, ideo firmamentum hoc vocavit, comparatione eorum, quæ tenuissima sunt, nec sub ullum sensum cadunt. Porro quemdam mihi locum cogita, humoris discernendi facultate præditum, qui humorem quidem tenuem et percolatum sursum transmittat, crassissimum vero et terreum deorsum versus demittat, ut, subtrahentibus se paulatim humoribus, ab initio ad finem usque temperies eadem conservetur. Tu vero hanc aquæ copiam a fide abhorrere censes : sed ad copiam non respicis caloris, qui tametsi quantitate parvus, multum tamen humoris vi sua consumere potest. Attrahit quidem adjacentem humorem, velut indicat cucurbitula : consumit vero attractum, instar videlicet ignis lucernarum, qui per ellychnium alimentum vicinum attrahens, cito illud in fuliginem transmutat. Jam vero æthera quis ambigit esse ignitum et ardentem ? qui nisi ineluctabili conditoris præscripto coërceretur, quidnam eum prohibuisset, contiguis omnibus rebus inflammatis ac combustis, omnem simul earum humiditatem absumere ? Quapropter aqua aëria oritur tum, cum locus

[1] Esa. XLIV, 27.

supernus ab evectis sursum vaporibus, quos fluvii, fontes, vada, paludes ac maria omnia emittunt, obnubilatur; ut ne æther invadat, concremetque universa; cum hunc etiam solem videamus in æstiva tempestate madidam et cœnosam regionem plerumque humoris prorsus expertem ac siccam brevissimo temporis momento relinquere. Quo quæso abiit aqua illa? ostendant nobis illi rerum omnium scientia præditi. Annon cuivis liquet eam calore solis in vaporem solutam esse atque consumptam? Quamobrem ne calidum quidem solem esse illi dicunt : adeo loqui ipsis vacat. Verum considerate quali demonstratione nixi, evidentiæ reluctantur. Quoniam, inquiunt, colore albus est, non autem subruber, nec flavus, ideo neque suapte natura ignitus est : sed et ejus calorem ex veloci circumactu affirmant oriri. Quid sibi inde commodi asciscunt? ut nihil consumere humorum sol existimetur. Ego vero tametsi id quod ab ipsis dicitur, verum non est; tamen id ipsum tanquam quod meam sententiam comprobet, non respuo. Nam aquarum copia ob eam quæ a calore efficitur consumptionem, necessaria esse dicebatur. Jam vero ad eosdem in eisdem materiis producendos effectus nihil interest, utrum sol suapte natura sit calidus, an ex affectione ardor ei accesserit. Sive enim ligna inter se mutuo confricta, ignem ac flammam exsuscitent, sive accensa flamma combusta fuerint, par et consimilis finis ex utroque resilit. Cæterum magnam ejus qui omnia gubernat, sapientiam cernimus, solem aliunde alio transmoventem, ut ne in iisdem locis semper commorans, rerum ordinem per caloris redundantiam devastet. Sed nunc quidem ad austrinam partem circa hyberna solstitia transvehit, nunc vero ad æquinoctialia transfert signa : et inde ad septemtrionalia in æstivis solstitiis reducit : adeo ut eo sensim transeunte,

in locis terrenis temperies conservetur. Videant autem an ipsi secum non pugnent, qui scilicet mare dicant fluminibus non redundare ob eam quæ a sole fit consumptionem ac insuper salsum et amarum relinqui, eo humore qui tenuis est ac potui aptus, absumpto; quod ipsum accidit maxime ex ea quam sol habet discernendi facultate, qua id quod leve est, abripit, crassum vero et terrestre tanquam limum et fecem relinquit : unde amaritudo, et salsugo et siccandi facultas mari inest. Porro qui talia de mari garriunt, rursus mutata sententia humorem a sole nihil imminui affirmant.

VIII. « Et vocavit Deus firmamentum cœlum », ita ut proprie quidem conveniat alteri isthæc appellatio, similitudine vero firmamentum quoque hujus nominis sit particeps. Cæterum aspectabilem hunc locum dici cœlum sæpe observavimus, ob densitatem continuitatemque aëris, offerentis se clare nostro aspectui, et ex eo quod videtur, cœli nomen obtinentis, ubi videlicet ait scriptura : « Volucres cœli[1] » Et iterum : « Volantia secun» dum firmamentum cœli[2] » Tale est et illud : « Ascendunt » usque ad cœlos[3] ». Et Moyses benedicens tribui Joseph : a fructibus cœli et rore, et a solstitiis et coïtionibus lunarum, et a vertice montium, et collium æternorum benedictiones impertit : quippe quod circumjacens telluri locus per horum temperiem fecundetur. Quin et in maledictis israëli, « Et erit », inquit, « tibi cœlum quod » caput est, æneum[4] ». Quid his verbis indicare vult? Omnimodam siccitatem, et aquarum aëriarum defectum, quibus telluri fertilitas fructuum confertur. Cum igitur deferri de cœlo rorem aut pluviam dicit; tum aquas eas quæ supernam regionem occupare jussæ sunt, intelligi-

[1] Psal. viii, 9. — [2] Genes. i, 20. — [3] Psal. cvi, 26. — Deut. xxxiii, 13. — [4] Ibid. xxviii, 23.

mus. Collectis enim in sublimi vaporibus, et aëre per ventorum compressionem condensato, ubi humiditates, prius in modum vaporis tenuiterque nubi inspersæ, inter se mutuo cohæserunt, tunc gignuntur guttæ, ad ima concretorum humorum pondere decidentes; atque hic est pluviæ ortus. Cum vero humor vi ventorum dissectus, in spumam redactus est, cumque deinceps summe refrigescens, totus omnino congelatus est, tum fracta nube nix delabitur. Et in summa, ob eamdem rationem licet tibi omnem humoris naturam circum aërem capiti nostro superstantem cernere. Nemo autem spiritualium sermonum simplicitatem ac incultum cum curiositate eorum qui de cœlo philosophati sunt, comparet. Quanto enim castarum pulchritudo meretricia præstabilior est, tanto sermones nostri externis præstant. Hi namque probabilitatem vi extortam suis sententiis conciliant : hîc vero nuda et ab artificiis vacua proponitur veritas. Sed quid opus est nos in mendaciis ipsorum confutandis fatigari : quibus satis fuerit, si libris ipsorum inter se collatis, belli ipsorum spectatores in summo otio sedeamus. Nam neque numero pauciores, neque dignitate inferiores, sed loquacitate etiam longe præstantes contrariæ sibi opinioni refragantur, ii qui universum aiunt comburi, ac iterum ex seminalibus quibusdam rationibus quæ in rebus exustis remanent, reviviscere. Unde etiam infinitas mundi corruptiones, et regenerationes inducunt. Verum illi quidem utrinque a veritate dissiti, hinc et inde ad errorem sibi ipsis diverticula inveniunt.

IX. Quin etiam aliquis nobis adversus ecclesiasticos quosdam scriptores (3) de discretis aquis habendus est sermo : qui anagoges et sublimioris intelligentiæ nomine confugerunt ad allegorias, adeo ut spiritales et incorporeas virtutes asserant per aquas tropice significari : et

sursum quidem supra firmamentum mansisse præstabiliores, deorsum vero in terrestribus crassisque locis malignas subsedisse. Propterea dicunt et eas aquas quæ supra cœlos locatæ sunt, Deum laudare, hoc est, bonas potestates; ob mentis munditiam dignas; quæ convenientem conditori laudem exsolvant : aquas vero infra cœlos constitutas, spiritales malignitates esse, a naturali sublimitate ad imam nequitiam delapsas. Quas, utpote turbulentas seditiosasque et affectuum tumultibus exæstuantes, docent maris nomine fuisse vocatas, ob motuum a voluntate proficiscentium instabilitatem atque inconstantiam. Tales porro sermones veluti somniorum interpretationes et aniles fabulas rejicientes, aquam, aquam intelligamus, et secretionem a firmamento factam juxta allatam rationem accipiamus. Verum etiamsi aquæ illæ supra cœlos constitutæ nonnunquam ad universorum communem Dominum laudandum adhibeantur; non idcirco eas naturam rationalem esse putamus. Neque enim animati sunt cœli, eo quod « Dei enarrant gloriam [1] : » neque firmamentum animal est sensu præditum, eo quod « opus manuum ipsius annuntiat. » Et si dicat quis cœlos quidem esse contemplativas virtutes, firmamentum vero potestates actuosas, et eorum quæ decent effectrices : hunc sermonem quidem tanquam solerter confictum suscipimus, sed verum esse non omnino concedemus [1]. Sic enim et ros, et pruina, et frigus, et æstus, propterea quod apud Danielem laudare universorum opificem, jussa sint, erunt spiritualis quædam et invisibilis natura. Sed hæc loquendi ratio, si in illis locis a sagacibus modo spiritali accipiatur, Creatoris laudationem complet. Etenim non solum aqua supra cœlos reposita, tanquam

[1] Psal. XVIII, 2. — [2] Cap. III.

quæ præcipuis honoribus ob præstantiam in se ex virtute insidentem condecoretur, Deo laudem persolvit : sed etiam, « Laudate eum, inquit, et quæ ex terra estis, » dracones et omnes abyssi [1]. » Quare et abyssus quam in pejorem partem ii qui allegoriis utuntur, rejecerant, ne ipsa quidem Psalmorum cantori visa est aspernabilis et rejectanea, cum in communem ascita sit chorum creaturarum : imo etiam illa pro indito sibi modo concinne hymnorum cantum impertit Conditori.

X. « Et vidit Deus quia pulchrum est. » Oculis Dei jucunditatem res ab ipso factæ nequaquam afferunt : neque talis est apud ipsum rerum pulchrarum commendatio, qualis apud nos : sed id pulchrum est, quod ad artis rationem perfectum et absolutum est, atque ad finis utilitatem tendit. Qui igitur manifestum eorum quæ fiunt finem sibi proposuit, res singulas uti finem complentes ad artis suæ rationes recognoscens, comprobavit. Etenim si manus seorsum, aut oculus privatim, aut unumquodque statuæ membrum separatim jaceret, hæc ubique non cuivis pulchra viderentur : si vero in proprium locum ac ordinem reponantur, tum pulchritudo ex proportione emergens, quæ modo vix in conspectum veniebat, jam vel cuivis rudi et imperito manifesta evadit. Verum artifex ante commissuram novit cujusque partis pulchritudinem, laudatque singula, utpote qui ad eorum finem animum intendat. Deus itaque et nunc depingitur ceu talis quispiam artifex, qui opera singula laudat, imo etiam toti simul mundo absoluto congruam laudem non dubitat tribuere. Cæterum nostri de secunda die sermones hîc desinant, quo studiosis auditoribus temporis opportunitas præbeatur ea quæ audiverunt expendendi,

[1] Psal. CXLVIII 7.

ut si quid utile in ipsis sit, idipsum memoria conservent, ac per sedulam meditationem velut per quamdam coctionem, eorum quæ utilia sunt expectent digestionem : utque detur otium his qui victu comparando occupantur, ut intermedio tempore negotia disponentes, anima curis purgata ad vespertinas sermonum epulas occurrant. Deus autem qui tanta effecit, et quo disponente pauca hæc dicta sunt, tribuat vobis in omnibus suæ veritatis intelligentiam, ut per visibilia invisibilem cognoscatis, atque ex magnitudine, ac pulchritudine creaturarum decentem de conditore nostro opinionem per concipiatis. « Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per » ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur : sempiterna » quoque ejus virtus, et divinitas [1] : » adeo ut in terra, in aëre, in cœlo, in aqua, in nocte, in die, et in omnibus visibilibus, non obscure ejus qui nobis benefecit recordemur. Neque enim peccatis occasionem ullam sumus daturi, neque inimico in nostris cordibus locum relicturi, si modo per assiduam memoriam Deum in nobis inhabitantem habeamus : cui omnis gloria et adoratio nunc et semper et in sæcula sæculorum : Amen.

HOMILIA IV.

De aquarum congregatione.

I. Sunt quædam civitates, quæ omnigenis præstigiatorum spectaculis a summo mane ad ipsam usque vesperam oculos pascunt [2]. Et certe quamvis cantilenas quas-

[1] Rom. I, 20. — [2] Vide D. Guillon VII, 98-102.

dam dissolutas corruptasque et omnibus modis multam in animis impuritatem gignentes vel diutissime audiant, nequaquam exsatiantur. Quin etiam tales populos multi prædicant beatos, quod relictis fori mercaturis, aut artium ad vitam tutandam spectantium inventionibus neglectis, in omni otio atque voluptate tempus vitæ sibi præstitutum transigunt; nescientes orchestram quæ spectaculis impuris abundat, his qui illic consident communem ac publicam esse lasciviæ officinam. Quin et illæ tibiarum modulationes per quam concinnæ, ac meretriciæ cantiones, audientium animis insidentes, cunctis, utpote citharœdorum aut tibicinum pulsum æmulantibus, nihil aliud quam obscenitatem suadent. Jam vero nonnulli qui equis supra modum delectantur, vel in somnis pro equis contendunt, transjungentes currus, aurigas transmutantes, et in summa ne in somniorum quidem visis a diurna insipientia vacant. Nos autem quos Dominus, magnus rerum mirabilium effector ac opifex, ad sua commendanda opera convocavit, num in contemplandis et auscultandis Spiritus eloquiis aut pigri erimus? Nonne potius magnam illam variamque divini opificii officinam circumstantes, et unusquisque ad transacta tempora mente retrogressi, mundi totius ordinationem contemplabimur? Cœlum quidem juxta propheticum sermonem in modum fornicis conflatum[1]: terram vero magnitudine ac gravitate infinitam, ipsam seipsa innixam: diffusum aërem, mollem et suapte natura humidum, proprium et perpetuum respirantibus alimentum suppeditantem, cedentem autem, et præ mollitia a corporibus motis sese interscindi sinentem, nihil ut impedimenti sit per ipsum meantibus; cum ad tergum eorum qui ipsum findunt, recipiat se facile, ac

[1] Esai XL, 22.

diffluat. Aquæ denique naturam, tum ejus, quæ alimentum subministrat, tum ejus, quæ ad alios nostros usus destinatur, simulque ordinatam ejusdem ad definita loca congregationem, ex his quæ modo nobis lecta sunt conspicies.

II. « Et dixit Deus : Congregetur aqua, quæ sub » cœlo est, in congregationem unam, et appareat arida. » Et factum est sic : et congregata est aqua quæ sub » cœlo erat, in congregationes suas : et apparuit arida. » Et vocavit Deus aridam, terram, et collectiones » aquarum vocavit maria. » Quanta mihi in superioribus sermonibus exhibuisti negotia, dum causam requireres quomodo terra fuerit invisibilis : quandoquidem cuilibet corpori naturaliter inest color, et omnis color visus sensu apprehenditur? Et forte quæ prolata sunt satis esse tibi non videbantur, cum diceremus videlicet vocem, « invisibile, » non respectu naturæ, sed respectu nostri, ob aquæ terram omnem tunc operientis interpositum, adhibitam fuisse ac usurpatam. Ecce nunc audi ipsam scripturam, se ipsam explanantem. « Congregen» tur aquæ, et appareat arida. » Contrahuntur vela, ut aspectui sese objiciat ea, quæ antea non conspiciebatur. Fortassis autem quispiam illud etiam præter hæc inquisierit. Primum quidem, cur quod ex natura competit aquæ, ut scilicet ad declive feratur, idipsum referat Scriptura ad opificis imperium. Quamdiu enim in æquo planoque solo sita est aqua, stabilis est, quippe quia non habet quo diffluat. Sed posteaquam declivem aliquem locum nacta est, statim ut præcedens est concitata, ea quæ ipsi cohæret, sedem ejus quæ mota est, occupat : illius itidem locum ea quæ consequitur : et sic semper aufugit quidem quæ præcedit, adurget vero quæ insequitur. Et impetus tanto fit velocior, quanto amplior

fuerit gravitas ejus quæ defertur, locusque ad quem fit fluxio, fuerit depressior. Itaque si hæc est aquæ natura; præceptum quod ipsam jubet in unam cogi collectionem, inane est utique ac supervacaneum. Nam profecto futurum erat, ut propter naturalem suam ad ima proclivitatem, ad locum maxime omnium declivem sponte sua concederet, et non prius stabilis permaneret, quam ejus exæquaretur superficies. Nulla enim extat regio peræque plana, ac ipsa est aquæ superficies. Deinde, inquiet quis, quomodo jussæ sunt aquæ in unam concurrere collectionem, cum multa conspiciantur maria, plurimoque inter se intervallo ac situ disparata? Ad id igitur quod primo quæsitum est, dicimus, quod tu optime quidem post dominicum imperium motum aquæ cognoveris, aquam videlicet quoquo versum fluere, instabilemque esse, et suapte natura ad devexa et concava loca dilabi. Sed quid prius obtinuerit virium, ante nimirum quam cursus hic ei isto præcepto ingigneretur, nec nosti ipse, nec quemquam qui noverit audisti. Cogita enim Dei vocem naturæ esse effectricem, ac per præceptum illud quod creaturæ datum tunc est, modum ac ordinem creatis rebus in futurum imponi. Creata sunt enim semel dies et nox; et ex illo momento etiam nunc sibi invicem succedere, ac in partes æquales tempus dividere non desinunt.

III. « Congregentur aquæ. » Jussa est currere aquarum natura, nec unquam præcepto illo eam semper urgente fatigatur. Hoc autem dico, ad fluidam aquarum sortem respiciens. Aliæ quidem sua sponte fluunt, cujusmodi sunt fontanæ et fluviatiles : aliæ vero sunt collectitiæ et stabiles. Atqui nunc mihi sermo est de aquis impetu quodam commotis. « Congregentur aquæ in con» gregationem unam, » Num unquam tibi propter fontem aquam copiosam egerentem stanti insedit cogitatio,

quis ex terræ sinu impellat illam aquam? Quis ipsam ulterius adurgeat? Qualia sint promptuaria unde procedit? Quis sit locus ad quem festinat? Quomodo tandem neque hæc deficiant, neque illa expleantur? Isthæc ex prima illa voce dependent. Inde incitata aqua est ad currendum. Ad omnem aquarum historiam, primæ illius vocis, « Congregentur aquæ, » memor esto. Oportebat eas, ut proprium locum occuparent, decurrere : deinde ipsas in statutis locis coactas, in se ipsis manere, nec ulterius progredi. Quapropter secundum hanc Ecclesiastæ sententiam, « Omnes torrentes vadunt in mare, et mare non » est impletum[1]. » Nam et fluunt aquæ vi divini præcepti, et maris intra suos terminos circumscriptio a prima legis sanctione pendet. « Congregentur aquæ in congregatio- » nem unam : » ut ne diffluens aqua, in regiones ipsam excipientes effusa, transgrediens semper, atque alias post alias explens, omnem terram continentem inundaret, jussa est in unam congregationem colligi. Ob id sæpenumero ventis furens mare, et præ fluctibus in maximam altitudinem exurgens, ubi littora solum attigit, impetu in spumam dissoluto, revertitur. « An me non timebitis, » dicit Dominus, qui posui arenam terminum mari[2]? » Mare cujus violentia ferri non potest, re omnium invalidissima, arena scilicet refrenatur ac coërcetur. Alioqui quid prohiberet mare rubrum, omnem Ægyptum se ipso demissiorem invadere, eique pelago, quod Ægypto adjacet conjungi; nisi esset conditoris præcepto alligatum? Nam qui maria Ægyptiacum et Indicum in quo est mare rubrum, inter se conjungere voluerunt, ii Ægyptum mari rubro demissiorem esse nobis reipsa persuaserunt. Quamobrem destitere ab incœpto Ægyptius ille Sesostris, qui

1 Eccle. I, 7. — 2 Hier, V, 22.

id aggressus est primus, tumque Darius Medus qui hoc ipsum perficere in animum induxerat. Hæc a me dicta sunt, ut vim atque efficaciam intelligamus præcepti illius, « Congregentur aquæ in congregationem unam: » hoc est, alia post hanc congregatio minime fiat; sed id quod collectum est, in prima collectione permaneat.

IV. Deinde qui aquas dixit congregari in unam congregationem, plurimas fuisse aquas per multa loca divisas tibi indicavit. Nam montium concava profundis convallibus perrupta, collectitias aquas continebant. Quin et campi multi, iique supini, nihil maximis pelagis magnitudine impares, et valles innumeræ, convallesque aliis et aliis modis excavatæ, quæ omnia tunc aquis replebantur, præcepto divino evacuata sunt, aqua undelibet in unam congregationem conveniente. Et nemo dicat omnino necesse esse, si aqua terræ superstaret, cava omnia quæ tunc pelagus suscepere, fuisse referta. Quo igitur, concavis jam occupatis, collecturæ se erant aquæ? Ad hoc sane respondebimus, præparata tunc fuisse receptacula, cum aquam oporteret in unam secerni coacervationem. Neque enim erat illud quod est extra Gades mare, neque magnum illud et horrendum navigantibus pelagus, quod Britannicam insulam et occidentales Hispanos ambit : sed posteaquam Dei mandato instructus est locus amplissimus, tunc in ipsum se recepere aquarum copiæ. Ad hoc autem, quod nostra de mundi opificio sententia experientiæ adversetur (constat enim non in unam congregationem aquam omnem concurrisse) multa dicere licet, eaque omnibus per se nota. Sed fortasse etiam cum talibus certare ridiculum est. Numquid debent palustres aquas, et eas quæ ex imbribus aggregantur, nobis opponere; atque arbitrari, se nostram sententiam ope illarum refellere? Enimvero maximum amplissimum-

que aquarum concursum, congregationem unam nuncupavit. Nam putei, collectiones aquarum sunt manufactæ cum in cavatam terræ partem humor ei inspersus influit. Non ergo quaslibet aquarum coacervationes congregationis appellatio indicat, sed præcipuam et maximam, in qua totum elementum coacervatum ostenditur. Quemadmodum enim ignis et in minutas partes pro nostro usu dissectus est, et acervatim in æthere diffusus; item quemadmodum aër divisus quidem est in exiguas partes et tamen adjacentia telluri loca acervatim occupavit: ita et in aqua tametsi parvæ quædam collectiones fuerunt separatæ, tamen una est congregatio, quæ totum a cæteris segregat elementum. Nam stagna tum ea quæ ad partes septemtrionales sita sunt, tum ea quæ jacent circa Græcorum tractum, tum quæ Macedoniam ac Bithynorum Palæstinorumque regionem obtinent, sunt quidem congregationes: sed nunc de ea quæ omnium maxima est, quæque magnitudine telluri æqualis est, habetur sermo. Copiam autem in illis contineri aquarum negabit nemo, nec tamen quisquam eas congrua appellatione maria vocaverit, etiamsi nonnullæ plurimum salsi ac terreni perinde atque magnum mare habeant: uti est in Judæa Asphaltitis lacus, et Serbonitis ille, qui Ægyptum inter et Palæstinam per Arabiam desertam protenditur. Hæc enim stagna sunt: at mare, uti qui terram lustravere narrant, unum est. Quanquam sunt qui Hyrcanum et Caspium mare in seipsis circumscripta esse arbitrentur; si qua tamen fides iis qui geographiam conscripserunt, adhibenda est, inter se mutuo perforata sunt, et omnia in maximum mare per angusta quædam ostia concidunt, quemadmodum et mare rubrum cum eo quod ultra Gades est, connecti ferunt. Quomodo igitur, inquiunt, Deus collectiones aquarum nuncupavit maria? Quia

concurrerunt quidem aquæ in unam congregationem : sed aquarum coacervationes, id est sinus, qui secundum propriam figuram a terra circumjacente comprehens sunt, maria Dominus appellavit. Sunt quippe mare Septemtrionale, mare Austrinum, Orientale mare et Occidentale rursum aliud est. Sunt itidem nomina marium propria. Pontus Euxinus, Propontis, Hellespontus, Ægeum et Ionium, Sardonicum pelagus et Siculum, et Thyrrhenum aliud est. Quin et infinita sunt marium nomina, quæ longum nunc fuerit ac plane ineptum accurate recensere ac numerare. Idcirco Deus coacervationes aquarum maria nuncupavit. Verum ad hoc quidem nos deduxit orationis series : sed ad id quod initio proposuimus, redeamus.

V. « Et dixit Deus congregentur aquæ in congregatio- » nem unam, et appareat arida. » Non dixit : « et appa- » reat terra; » ne iterum ipsam ostendat incompositam, cœnosam, aquæ immixtam, necdum propria forma aut virtute indutam. Simul etiam, ne ariditatis causam soli attribueremus, terræ ariditatem generatione solis effecit opifex vetustiorem. Attende autem eorum quæ scripta sunt, sententiam, quod non solum redundans aqua e terra defluxerit, sed etiam quod quidquid per profundiora loca ipsi admixtum erat, id quoque inevitabili Domini imperio obtemperans recesserit. « Et factum est » ita. » Hæc inductio sat demonstrabat opificis vocem ad effectum pervenisse, adjectum est tamen in multis exemplaribus : « Et congregata est aqua : quæ sub cœlo » erat, in congregationes suas, et apparuit arida. » Quæ sane verba nulli ex reliquis interpretibus tradidere, nec usus Hebræorum habere videtur. Nam revera post testimonium illud : « Factum est ita, » eadem iterum narrare est supervacaneum. Notata sunt igitur obelo exemplaria

accuratiora : obelus autem signum est repudiationis. « Et » vocavit Deus aridam, terram ; et collectiones aquarum » vocavit maria. » Cur et supra dictum est : « Congre- » gentur aquæ in congregationem unam et appareat » arida ; » non autem scriptum est : « Et appareat » terra ? » Et hîc rursus : « apparuit arida, et vocavit » Deus aridam, terram. » Quia arida quidem, est velut proprietas quædam, quæ subjecti naturam quasi exprimit ac designat : terra vero, nuda quædam est rei appellatio. Quemadmodum enim rationale, hominis proprium est : hæc vero vox, « homo, » animal ipsum cui illa proprietas inest, significat : sic etiam aridum, proprium est terræ ; eique peculiare. Cui igitur proprie inest ariditas, id vocatum est terra : perinde atque cui proprie « hinnibile » adest, id nuncupatum est equus. Nec in terra solum id se ita habet : sed cuilibet etiam aliorum elementorum suppetit propria et sorte obtenta qualitas, qua et secernitur a cæteris, et quale unumquodque sit, internoscitur. Aqua quidem habet propriam qualitatem, « frigiditatem : » aër vero, « humiditatem : » ignis autem, « caliditatem. » Ratio autem ad eum quem diximus modum isthæc tanquam prima rerum compositarum elementa speculatur : quæ vero jam in corporibus digesta sunt, et sub sensum cadunt, conjunctas inter se qualitates habent. Nec quidquam eorum quæ visui ac sensibus subjacent, est absolute singulare, aut simplex, aut purum : sed terra quidem arida et frigida est : aqua vero humida et frigida : rursus aër calidus et humidus, ignis autem calidus et siccus. Sic enim per conjugatam qualitatem singula singulis possunt permisceri : siquidem vicino elemento unumquodque commiscetur per communem qualitatem, et per eam quam cum affini habet societatem contrario conjungitur. Exempli gratia ; terra

quæ arida est et frigida, cum aqua ob « frigiditatis » affinitatem copulatur : jungitur autem per aquam aëri; quandoquidem aqua, inter utrumque media constituta, velut duabus injectis manibus per utramque qualitatem elementa proxima attingit, terram per frigiditatem, aërem per humiditatem. Aër iterum pugnantem aquæ et ignis naturam suo interpositu conciliat, cum aquæ per humiditatem, igni vero per calorem conjungatur. Ignis autem qui suapte natura calidus est et siccus, colligatur cum aëre per calorem, ac rursus per siccitatem ad terræ societatem redit. Atque ita omnibus consentientibus ac mutuum quemdam ordinem inter se habentibus, circulus fit, ac concinnus chorus. Unde et proprie ipsis adaptata fuit appellatio elementorum. Hæc a me dicta sunt, ut causam afferrem cur vocaverit Deus aridam, terram; nec tamen terram, aridam appellaverit. Nimirum quia aridum non ex his est quæ terræ in posterum accesserunt, sed ex his, quæ ab initio essentiam ipsius constituunt. Porro quæ in causa sunt cur aliquid existat, iis quæ postea accedunt, natura sunt priora ac præstantiora. Quamobrem notæ aliquæ ex anterioribus et vetustioribus ad terram designandum sunt jure excogitatæ.

VI. « Et vidit Deus quod pulchrum esset. » Non hoc indicat Scriptura, nempe jucundum quemdam maris aspectum fuisse Deo exhibitum. Non enim oculis pulchritudinem creaturæ intuetur conditor : sed quæ fiunt, sapientia ineffabili contemplatur. Est quidem gratum spectaculum æquor inalbescens, cum stabilis tranquillitas ipsum occupat : rursus est etiam gratum, cum ipsius superficies lenibus auris exasperata, cernentibus purpureum aut cæruleum colorem offert : quando neque violenter verberat vicinam terram, sed velut pacificis quibusdam amplexibus eam complectitur. Non tamen pu-

tandum est, ad hunc modum dixisse Scripturam, mare Deo visum fuisse pulchrum ac jucundum : sed hîc ex opificii ratione dijudicatur pulchritudo. Primum quidem, quia maris aqua totius terreni humoris fons et origo est. Hæc quidem per occultos meatus distribuitur; uti laxæ atque hiantes terræ quas fluidum mare subit, indicant : quod ubi in obliquis non autem recta tendentibus diverticulis inclusum est, impulsumque fuit a vento illud movente, tum superficie disrupta foras erumpit; atque emendante amaritudinem percolatione, potui aptum evadit. Jam vero calidiore qualitate etiam ex metallis in transitu accepta, ex eadem moventis causa fervidum fit ut plurimum et ardens : id quod in multis insulis, multisque maritimis locis fas est intueri. Quin etiam, ut parva magnis comparemus, in mediterraneis regionibus simile quiddam perpetiuntur loca quædam aquis fluvialibus confinia. Quid est igitur cur hoc a me dictum sit? Quod tota tellus, aqua per occultos meatus ex maris principiis subtermeante, cuniculis referta est ac repleta.

VII. Pulchrum itaque est mare Deo, ob humorem per intima loca subeuntem : pulchrum item, quod cum sit fluviorum receptaculum, fluenta undelibet in se recipit, atque intra suos terminos manet. Pulchrum etiam, quoniam aëriarum aquarum origo quædam ac fons est, tepescens quidem solis radio, emittens vero per vapores aquam tenuiorem : quæ in supernum locum attracta, deinde refrigescens eo quod radiorum a solo reflexorum repercussu altior evasit, simulque nubis umbra refrigerationem intendente, pluvia fit, ac terram pinguefacit. Atque his nemo prorsus fidem detracturus est, qui admotos igni lebetes consideraverit : qui humore pleni, eo toto quod coquebatur, in vapores resoluto, sæpe vacui remansere. Quin etiam ipsam maris aquam a navigantibus

concoqui videre licet, qui vapores spongiis excipientes, in necessitatibus utcumque penuriam elevant. Pulchrum est autem et alio modo apud Deum, quod constringit et coërcet insulas, eis tum ornatum, tum securitatem simul per se ipsum impertiens : deinde etiam, quod terras plurimum a se invicem distantes per se conjungit, ac navigantibus expeditum commercium præstat : per quos et historias rerum ignotarum largitur, et divitias mercatoribus parit, et facile vitæ medetur necessitatibus : quippe iis qui rerum copia affluunt, id largitur ut res superfluas alio exportent : indigentibus vero, ut id quod sibi deest comparent. Sed unde mihi licet totam maris pulchritudinem, quanta conditoris oculo visa est, sedulo atque accurate conspicere? Quod si mare pulchrum ac laudabile est apud Deum : nonne pulchrior est hujusce concessus frequentia : in quo permixtus sonus virorum mulierumque et infantium, velut fluctus cujusdam ad littus illisi, per nostras ad Deum precationes emittitur? Hunc autem conservat inconcussum profunda tranquillitas, cum malignitatis spiritus eum hæreticis dogmatibus perturbare non potuerint. Fiatis igitur Domini laude digni, disciplinam istam decentissime observantes, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA V.

De germinatione terræ.

I. « Et dixit Deus : germinet terra herbam feni, » seminans semen juxta genus, et lignum fructiferum, » faciens fructum juxta genus, cujus semen in ipso[1]. » Haud inepte posteaquam terra, deposito aquæ pondere, interquievit, jussa est primo herbam, deinde lignum germinare; quod ipsum sane etiamnum fieri videmus. Vox enim illa tunc emissa, ac primum illud præceptum, velut lex quædam naturæ evasit, inhæsitque terræ, ac ei generandi, fructusque in posterum ferendi vim contulit. « Germinet terra. » Primum quiddam est in graminis generatione germinatio : deinde cum prominuerint paululum germina, herba fit : post capto incremento, fenum est tum, cum paulatim gramina suis jam articulis distinguuntur, et ad seminis usque perfectionem perveniunt. Herbescunt enim pari prorsus ratione, ac virescunt omnia. « Germinet terra herbam feni. » Terra per seipsam proferat germinationem, nullo auxilio aliunde indigens. Quoniam arbitrantur nonnulli solem, dum per caloris attractionem vim ex imis partibus ad superficiem trahit, eorum quæ ex terra producuntur causam esse; ideo telluris ornatus sole est antiquior; ut ii qui errore decepti sunt solem tanquam rerum ad vitam pertinentium auctorem desinant adorare. Itaque si persuasum ipsis fuerit,

[1] Vide D. Guillon VII, 103-112.

omnem terram ante ipsius solis exortum fuisse excultam, etiam immodicam de ipso conceptam admirationem remittent, dum veniet eis in mentem, ortum illius feno et herba esse posteriorem. Num igitur pecoribus quidem præparatus est pastus, nostrum vero alimentum providentia nulla visum est dignum? Imo qui bobus equisque præparavit pastionem, tibi maxime divitias ac commoda parat. Nam pecora tua qui pascit, tibi supellectilem vitæ adauget. Deinde seminum ortus quid aliud est, nisi vitæ tuæ apparatus? accedit quod plura eorum quæ adhuc herbæ et olera sunt, hominum extant alimentum.

II. « Germinet terra herbam feni, seminans semen, » inquit, « secundum genus. » Quanquam igitur aliquod herbæ genus animantibus reliquis prodest, tamen illorum utilitas ad nos revertitur, nobisque seminum assignatus est usus; adeo ut talis sit eorum quæ dicta sunt, sensus : « Germinet terra herbam feni, et semen semini-» ficans secundum genus. » Nam ita et verborum ordo ac series restitui poterit, (nunc enim constructio inepta ac incongruens esse videtur,) atque necessaria quædam eorum quæ a natura dispensantur, consecutio conservabitur. Primum quidem germinatio, deinde virens herba : tum feni incrementum, postremo absolutio perfectioque augescentium per semen. Quomodo igitur, inquiunt, omnia ex terra nascentia, in semen abire ostendit Scriptura, cum neque arundo, neque gramen, neque mentha : non crocus, non allium, non butomon, neque innumera alia plantarum genera semen producere videantur. Sane ad hoc dicimus, multa ex terra nascentia in imis suis partibus et in radice vim ac virtutem seminum includere. Exempli causa, arundo post annuum auctum, projectum quemdam qui in futurum rationem

seminis habet, a radice emittit. Id autem faciunt et alia innumera, quæ per terram dispersa, in radicibus successionem concludunt. Quare omni re id verius est, in singulis stirpibus aut semen, aut seminalem quamdam virtutem inesse. Atque hoc est quod dicitur: « juxta genus. » Siquidem ille arundinis projectus nequaquam olivam producit: sed ex arundine arundo alia nascitur; atque ex seminibus, cognata iis quæ fuerant jacta, germinant. Et ita quod in prima generatione a terra editum est, id etiamnum, servato per successionis consecutionem genere, conservatur. « Germinet terra. » Cogites velim terram frigescentem et infœcundam, hac voce parva præceptoque adeo brevi confestim parturientem, et ad edendum fructum concitatam, et veluti mœsto quodam ac lugubri amictu abjecto, splendidiore veste indui, ac propriis ornamentis exultantem, infinita plantarum genera procreare. Volo imprimi in te vehementius creaturæ admirationem, quo ubicumque reperiaris, et cuicumque occurreris plantarum generi, plane creatoris memineris. Primum quidem cum hérbam feni et florem conspexeris, veniat tibi in mentem humana natura, hanc sapientis Esaiæ imaginem recordanti: « Omnis caro ut fenum, et » omnis gloria hominis ut flos feni[1]. » Nam vitæ brevitas, et prosperitatis humanæ lætitia, hilaritasque haud diu duratura accommodatissimam apud Prophetam sortita est similitudinem. Hodie qui floret corpore, qui præ deliciis carnosus est, qui colorem præ ætatis flore efflorescentem præ se fert, qui viget et acer est, et cujus nequit sustineri impetus, hic idem cras miserabilis est, aut tempore marcidus, aut morbo dissolutus. Quispiam divitiarum copia inclaruit, ipsumque adulatorum circumstat

[1] Esa. XL, 6.

multitudo : adest fictorum amicorum gratiam illius venantium comitatus : frequentes sunt consanguinei, iique simulationis artificio eruditi : adest agmen sequacium innumerorum, qui partim parandi cibi gratia, partim ob alias necessitates ipsi astant : quos dum et abiens, et iterum rediens secum trahit, in se occurentium concitat invidiam. Adde divitiis etiam civilem aliquam potestatem, aut etiam delatos a regibus honores, aut gentium gubernationem, aut exercituum imperium : præconem magna voce ante ipsum clamantem : lictores hinc et inde subditis timorem gravissimum inferentes, plagas, publicationes bonorum, exilia, vincula : e quibus intolerabilis ille subjectorum metus concrescit. Quid vero post hoc? Una nox, aut una febris, aut pleuritis, aut pulmonis inflammatio : hunc hominem ex hominibus abreptum abducit, illico omnem illius scenam nudat, atque gloria illa ceu somnium esse convincitur. Quare Propheta humanam gloriam cum debilissimo flore comparavit.

III. « Germinet terra herbam feni seminans semen » secundum genus, et secundum similitudinem. » Etiamnum nascentium ordo ordinationem primam testatur : quippe herbam omnem, omneque gramen antecedit germinatio. Sive enim quidpiam a radice ex interiori projectu prorumpit, ut crocus et gramen, id oportet germinare, et foras prominere : sive a semine gignitur, etiam sic necessario fit primum germinatio ; deinde herba, tum virescit fenum, postremo fructus in arido jam et crasso culmo turgescit. « Germinet terra herbam » feni. » Cum semen in terram humore et calore moderato præditam incidit, laxum evadens, ac plurimis plenum meatibus, terram adjacentem complexum, propria sibi et cognata ad se attrahit. Verum tenuissimæ terræ partes meatibus illis allapsæ, et eis sese inserentes, amplius

molem ipsius dilatant : adeo ut deorsum quidem agat radices, sursum vero promineat, tot culmis videlicet, quot radices sunt, emergentibus. Tepescente autem semper germine, attractus per radices humor, per caloris attractionem moderatum de terra alimentum adducit; idque in culmum, et in corticem, et in frumenti thecas, et ipsum triticum, et in aristas dispertitur. Atque quælibet res nascens incremento sic paulatim accepto, ad idoneam propriamque pervenit mensuram, sive ad frumenti, aut leguminis, aut oleris, aut fruticis genus pertineat. Unum fenum, herbaque una totam tuam mentem in ea, ex qua prodiit, arte consideranda, occupare potest : quomodo geniculis præcingatur frumenti culmus, quo veluti vincula quædam facilius spicarum pondus ferant, cum fructibus plenæ, in terram proclinantur. Quapropter avena quidem omnino est vacua, cujus scilicet caput re nulla gravetur : contra, vinculis his triticum communivit natura. In theca vero granum recondidit, ne facile a frugilegis avibus diripiatur. Insuper et aristarum eminentia, quasi cuspidibus, animalium parvorum noxam arcet atque detrimenta.

IV. Quid dicam? Quid silentio præteribo? In opulentis creationis thesauris perdifficile quidem est rem præstantiorem invenire : si tamen omittitur, vix jactura illius potest tolerari. « Germinet terra herbam feni. » Et statim una cum edulibus prolata sunt nociva, cicuta cum frumento, cum esculentis reliquis helleborus, aconitum, mandragora, papaveris succus. Quid igitur? Gratiam ob utilia confiteri omittentes, conditorem ob ea quæ nostræ vitæ exitiosa sunt, accusabimus? Illud autem non reputabimus, quod non omnia ventris nostri gratia creata sunt? Porro nobis quidem destinata alimenta obvia sunt, et omnibus probe nota : singula vero

quæ condita sunt, propriam quamdam rationem in creatione explent. Non enim quia taurinus sanguis toxicum tibi est, ideo animal illud, cujus robore in tot et tantis rebus vita nostra indiget, aut non produci, aut productum exsangue esse opportuit : sed tibi contubernalis ac domestica ratio ad res exitiales vitandas sufficit. Numquid enim oves quidem et capræ sciunt ea quæ suæ vitæ nocent, declinare, solo sensu noxia discernentes : tibi vero cui adest et ratio, et ars medica, quod utile est offerens, et eorum qui te anteverterunt exemplum, quo de fuga nocivorum admoneris, difficile est, dic, quæso, a venenis cavere? Nihil autem horum frustra, nihil est inutiliter in lucem editum. Aut enim alicui brutorum animalium subministrant alimentum, aut etiam nobis ipsis a medica arte ad deliniendas quasdam ægrotationes inventa sunt. Nam cicuta vescuntur sturni, et tamen veneni exitium declinant ob corporis constitutionem. Cum enim in eorum corde insint tenues meatus, devoratam cicutam prius concoxere, quam ipsius frigus principales partes attingat. Helleborus vero coturnicum quæ per temperationis proprietatem noxam effugiunt, alimentum est. Quin etiam sunt hæc ipsa pro temporis opportunitate nonnunquam nobis conducibilia. Nam per mandragoram inducunt somnum medici : consopiunt itidem vehementes corporum dolores opio. Jam vero nonnulli cicuta obtuderunt rabiosam appetentiam, atque inveteratas ægritudines nec paucas helleboro extirparunt. Quare quam te existimabas habere contra creatorem accusationem, ea tibi in gratiarum actionis additamentum cessit.

V. « Germinet terra herbam feni. » Quot alimenta sponte naturæ emergentia his verbis complectitur, tum in radicibus, tum in ipsa herba, tum in fructibus? Quot

vero sunt quæ ex diligentia et agricultura nobis accedunt? Non statim jussit semen et fructum proferri, sed germinare et virescere terram, tumque ad semen pervenire; ut prima illa præceptio ad futuram successionem esset naturæ documenti loco. Quomodo igitur, inquiunt, tellus secundum genus edit semina, cum, disseminato sæpe tritico, nigrum hoc frumentum colligamus? Verum hoc ipsum nequaquam est ad aliud genus transmutatio, sed velut morbus quidam, ac seminis ægritudo. Non enim frumentum esse desiit : sed, ut et ex ipsa appellatione discere est, per adustionem nigrum evasit. Nam nimio frigore adustum, in alium colorem ac saporem degeneravit. Atque etiam si modo idoneam terram, ac bene temperatum aërem nactum sit, rursus ad pristinam formam redire ferunt. Quare nihil præter præceptum illud in rebus nascentibus fieri comperias. Porro lolium quod dicitur, et reliqua adulterina semina, quæ cum esculentis commiscentur, quæque nuncupare zizania consuevit Scriptura, non ex frumenti commutatione proveniunt, sed ex proprio subsistunt principio, propriumque genus obtinent. Quæ profecto imaginem exprimunt eorum, qui documenta Domini adulterantes, nec legitime sermonem edocti, sed a maligni doctrina corrupti, tamen cum sano Ecclesiæ corpore se ipsos permiscent, ut clanculum errores suos in simpliciores transfundant. Jam vero Dominus perfectionem etiam eorum qui in ipsum crediderunt, seminum incremento comparat, dicens : « Quemadmodum si homo projecerit semen » in terram, et dormiat, et exurgat nocte et die, » et semen surgat, et increscat, dum nescit ipse. Ultro » enim terra fructificat primum herbam, deinde spicam, » deinde plenum frumentum in spica. Germinet terra

» herbam [1]. » In minimo etiam temporis momento a germinatione exorsa terra, ut conditoris leges servaret, per omnem accretionis speciem progrediens, confestim germina deduxit ad perfectionem. Atque prata quidem feni copia erant depressa; ac fertiles campi segetibus horrescentes, pelagi fluctuantis imaginem per spicarum motum repræsentarunt. Omnis autem herba, ac omne oleraceum genus, et si quid in fruticibus aut in leguminibus reperitur, omni cum ubertate tunc supra terram emicabat. Neque enim infelix ullus successus iis quæ tunc producebantur, erat extimescendus, cum neque agricolarum imperitia, neque aëris intemperies, neque alia ulla causa rebus nascentibus noceret. Verum enim vero damnatorium judicium tum impedimento non erat telluris fertilitati. Isthæc enim antiquiora sunt peccato, cujus gratia ad hoc sumus damnati, ut panem in sudore nostri vultus comedamus.

VI. Sed et « lignum fructiferum, » inquit, « faciens » fructum, cujus semen ejus sit in ipso secundum genus, » et secundum similitudinem super terram [2]. » Sane hoc verbo densabantur nemora omnia; omnesque emersere arbores, quæ scilicet in longissimam altitudinem exurgere solent, abietes, cedri, cupressi, piceæ : item, frutices omnes illico comati fiebant et densi. Prodiere etiam plantæ quæ dicuntur coronariæ, roseta, myrti et lauri. Omnia quæ prius super terram non extabant, in uno temporis puncto eo devenere ut essent, cum sua quæque proprietate, manifestissimis quidem differentiis ab iis quæ diversi generis sunt, discreta, singula tamen proprio caractere insignita. Verum rosa tunc sine spina erat, postea vero floris pulchritudini fuit spina adjuncta,

[1] Marc, IV, 26. — [2] Genes, I, 11.

ut fruendæ voluptati foret dolor contiguus, dum recordaremur peccati, cujus causa ad hoc damnata terra est, ut nobis spinas proferret atque tribulos. Sed, inquiunt jussa est terra producere « lignum fructiferum, faciens » fructum super terram, cujus semen ejus sit in ipso : » et tamen complures arbores cernimus, neque fructibus, neque seminibus præditas. Quid ergo dicturi sumus? Quod res quæ natura præstant, primaria mentione dignatæ sunt : deinde, quod accurate consideranti constabit aut omnia semen ferre, aut vim quamdam seminibus æqualem habere. Nam populi nigræ, salices, ulmi, albæ populi, et aliæ ejusdem generis, fructum quidem nullum aperte afferre videntur; hæc tamen si quis diligenter expenderit, singulas istas arbores semen habere comperiet. Enimvero granum illud quod folio subjectum est, quodque nonnulli in nominibus confingendis operam navantes, « Mischon » appellant, vim seminis atque virtutem obtinet. Quæcumque enim a ramis solent oriri, inde ut plurimum radices emittunt. Fortassis autem seminis rationem habent, et ipsi qui ex radicibus pullulant surculi : quos dum avellunt plantarum cultores, genus earum multiplicant. Prius tamen, uti diximus, ea arbores memoratæ sunt, quæ nostram vitam magis conservant, quæque propriis fructibus hominem donantes, luculentum illi victum erant suppeditaturæ. Vitis quidem generatura vinum, quo erat cor hominis lætificandum : olea vero eum qui vultum in oleo exhilarare potest, fructum allatura. Quot festinanter in unum concurrerunt, producta a natura? Radix vitis, palmites orbiculatim virescentes, valdeque super terram diffusi, germen, claviculæ, uva acerba, racemi. Vitem si tuis oculis attente conspexeris, vel ipsa te satis ad naturæ memoriam revocat. Meministi enim Domini similitudi-

nem, qua se ipsum vitem, et Patrem agricolam nuncupat [1]: nos item singulos Ecclesiæ per fidem insertos, palmites appellavit; atque ad multum fructum afferendum invitat nos, ne inutilitatis damnati, igni tradamur, nec cessat hominum animas ubique vitibus comparare. « Vinea namque, » inquit, « facta est dilecto in cornu, » in loco pingui [2]. » Et, « vineam plantavi, et sepem » circumdedi[3]. » Animas humanas plane vineam dicit, quas sepe, mandatorum scilicet tutela et angelorum custodia circumdedit. « Immittet enim angelus Domini » in circuitu timentium eum [4]. » Deinde etiam, constitutis in Ecclesia primum apostolis, secundo prophetis, tertio doctoribus, quasi valla nobis defixit. Atque antiquorum ac beatorum virorum exemplis in sublime evexit nostram mentem, nec eam prosterni humi, aut conculcatione dignam esse sivit. Vult autem nos caritatis amplexibus ceu quibusdam claviculis proximum nostrum complecti, ac in ipsis acquiescere, ut jugi impetu sursum versus contendentes, instar vinearum quarumdam arbores conscendentium nosmetipsos rerum altissimarum verticibus adæquemus. Quin et a nobis exposcit, ut dum defodimur, sustineamus. Defoditur autem anima, cum mundi curis quæ cordibus nostris sunt oneri, se ipsam exuit. Quamobrem qui carneum amorem, aut suum erga divitias studium deposuit, aut qui miseræ hujus gloriolæ libidinem conspuendam et aspernabilem duxit, is veluti defossus est, ac, terrenæ affectionis inani pondere excusso, respiravit. Oportet autem secundum proverbii sententiam, ut neque silvescamus, hoc est, minime jactanter degamus, neque ab externis aucupemur laudem, sed simus fructuosi, vero-

[1] Joan. xv, 1. — [2] Esai. v, 1. — [3] Matth. xxi, 33. — [4] Psal. xxxiii, 7.

que agricolæ specimina operum asservemus. Tu vero « sicut oliva fructifera sis in domo Dei[1], » nec unquam spe denuderis, sed semper in te ipso habeas floridam salutem per fidem. Sic enim hujus plantæ perpetuam imitaturus es viriditatem; ac ejus fecunditatem æmulabere, si uberrimam omni tempore largiare eleemosynam.

VII. Verum ad artificiosas ordinationes perquirendas redeamus. Quot tunc arborum genera emersere, alia quidem frugifera, alia vero construendis tectis idonea, hæc ad fabricandas naves apta, illa ad cremationem destinata! In his rursus varia est partium uniuscujusque arboris dispositio : singularum autem arborum proprietas vix invenitur; et earum quæ diversi generis sunt, discrimen vix animadvertitur. Quomodo aliæ arbores in profundum agant radices, aliæ easdem in superficie habeant, hæ rectæ assurgant, sintque unistirpes; illæ deprimantur humi, atque statim a radice in plures caudices dividantur. Quomodo quarum rami prolixi sunt, ac in aërem valde expassi, harum etiam profundæ sint radices et latissime in orbem distributæ : perinde quasi fundamenta quædam oneri impendentium accommodata subjecisset natura. Quot corticum sunt discrimina. Nam aliis arboribus levis, aliis scaber est cortex : aliæ unico, aliæ multiplici teguntur cortice. Quod vero mirandum est, ea quæ plantis accidunt, ea comperias modo haud dispari juventuti hominum ac senectuti accidere. Enim vero novellis ac vigentibus cortex circum extenditur : ubi senuerint, quasi rugosus et asper evadit. Et aliæ germinant licet incisæ : aliæ autem citra successionem et propaginem remanent, cæsuram perinde ut mortem quamdam perpessæ. Jam

[1] Psal. LI, 10.

vero succisas, aut etiam combustas pinus quidam observarunt in querceta verti. Porro naturalia quarumdam arborum vitia agricolarum diligentia curari novimus; cujusmodi sunt mali punicæ acidæ, et amygdalæ amariores, quæ, ubi perforato ad radicem trunco pinguem piceæ cuneum per mediam medullam adactum susceperint, tunc succi acerbitatem in bonum usum transmutant. Nemo igitur in vitio degens, de se ipse desperet : haud nescius plantarum qualitates ut agricultura commutari : ita animi diligentia quæ in consequenda virtute adhibenda est, infirmitates omnes superari posse. At vero tanta est frugiferarum arborum in edendis fructibus differentia, ut ne possit quidem quisquam eam verbis explicare. Non enim solum in arboribus genere diversis, diversitas reperitur fructuum : sed in ipsa etiam arboris specie multum est discriminis; quandoquidem alia in marium, alia in fœminarum fructu nota distincta est a stirpium cultoribus, qui scilicet palmas etiam in mares ac fœminas dividant. Atque aliquando videas eam quæ ab ipsis fœmina nuncupatur, demittentem ramos, velut libidine concitatam, marisque amplexum appetentem. Videas itidem harumce arborum cultores velut quædam mascularum semina quæ *psenes* vocantur, ramis ejus immittere; sicque ipsam quasi in fruitionis sensu constitutam, iterum ramos erigere, et hujus arboris comam ad propriam formam redire. Porro idipsum etiam narrant de ficis. Unde alii quidem ficos sylvestres juxta hortenses conserunt : alii vero grossos caprifici fructuosis ac domesticis ficis alligantes, ipsarum medentur infirmitati, jamque diffluentem, ac evanescentem fructum grossis caprifici continent. Quid vult sibi illud naturæ exemplum? Quod nos vel ab iis qui a fide alieni sunt, impetum quemdam ac vigorem ad dandum bonorum operum

specimen sæpe accipere debemus. Etenim si videris eum, qui aut vitam ethnicam agit, aut ob perversam quamdam hæresim ab Ecclesia abscissus est, probæ ac continentis vitæ, et reliquæ moralis disciplinæ studiosum esse; tuam magis intende sedulitatem, ut fructiferæ fico ex caprificorum præsentia colligenti vires, et defluvium cohibenti, fructumque diligentius enutrienti, similis evadas.

VIII. Tales igitur sunt circa generationis modum differentiæ plantarum, ut pauca admodum de plurimis dicamus. Ipsorum autem fructuum varietatem, figuras, colores, saporum proprietatem, uniuscujusque utilitatem, quis recensere possit? Quomodo quidam nudi coquantur a sole, quidam vero putaminibus contecti, compleantur: et quarum arborum tener est fructus, in iis crassum sit folii tegumentum, velut in fico: quarum vero fructus sunt firmiores, leve sit foliorum tutamen, uti in nuce. Nam illis ob debilitatem subsidio majore opus erat: his vero amictus crassior propter frondium umbram nocuisset. Quomodo diffissum sit vitis folium, ut uva et aëris injuriis resistat, et radium solis per illius raritatem ubertim suscipiat. Nihil sine causa, nihil temere factum est. Omnia ab ineffabili quadam sapientia proficiscuntur. Quænam oratio possit omnia assequi? Quomodo omnia accurate recensere possit mens humana, adeo ut proprietates cognoscat, secernat clare singulorum differentias, et occultas causas certo proferat. Una aqua per radicem attracta, aliter nutrit ipsam radicem, aliter trunci corticem, aliter lignum, aliter medullam. Eadem et folium fit, et in majores ac in minores ramos discinditur, et præstat fructibus incrementum: lacrymæ etiam et succus plantæ ex eadem causa proveniunt: quæ quantum inter se differant nullus sermo explicare possit. Alia

est enim lentisci lacryma, alius balsami succus: quædam etiam ferulæ in Ægypto et in Lybia stillant aliud succorum genus. Ferunt quoque electrum succum esse plantarum in lapidis naturam concretum. Porro opinionis hujus testimonium sunt festucæ in ipso apparentes, ac bestiolæ tenuissimæ, quæ propterea quod in tenero ac molli succo consederint, detinentur inclusæ. Et in summa, qui non experimento edoctus est, quantum inter se discrepent succorum qualitates, is ad eorum vim et efficaciam explicandam nullum reperturus est sermonem. Quomodo iterum ab eodem humore in vite quidem vinum producitur, in olea autem oleum. Atque non id solum mirandum est, quonam pacto humor hîc dulcis, illic pinguis evaserit; sed quod etiam in dulcibus fructibus inenarrabilis est qualitatis commutatio. Alia est enim in vite dulcedo, alia in malo, in fico, ac in palma. Volo insuper, ut hæc majori studio et arte perscruteris. Quomodo aqua eadem nunc sensui lenis sit, cum in quibusdam plantis commorans dulcessit : nunc vero pungat gustum, cum per alias plantas diducta acescit. Ac rursus in extremam amaritudinem versa, sensum exasperat, cum in absinthio aut scammonea insederit. Quinetiam in glandibus aut in corni fructu ad astringentem asperamque qualitatem transit : in terebinthis vero et nucibus, in teneram et oleosam naturam transmutatur.

IX. Et quid opus est procul dissita proferre, cum in eadem ficu in qualitates maxime contrarias commigret? Est enim in succo amarissima : contra, dulcissima est in ipso fructu. Et in vite, astrengentissima est in ramis, in uvis vero suavissima. Quod autem differentiæ sunt colorum? Videas enim in prato eamdem aquam in hoc quidem flore rubescentem, in alio purpuream, in hoc cæruleam, in alio albam : atque iterum differentiam

majorem exhibet in odoribus; quam ipsa est colorum varietas. Sed enim orationem meam cerno ob inexplebile ista speculandi desiderium, ultra modum excrescere: quam nisi astrinxero, revocaveroque ad creationis legem; dies me deficiet, magnam vobis sapientiam ex minimis rebus exhibentem. « Germinet terra lignum fructiferum faciens » fructum super terram. » Et subito montium cacumina comantia comparebant, et solerter concinnabantur horti, et fluviorum ripæ infinitis adornabantur plantarum generibus. Atque hæ quidem ad exornandam hominum mensam ordinabantur : illæ vero ex frondibus fructibusque alimentum pecoribus præstabant. Aliæ conferunt nobis medicinæ subsidia, succôs, liquores, festucas; cortices, fructum : et uno verbo, quæcumque nobis invenit diutina experientia, dum ex singulis casibus id quod utile est colligit, hæc omnia perspicax conditoris providentia, ab initio res prospiciens, edidit ac produxit. Tu vero cum videris hortensia, silvestria; aquatica, terrestria, florifera, aut non florentia, in parvo magnum agnoscens, semper tuam magis ac magis intendas admirationem, ac velim augeas amorem in creatorem tuum. Expende quomodo alias arbores perpetuo virentes, alias vero nudationi obnoxias condiderit : et quomodo inter eas quæ semper virescunt, aliæ amittant frondes, aliæ semper ipsas servent. Enimvero olea et pinus exuuntur foliis; tametsi sensim occulteque frondes alternant, adeo ut nunquam coma denudari videantur. Palma autem perpetuo folia retinet, utpote quæ cum eisdem foliis a prima germinatione ad finem usque permaneat. Deinde et illud animadverte, quomodo myrica est veluti anceps : annumeratur nimirum et inter aquatica, et in solitudinibus abundat. Quapropter etiam Hieremias pejo-

res et ambiguos mores huic plantæ merito comparat[1].

X. « Germinet terra. » Hoc perbreve præceptum statim magna natura et artificiosus sermo erat, innumeras stirpium proprietates cogitatione nostra citius proferens. Præceptum illud quod etiam nunc terræ inest, eam quotannis urget, ut facultatem suam omnem, qua ad herbas, semina, arboresque generandas prædita est, exerat. Quemadmodum enim turbines ex primo ictu ipsis incusso, eos qui deinceps sequuntur gyros conficiunt; cum in se ipsis, fixo centro, circumferuntur : sic et naturæ ordo ab hoc primo præcepto exorsus, ad omne deinceps tempus transit, donec ad communem universi consummationem pervenerit. Ad quam et nos omnes referti fructibus, ac bonorum operum pleni festinemus, ut plantati in domo Domini, in atriis Dei nostri efflorescamus[2], in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum, Amen.

[1] Hier. XVII, 6. — [2] Psal. CXI, 14.

HOMILIA VI.

De generatione luminarium.

I. Spectatorem athletarum oportet et ipsum contentionis participem esse [1]. Idque ex panegyricis legibus quivis cognoverit, quæ in stadio considentes, nudo capite sedere jubent : ut quisque, mea quidem sententia, non sit solum decertantium spectator, sed etiam aliqua ex parte athleta existat. Sic sane etiam magnorum atque admirabilium spectaculorum inquisitorem, illiusque vere summæ ac ineffabilis sapientiæ auditorem, dum accedit, par fuerit quædam ad res propositas contemplandas incitamenta ex se habere, ac mecum pro viribus esse certaminis consortem, nec magis judicem astare, quam concertantem; ne forte prætereat nos veritatis inventio, ac meus error commune audientium damnum fiat. Quorsum hæc tandem? Quia cum inquirenda nobis proponatur mundi constitutio, universique contemplatio, quæ ex mundi sapientia nequaquam principium ducit, sed ex his quæ suum servum Deus docuit, illi in specie non per ænigmata locutus : necesse est omnino ingentium spectaculorum amatores non animum habere ad propositarum nobis rerum perceptionem inexercitatum. Itaque si unquam in nocturna serenitate, inenarrabilem astrorum pulchritudinem intentis oculis suspiciens, de universorum opifice cogitasti, quisnam is sit, qui his floribus

1 Vide D. Guillon VII, 113-120.

cœlum distinxit, et quomodo in rebus visibilibus major sit utilitas, quam voluptas. Rursus si interdiu diei miracula didicisti, per diligentem meditationem, invisibilemque per visibilia æstimasti, paratus accedis auditor, ac dignus qui venerandum illud ac beatum theatrum compleas. Age igitur, quemadmodum qui urbium insuetos, manu apprehensa, circumducunt : ita et ipse ad occulta magnæ istius civitatis miracula vos tanquam peregrinos conducam. In civitate illa, in qua est vetus patria nostra, ex qua expulit nos dæmon homicida ille, qui suis illecebris hominem redegit in servitutem. Intuebere hîc primam hominis generationem, et illam quæ nos statim apprehendit mortem : quam peperit peccatum, primogenitus ille dæmonis malorum auctoris partus. Quin et te ipsum nosces ut natura terrenum, ita manuum divinarum opus : viribus quidem longe brutis animalibus imparem, irrationalium vero et inanimatorum principem constitutum : inferiorem quidem naturali apparatu; eum vero, qui rationis præstantia possis ad ipsum cœlum evehi. Isthæc si fuerimus edocti, nosmetipsos cognoscemus, sumus Deum cognituri, adorabimus conditorem, Domino serviemus, glorificabimus Patrem, nostrum amabimus nutritorem, reverebimur benefacientem, nostræ vitæ præsentis et futuræ auctorem colere non desinemus : qui scilicet per eas quas jam largitus est divitias, etiam bonis promissis fidem faciat, ac ea quæ expectantur, præsentium experimento nobis confirmet. Etenim si temporalia talia sunt, qualia erunt æterna? Item si visibilia adeo pulchra sunt, qualia censenda sunt invisibilia? Si cœli magnitudo exuperat humanæ intelligentiæ mensuram, quisnam intellectus valeat sempiternorum naturam perscrutari? Si sol ille corruptioni obnoxius, adeo pulcher est et adeo magnus,

cum velox ad motum, tum ordinatos circuitus explens, magnitudinem quidem ad universum ita accommodatam nactus, ut eam quam cum universo habet proportionem non excedat, sua vero pulchritudine tanquam naturæ oculus quidam pellucidus res creatas condecorans : hujus si insatiabilis est aspectus, quali pulchritudine sol justitiæ præditus est? Si hunc solem non conspicere, cæco detrimentum est : quale est peccatori dispendium luce vera carere?


II. « Et dixit Deus : fiant luminaria in firmamento » cœli ad illuminationem super terram : ut discernant » inter diem et noctem[1]. » Cœlum et terra præcesserant : post hæc fuerat lux creata : dies et nox discretæ fuerant : item factum erat firmamentum, et arida fuerat detecta. Collecta erat aqua in stabilem ac definitam congregationem. Terra propriis germinibus erat referta : quandoquidem et innumera protulerat herbarum genera, et omnimodis plantarum speciebus exuberabat. Necdum tamen erat sol, neque luna : ne solem lucis auctorem ac patrem appellarent, neve qui Deum ignorant, ii arbitrarentur ipsum rerum e terra nascentium opificem esse. Quapropter quarta jam dies accesserat, et tunc Deus dixit : « Fiant luminaria in firmamento cœli. » Cum loquentem non ignores, illico mente audientem conjunge. « Dixit Deus fiant luminaria.... et fecit Deus duo lumi- » naria. » Quis dixit, et quis fecit? Nonne in his duplicem personam percipis? Ubique historiæ inspersum est mystico modo theologiæ dogma. Additur etiam generandorum luminarium necessitas, « ad illuminationem, » inquit, « super terram. » Si lucis generatio præcesserat, quomodo nunc sol iterum dicitur « ad illuminationem » editus? Primum quidem singularis isthæc loquendi ratio

[1] Genes, I. 14.

nullum tibi risum moveat : siquidem vestrum istum verborum delectum non sequimur, neque concinnæ eorum constructioni studemus. Apud nos enim non sunt qui verba tornando expoliant, neque curæ sunt sonoræ voces, sed ubique nominum claritatem anteponimus. Vide igitur, num satis quod volebat, per hanc vocem « illu- » minationem » expresserit : quippe pro splendore illuminationem dixit. Hoc autem cum iis quæ de luce dicta sunt, nihil pugnat. Tunc enim producta est ipsa lucis natura : nunc autem est solare illud corpus conditum, vehiculum ut sit primogenitæ illi luci. Quemadmodum enim aliud est ignis, aliud lucerna : illi quidem vis inest illuminandi, hæc vero ad lumen egentibus præbendum fabricata est : sic etiam luci illi purissimæ sinceræque et materiæ experti ceu vehiculum illa luminaria nunc præparata sunt. Sicut enim Apostolus quosdam ait esse luminaria in mundo[1]; sed est tamen alia lux mundi vera; cujus participatione, sancti facti sunt animarum quas erudiebant luminaria, dum eas ignorantiæ tenebris eximerent : ita etiam nunc solem hunc post splendidissimam illam lucem conditum, in mundo exsuscitavit conditor universorum.

III. Nec cuiquam incredibile videatur quod dictum est, lucis scilicet splendorem aliud quiddam esse : aliquid vero aliud, ipsum corpus luci subjectum. Primum quidem ex eo quod composita omnia sic a nobis dividantur et in recipientem substantiam, et in qualitatem ipsi advenientem. Quemadmodum igitur aliud natura est albor, aliud corpus dealbatum : sic etiam quæ modo retulimus, licet natura diversa, tamen creatoris potentia fuere conjuncta. Nec mihi dixeris fieri non posse, ut hæc a se invicem separentur. Neque enim aio lucis a solari

[1] Phil. II, 15.



corpore separationem mihi et tibi esse possibilem : sed quæ nostra cogitatione dividi possunt, ea dico a naturæ conditore etiam reipsa sejungi posse. Nam et tu vim ignis adurentem a splendore separare nequaquam potes : Deus vero qui famulum suum stupendo miraculo attrahere volebat, ignem in rubo imposuit, qui efficaciam a solo splendore mutuabatur, vim autem urendi habebat otiosam. Velut etiam Psaltes testatur, dicens : « Vox Domini » intercidentis flammam ignis [1]. » Unde etiam cum rerum in vita gestarum merces retribuetur, arcanus quidam sermo nos docet naturam ignis divisum iri, et lucem quidem in fruitionem justis, adustionis vero acerbitatem puniendis destinandam esse. Deinde vero etiam ex lunæ vicissitudinibus fidem quæsitis afferre possumus. Enimvero dum desinit, et decrescit, non toto sui ipsius corpore consumitur, sed circumpositam lucem deponens, et iterum assumens, decrementi speciem et incrementi nobis exhibet. Quod autem lunæ corpus, ipsa silente, non absumatur, ea quæ cernimus, evidenter probant. Nam in aëre puro omnique nebula purgato, cum maxime falcatam figuram habet luna, licet tibi observare ac videre, partem ipsius obscuram ac luce destitutam, a tanta curvatura circumscribi, quanta in pleniluniis totam ipsam explet. Quamobrem circulus absolutus clare conspicitur, si modo visus opacum et caliginosum sinum ad partem illuminatam referat. Nec dicas, quæso, lucem lunæ adventitiam esse, eo quod imminuitur, dum ad solem accedit, iterum vero augetur, dum discedit. Neque enim illud nobis in præsenti investigandum proponitur, sed quod aliud est corpus ipsius, aliud vis illuminans. Sane tale quidpiam mihi cogita et de sole : præterquamquod

[1] Psal. xxviii, 7.

hic lucem quam semel accepit, ac sibi attemperatam habuit, minime deponit : illa vero dum assidue velut exuit et rursus induit lucem, per se ipsam ea etiam quæ de sole dicta sunt, confirmat. Hæc luminaria jussa sunt quoque diem ac noctem inter se separare. Etenim superius a tenebris lucem divisit Deus; tuncque naturam ipsorum in contrarium partitus est : ut inter ipsa intercedat admistio nulla et luci cum tenebris nulla sit societas. Quod enim est in die umbra, id ipsum esse noctu tenebrarum naturam putandum est. Nam si omnis umbra, splendore aliquo illucescente, in partem luci adversam a corporibus excidit, et mane quidem ad occasum protenditur, vespere vero ad orientem versus vergit, fitque in meridie septemtrionalis; etiam nox in partes radiis oppositas secedit, cum secundum naturam nihil aliud sit quam terræ umbra. Quemadmodum enim umbra ideo in die subsistit, quod aliquid lucem obstruit : ita naturaliter nox nascitur, cum aër terræ circumfusus obumbratur. Itaque idipsum est quod dictum fuit : « Deus divisit lucem a tenebris : » quandoquidem lucis accessum declinant tenebræ, cum alienatio naturalis in prima procreatione inter se instituta sit. Nunc autem diei metiendo solem præfecit : lunam vero, cum in proprio circulo omnibus suis numeris absoluta est, noctis moderatricem statuit. Tunc enim fere ex diametro inter se opposita sunt luminaria. Nam luna in pleniluniis, exoriente sole, e conspectu evanescit : contra, occidente sole, hæc ipsa sæpenumero ab oriente emergit. Quod si cœteris in formis lunare lumen una cum nocte non ex æquo perficitur, nihil ad institutum sermonem refert. Verumtamen cum suum statum perfectissimum attigit, ut noctis obtinet principatum, proprio lumine ac splendore astra superans, et tellurem illustrans : ita temporis spatia cum sole ex æquo partitur,

IV. « Et sint in signa, et in tempora, et in dies, et » in annos[1]. » Necessariæ sunt ad humanam vitam notæ luminarium atque significationes. Etenim si quis signa eorum non ultra modum explorat, utiles ipsorum observationes ex longa experientia comperiet. Multa namque de pluviis, multa de siccitate, deque ventorum motu, tum particularium, tum universalium, violentorum aut remissorum discere licet. Profecto unum aliquod solis signum etiam Dominus nobis exposuit, cum ait: « Tem» pestas erit, triste est enim rubens cœlum[2]. » Cum enim per nebulam fit solis ascensus, obscurantur quidem radii : sed sol carbonum in morem rutilans et colore subcruentus conspicitur, hanc oculis speciem objiciente aëris crassitudine. Constat autem aërem illum condensatum ac compactum, cum a radio non diffunditur, ob vaporum e terra exurgentium fluxionem contineri non posse : sed in his regionibus circa quas cogitur, tempestatem ob humoris copiam excitaturum. Similiter etiam cum undelibet restagnat luna, et aëreæ, quas vocant, solem circumscribunt, tunc aut aquæ aëreæ abundantiam, aut vehementium ventorum motum significant. Quin etiam ii quos adversos soles appellant, quando una cum solis conversione circumcursant, aëriorum quorumdam casuum fiunt præsagia. Ita et virgæ illæ quæ iridis imitantur colorem, ac rectæ in nubibus apparent, pluvias aut ingentes procellas, aut denique maximam aëris immutationem portendunt. Multa quoque indicia circa crescentem, vel decrescentem lunam observaverunt, qui rebus istis operam impendere; quasi aër terræ circumfusus, simul cum ipsius figuris necessario permutetur. Cum enim circa tertium diem tenuis est et pura, firmam constantemque serenitatem prænuntiat : sin autem cor-

[1] Gen. I, 14. — [2] Matth. XVI, 3.

nibus crassa, et subrubicunda cernitur, aut copiosam aquam e nubibus lapsuram, aut violentam austri motionem futuram minatur. Jam vero quantum afferant utilitatis generi humano harumce rerum observationes, quis ignorat? Nam nautæ navem intra portus continere licet, pericula e ventis impendentia prævidenti. Fas est viatori eminus incommoda declinare, ex cœli tristitia aëris mutationem expectanti. Agricolæ quoque qui circa semina ac plantarum cultum occupantur, inde conjectant omnem faciendorum operum oportunitatem. Jam vero et dissolutionis universi signa in sole lunaque et astris prædixit Dominus apparitura esse : « Sol vertetur in sangui- » nem, et luna non dabit lumen suum[1] (4). » Hæc sunt consummationis universi signa.

V. Sed qui fines prætergrediuntur, sententiam illam ad defendendam genethliacorum artem trahunt; dicuntque vitam nostram a cœlestium motu pendere; ideoque ea quæ nobis accidunt, a Chaldæis astrorum ope significari. Atque simplicem hanc Scripturæ dictionem; « sint » in signa, » non de aëris affectionibus, neque de temporum immutatione, sed de vitæ sorte suo arbitratu accipiunt. Quid enim dicunt? Quod horum astrorum quæ moventur complexus, ubi cum iis stellis quæ in Zodiaco sitæ sunt, secundum talem figuram inter se concurrerint, tales generationes efficit : contra, quod talis eorumdem habitus, vitæ sortem reddit contrariam. De quibus forte explanationis gratia re paulo altius repetita, inutile non fuerit disceptare. Nihil autem mei ipsius proprium dicturus sum, sed ad eos confutandos suis ipsorum verbis utar : ut præoccupatis quidem jam hoc morbo afferam aliquod remedium, reliquis vero, ne in similes errores incidant, munimen et tutelam. Hanc genethliologiam

[1] Joël, II, 31, et Matth. XXIV, 29.

qui invenere, multas in temporis latitudine ac spatio figuras a se ignorari cum intelligerent, mensuras temporis in angustum prorsus contraxerunt : quasi vel infra minimum ac brevissimum intervallum, quale dicit Apostolus, « in puncto temporis, in ictu oculi[1], » maximum discrimen intercedat inter ortum et ortum. Atque hinc qui in hoc momento genitus fuit, urbium rex est, et locupletissimus ac potens populorum princeps : qui vero in altero temporis puncto natus est, mendicus quispiam futurus est, et vagus, a foribus ad fores quotidiani victus comparandi causa transiens. Quamobrem eo orbe, qui signifer appellatur, duodecim in partes diviso, quoniam sol triginta dierum spatio globi illius qui inerrans dicitur, duodecimam partem pertransit, ideo singulas illas duodecim partes in triginta portiones partiti sunt. Deinde singulis partibus in sexaginta divisis, singulas rursus sexagesimas sexagies secuerunt. Jam vero nascentium ortum præfinientes, videamus an hanc exactam temporis divisionem conservare possint. Nam simul atque natus est puer; quod genitum est, id ne mas sit an fœmina obstetrix explorat : subinde expectat vagitum, quod vitæ ejus qui natus fuit, signum est. Quot vis per hoc tempus præteriisse sexagesimas partes? Chaldeo declarat, quod natum est. Quot minutissimas partes, interea dum obstetrix loqueretur, vis ponamus præteriisse? præsertim si contingat, ut extra gynæceum steterit qui horam colligit ac exponit. Oportet enim eum qui horarum natalium scientiam discere vult, tempus et horam accurate describere, sive diurnæ, sive nocturnæ sint. Quanta iterum sexagesimarum multitudo per hoc tempus præterfluit? Necesse est enim inveniri sidus natalitium, non juxta quodammodo duodecimam partem sit, sed

[1] Cor. xv, 52.

juxta quas etiam duodecimæ partis partes occurrat, et in quota sexagesima, in quas partes partem unamquamque dividi diximus : aut, ut certa rei veritas inveniatur, in quota sexagesima ex iis quæ a primis sexagesimis subdivisæ sunt. Et hanc adeo tenuem et incomprehensibilem temporis investigationem in quibusque planetis fieri necesse esse aiunt; ut compertum sit et exploratum, qualem habeant cum inerrantibus stellis habitum, et qualis eorum inter se esset figura in ejus qui tunc natus est ortu. Quare si fieri non possit, ut horam accurate assequantur, et tamen brevissimi temporis immutatio in causa sit cur a toto aberretur, deridendi sunt et ii qui in hac arte imaginaria excolenda studium ponunt, et ii qui in ipsos aperto ore intenti sunt : perinde quasi ea quæ ipsis sunt eventura, cognoscere possint.

VI. Quales autem producuntur effectus? Hujus capilli, inquiunt, futuri sunt crispi, oculive decori : arietis scilicet habet horam : namque animal illud quodammodo est tale aspectu. Quinetiam erit grandi animo et elato; quippe penes arietem est principatus : erit et largus, et rursus quæstuosus; quandoquidem hoc animal et citra molestiam deponit lanam, et rursus facile a natura vestitur. Sed in tauro natum, tolerantem esse laborum dicunt, atque servilem : quoniam jugo taurus subjicitur. Qui vero editus est sub scorpione, erit percussor, ob eam quam cum isto animali habet similitudinem. Qui autem in libra natus est, futurus est justus, propter librarum apud nos æqualitatem. Quid his magis ridiculum esse possit? Aries ille a quo hominis natalem desumis, cœli pars est duodecima, in qua cum fuerit sol, verna signa attingit. Et libra et taurus similiter, unumquodque ex his signis ejus circuli qui Zodiacus vocatur, pars est duodecima. Quomodo igitur illinc præcipuas

vitæ humanæ causas proficisci doces, et ex terrenis pecudibus nascentium hominum mores exprimis atque effingis? Nam qui in ariete exoritur, liberalis est, non quod illa pars cœli mores tales efficiat, sed quod huic pecori talis natura insit. Quid ergo fidem ex astris tibi faciens perterrefacis nos, hæcque per balatus conaris persuadere? Nam si cœlum ab animalibus tales accipit morum proprietates, ipsum etiam alienis principiis est subjectum, quippe quod causas ex his pecoribus dependentes habeat. Quod si id asserere ridiculum sit, longe magis ridiculum est, ex iis inter quæ nulla necessitudo intercedit, conari opinionem illam credibilem probabilemque reddere. Atqui hæ istorum argutiæ aranearum telis sunt consimiles, in quas cum culex, aut musca, aut quodvis animal hisce imbecillibus simile inciderit, irretita detinentur : at cum fortius aliquod animal accesserit, illud et facile pertransit, et tenuem hanc texturam perrumpit ac dissipat.

VII. Verum non his solis contenti sunt, sed etiam quarum rerum domina est uniuscujusque nostrum voluntas (hoc est, studiorum virtutis aut vitii) illarum etiam causas cœlestibus attribuunt. Quibus contradicere alioqui ridiculum est : sed quia plures eo errore præoccupantur, hæc forte necesse fuerit silentio non præterire. Primum quidem illud ipsos interrogabimus, num ne stellarum figuræ diebus singulis sexcenties mutentur? Nam cum stellæ illæ quæ nuncupantur errantes, semper moveantur, et aliæ quidem citius sibi mutuo occurrant, aliæ vero circuitus tardiores conficiant, in eadem hora sæpenumero et se invicem respiciunt, et occultantur. Et cum in ortu id maximi sit momenti, aut a benefica stella, ut ipsi loquuntur, aut a malefica conspici; et cum sæpe id tempus quo benefica stella testimonium

præbebat non assequantur, ob unius minutissimi spatii ignorantiam, hanc ipsam velut in mala fortuna sitam recensuerunt. Cogor enim ipsis eorum vocibus uti. Sane multum est amentiæ in his verbis, sed longe plus est impietatis. Nam maleficæ stellæ malignitatis suæ causam in suum ipsarum conditorem transferunt. Etenim si ipsis a natura inest malum, conditor ipse erit mali effector : si vero sua sponte et voluntate malæ evadunt, primum quidem animalia erunt eligendi facultate prædita, soluto ac libero impetu utentia; id quod de inanimatis ementiri ac fingere, dementiæ summæ est. Deinde quantum a ratione abhorret, malum aut bonum non pro merito cuique distribuere, adeoque profiteri, ideo stellam esse beneficam, quia in hoc loco stat, et, quoniam ab hac conspicitur, idcirco eam fieri maleficam : et eamdem rursus, postquam paululum declinaverit a figura, suæ protinus oblivisci malignitatis. Atque hæc quidem hactenus. Si vero singulis temporis momentis stellæ in aliam atque aliam transmutantur figuram, si in his innumeris commutationibus sæpe in die regiarum nativitatum figurationes perficiuntur; cur singulis diebus non nascuntur reges? aut cur omnino regni successiones paternæ apud ipsos sunt? Neque enim rex quilibet diligenter ad regiam stellarum figuram, filii sui ortum accommodat. Quis enim mortalium talis rei dominus esse possit? Quomodo ergo Ozias genuit Joatham, Joatham Achas, Achas Ezechiam, et nullus ex his servilem nativitatis horam nactus est? Præterea si vitiorum aut virtutum principia non sunt in nobis sita, sed sunt necessitates ab ortu pendentes; inutiles sunt legislatores, qui nobis agenda ac fugienda præscribunt : inutiles quoque judices, qui virtutem honore, vitium pœnis afficiunt. Non enim furis est iniquitas, neque homicidæ; qui ne volens quidem

poterat manum continere, ob ineluctabilem necessitatem ipsum ad agendum impellentem. Vanissimi autem omnium sunt qui artes excolunt : quippe frugibus abundabit agricola, tametsi neque semina in terram dejiciat, neque falcem exacuat. Mercator itidem, velit, nolit, supra modum ditescet, fato ei opes coacervante. Magnæ autem illæ Christianorum spes evanescentes excident nobis, cum neque justitia honoribus ullis afficiatur, neque puniatur peccatum; propterea quod nihil ab hominibus libero animi proposito agatur. Nam ubi necessitas, et fatum dominatur, ibi dignitatis meritique ratio nullum locum habet : id quod tamen præcipuum justi judicii fundamentum est. Et quidem adversus illos huc usque. Neque enim verbis pluribus egetis vos, qui scilicet a vobis ipsis sanæ mentis sitis : neque tempus ultra modum adversus eos invehi nos sinit.

VIII. Jam ad verba consequentia redeamus. « Sint, » inquit, « in signa et in tempora, et in dies et in annos. » Dictum est a nobis de signis. Tempora autem putamus dici ipsas tempestatum mutationes, hiemis, veris, æstatis et autumni : quibus ordinatus luminarium motus tribuit, ut nos ordinate lustrent. Fit enim hiems, cum sol in austrinis commoratur partibus, ac multum nocturnæ umbræ in his nostris regionibus efficit. Quamobrem refrigeratur aër terræ circumfusus; ac omnes humidæ exhalationes circa nos coactæ, imbrium frigorumque et nivium copiosissimarum causa sunt et origo. At cum iterum ab australibus regionibus reversus, in medio steterit, adeo ut ex æquo partiatur diei noctisque tempus : quanto plus supra terræ loca commoratur, tanto meliorem temperiem per vices reducit. Atque ver accedit, omnibus quidem plantis germinandi auctor, arboribus vero plurimis reviviscendi ansam præbens, omnibusque

animalibus tum terrestribus tum aquatilibus per prolis successionem genus asservans. Hinc autem jam ad solstitium æstivum versus ipsum septemtrionem pergens sol, dies nobis maximos adducit. Et quoniam diutissime in aëre immoratur, torrefacit ipsum aërem capiti nostro imminentem, et terram omnem exsiccat, hoc pacto et seminum maturitatem juvans, et arborum fructus ad concoctionem urgens. At vero quando flagrantissimus est sol, breves in meridie umbras efficit : propterea quod ex alto regiones nostras illustrat. Nam maximi dies ii sunt, in quibus umbræ sunt brevissimæ : et contra, brevissimi dies ii sunt, qui umbras habent longissimas. Idque apud nos contingit, qui appelamur *heteroscii* quique aquilonares terræ partes habitamus. Verum enim vero sunt nonnulli, qui per duos uniuscujusque anni dies omnino umbra carent, in meridie constituti : quos a vertice illustrans sol, ipsos suo lumine ita ex æquo undelibet circumfundit, ut etiam puteorum profundorum aqua per angusta ora illuminetur : unde quidam illos vocant *ascios*. Verum qui ultra terram odoriferam habitant, in utramque partem alternant umbras. Soli enim ex his qui hunc nostrum orbem habitabilem incolunt, umbras in meridie ad australes partes demittunt. Unde eos quidam *amphiscios* vocarunt. Ubi autem sol jam ad aquilonarem partem transiit, tum hæc omnia fiunt. Sane quantus sit ardor qui ex radiis solaribus aëri accedit, qualesve casus producat, ex his conjectare licet. Hinc autumni tempus nos excipiens, infringit quidem nimium æstum : paulatim vero de calore remittens, ex se per temperaturæ mediocritatem ad hiemem nos citra noxam deducit, sole videlicet rursus ab aquiloniis regionibus ad austrinas remeante. Hæ ipsæ quæ solis motum sequuntur, temporum vicissitudines, vitam nostram

moderantur. « Sint, » inquit, « et in dies : » non ut dies conficiant, sed ut diebus præsint. Dies enim et nox luminarium ortum antecesserunt. Idipsum enim nobis psalmus declarat, in quo dicitur : « Posuit solem in » potestatem diei, lunam et stellas in potestatem noctis[1]. » Quomodo igitur sol diei obtinet potestatem ? Quia lucem in seipso circumferens ; ubi tandem horizontem nostrum fuerit prætergressus, dissolutis fugatisque tenebris diem affert. Quamobrem non erraverit, qui diem ita definiet, ut aërem esse dicat a sole illuminatum, aut temporis mensuram, quo sol super terram in nostro hemisphærio commoratur. Sed « et in annos » sol et luna ordinati sunt. Luna quidem postquam duodecies suum perfecit cursum, annum peragit : nisi quod mense intercalari sæpe opus est ad accuratum tempestatum concursum, velut antiquitus Hebræi, et Græcorum vetustissimi annum metiebantur. Annus autem solaris, reditus est solis ex eodem signo in idem signum per proprium motum.

IX. « Et fecit Deus duo luminaria magna[2]. » Cum magnum modo absolutam habeat intelligentiam, veluti magnum est cœlum, magna est terra, magnum est mare : modo vero, quod vulgo fit, ad alterum referri soleat : exempli causa, magnus equus, aut magnus bos. Non enim ob amplam corporeæ molis quantitatem, sed ob institutam cum similibus comparationem, testimonium magnitudinis consequuntur. Quomodo igitur magni significationem accipiemus ? Utrum quemadmodum formicam aud aliud quodvis animal suapte natura parvum, magnum appellamus, ob factam cum aliis ejusdem generis comparationem, molem solito majorem testificantes ? An nunc magnum accipiendum est, ita ut in propria luminarium constitutione ac natura magnitudo apparet.

[1] Psal. cxxxv, 8. — [2] Gen. I, 16.

Ego equidem sic sentio. Non enim quia hæc luminaria majora sunt minoribus stellis, ob id magna sunt : sed quia tantum habent ambitum, ut diffusus ab ipsis splendor cœlo et aëri illustrando satis sit, seque simul ad omnem terram et mare extendat. Quæ sane in quacumque cœli parte fuerint, dum et oriuntur, et occidunt, et medium occupant, undique ab hominibus æqualia conspiciuntur, id quod immensam eorum magnitudinem aperte ostendit, quandoquidem terræ latitudo nihil confert, quo ipsa aut majora, aut minora videantur. Nam ea quæ longe distant, minora quodammodo cernimus : ad quæ si propius accedimus, melius eorum comperimus magnitudinem. At soli propinquior est nemo, ab eo nemo remotior : sed ex æquali intervallo quibusvis quacumque volueris terræ partem habitantibus obvium se offert. Argumento id fuerit, quod Indi juxta ac Britanni ipsum æqualem contuentur. Neque enim sol dum occidit, magnitudinem suam erga eos qui orientales regiones incolunt, imminuit : neque oriens occidentis habitatoribus minor comparet. Neque vero cum medium cœlum attingit, in alterutram partem immutat aspectum. Cave te decipiat species solis; neque quia cubitalis cernentibus esse videtur, hanc ipsi inesse magnitudinem putes. Contrahi namque in maximis distantiis solet eorum quæ cernuntur magnitudo, quandoquidem vis ipsa cernendi non potest loca interposita penetrare : sed velut in medio spatio absumitur, aut parva sui ipsius parte, ea quæ conspiciuntur attingit. Cum igitur visus noster parvus fit, tum in causa est cur ea quæ aspiciuntur, reputentur parva, sua ipsius affectione in res conspectas translata. Quare si fallitur visus, fides nulla judicio illius est adhibenda. Memineris porro tuorum ipsius affectuum, et a te ipso eorum quæ dicuntur habebis argumentum atque probationem.

Si unquam ex magni montis cacumine campum ingentem simul et supinum conspexisti, quanta tibi visa sunt boum juga? Quanti et ipsi aratores? Annon quamdam formicarum imaginem tibi repræsentarunt? Si vero et a speculo ad vastum pelagus conversa, oculos in mare conjecisti, quantæ tibi visæ sunt insulæ maximæ? Quanta rursus tibi apparuit una navis oneraria et prægrandis, albis velis super cæruleum mare invecta? Nonne imaginem tibi exhibuit quavis columba minorem? Quia, ut dixi, visus in aëre consumptus, exilis evadens, res oculis subjectas accurate apprehendere nequit. Quin et aspectus maximos montes profundis vallibus abruptos; rotundos et leves esse judicat, cum sit ad solas eminentias intentus, nec concava intermedia propter imbecillitatem ingredi queat. Sic neque corporum figuras quales sunt servat: sed quadrangulas turres teretes esse putat. Quare undelibet constat, in maximis intervallis non perfectam, sed confusam corporum effigiem apprehendi. Magnum igitur est luminare, juxta scripturæ testimonium, ac infinito majus quam apparet.

X. Sed et illud tibi evidens sit magnitudinis signum. Quamvis innumera sit in cœlo stellarum multitudo; collectum ipsarum lumen ad noctis tristitiam dissolvendam non sufficit. At solum illud luminare, simul ut super horizontem apparet, imo dum adhuc expectatur, priusquam etiam omnino supra terram emineat, et tenebras dissipat, et stellas splendore superat, et circumjacentem telluri aërem antea concretum et densatum liquefacit, ac effundit. Unde et venti matutini et ros in sudo terram circumfluunt. Quomodo autem terram totam, cum tanta sit, uno temporis momento illustrare posset, nisi a magno orbe lumen emitteret? Hîc disce, quæso, opificis sapientiam, quomodo calorem ipsi contulit tanto huic

intervallo convenientem. Is est enim ipsius calor, ut neque propter nimietatem adurat tellurem, neque per defectum perfrigeratam illam infecundamque relinquat. Jam germanum quiddam ac simile his quæ dicta sunt, de luna etiam intelligatur. Est enim et corpus ipsius magnum, et post solem sane splendidissimum. Non tamen semper visibilis permanet ipsius magnitudo : sed nunc quidem in suo circulo absoluta, nunc vero deficiens atque imminuta conspicitur, et altera sui parte defectum ostendit. Etenim dum crescit, altera parte obumbratur : altera vero illius pars tempore decrementi occultatur. Porro sapienti opifici in hac varia figurarum permutatione non defuit arcana quædam ratio. Aut enim id fit, ut nobis nostræ naturæ perspicuum exemplum præbeat, scilicet nihil humani stabile esse : sed alia quidem quæ non existebant, ad perfectionem perduci : alia vero ad proprium vigorem progressa, summumque mensuræ ipsorum incrementum adepta, iterum paulatim decrescendo corrumpi, dissolvique, et imminuta destrui. Quare ex lunæ aspectu nos nostra erudimur, ut celerem rerum humanarum mutationem percipientes, ob vitæ felicitatem non nimium nobis arrogemus, neque in potentia gloriemur, neque divitiarum incerto attollamur: sed carnem quæ mutatur, aspernemur animam vero cujus immotum est bonum, curemus. Quod si luna dum splendorem paulatim decrescendo absumit, tibi tristitiam creat : dolore te majore afficiat anima, quæ postquam virtutem assecuta est, bonum amittit ob negligentiam, et nunquam in eadem persistit affectione, sed frequenter ob animi inconstantiam vertitur, ac mutatur. Vere enim, ut dictum est : « Stultus sicut luna mutatur[1]. » Quinetiam ad animalia constituenda, et ad

[1] Eccli. XXVII, 12.

res cæteras quæ ex terra nascuntur perficiendas, lunæ mutationem non parum conducere arbitror. Aliter enim ea decrescente, aliter eadem increscente afficiuntur corpora. Nunc quidem, ea desinente rara fiunt et vacua : nunc vero, augescente et ad plenitudinem festinante, etiam ipsa rursus replentur ; proptereaquod humorem quemdam calori immixtum, qui ad partes usque interiores pervenit, latenter immittit. Id declarant tum ii, qui sub luna dormiunt, copioso humore capitis eorum capacitates implente : tum carnes recens necatæ, dum cito permutantur lunæ defluvio : tum animalium cerebrum, et marinorum animalium humidissima, et arborum medullæ. Quæ sane omnia mutatione sua commutare non posset, nisi, juxta Scripturæ testimonium, ei inesset quidpiam ingens, ac viribus præpollens.

XI. Sed et quæ aëri accidunt affectiones, cum lunæ mutationibus consentiunt, velut testantur nobis et repentinæ perturbationes, quæ dum nascitur luna, nubibus exagitatis ac sibi invicem occurrentibus, sæpe post tranquillitatem ventorumque silentium exoriuntur : item, Euriporum refluxus; ac maris quod vocatur oceanum, æstus reciproci, quos repererunt accolæ conversionibus lunæ ordinate respondere. Nam Euripi inter reliquas lunæ figuras effluunt in utramque partem : sed ortus ipsius tempore, ne brevissimo quidem momento quiescunt : sed in agitatione, atque in continua libratione perseverant, donec rursus apparens huic reciprocationi ordinem aliquem dederit. Occiduum autem mare æstibus reciprocis obnoxium est, nunc quidem revertens, nunc vero restagnans : quasi retrorsum subtraheretur lunæ respirationibus, ac iterum ipsius expirationibus ad propriam mensuram impelleretur. Hæc a me dicta sunt, ut luminarium demonstraretur magnitudo; utque constaret

in verbis divinitus inspiratis ne ullam quidem syllabam esse otiosam : quanquam fere nihil eorum quæ momenti alicujus sunt ac principaliora, oratio nostra attigit. Plura namque de magnitudine, deque distantiis solis ac lunæ ratiocinando excogitare poterit, qui vim et virtutem eorum haud perfunctorie expenderit. Itaque ingenue accusanda est nostra ipsorum imbecillitas, ne quis opificia maxima nostris verbis metiatur : sed ex paucis quæ retulimus, quot et quanta sint ea quæ omissa fuere, apud vos reputare debetis. Ne igitur oculo lunam metiare, sed ratione, quæ ad inveniendam veritatem oculis longe accuratior est ac certior. Ridiculæ quædam fabulæ ab aniculis temulentis insipienter confictæ, ubique pervulgatæ sunt, quod luna incantationibus quibusdam ex propria sede emota, ad terram deferatur. Quomodo ergo præstigiatorum incantamentum eam emovebit, quam ipse Altissimus fundavit? Quisnam vero locus detractam ipsam suscipere potuisset? Vis ex exiguis indiciis magnitudinem illius compertam habere? Urbes orbis terrarum, quam longissimo licet inter se dissitæ intervallo, ex æquo omnes in iis qui orienti obversi sunt vicis, lunare lumen excipiunt. Quibus omnibus nisi oppositam faciem haberet, angiportus quidem recta ipsi respondentes omnino illustraret : in eos vero qui latitudinem ipsius excedunt, inclinatos radios in obliqua delapsos immitteret : id quod etiam ex accensis in domibus lucernis observare licet. Nam cum plures circumsteterint ipsam lucernam, umbra ejus qui directo stat, in directum porrigitur : reliquæ vero in utramque declinant partem. Quare nisi corpus lunare esset immensum quiddam et prægrande, non utique ad omnes similiter extendere se posset. Enim vero qui et zonam rigentem accolunt, et sub ursæ siti sunt conversionibus, et juxta meridiei cava vicini sunt

zonæ torridæ, hi luna ab æquinoctialibus locis oriente pariter fruuntur : ad quos omnes secundum latitudinem ex adverso accedens, magnitudinis suæ testimonium manifestissimum præbet. Quis igitur inficias ierit maximum esse ipsius corpus; cum tot ac tantis simul distantiis adæquetur? Et quidem de solis ac lunæ magnitudine hactenus. Cæterum qui eam intelligentiam tribuit, ut ex minimis rebus creatis magnam opificis sapientiam condisceremus, tribuat etiam ut ex magnis majora de creatore sentiamus concipiamusque : quanquam conditoris comparatione, sol et luna culicis ac formicæ rationem obtinent. Notio siquidem quæ Dei universorum magnitudine digna sit, ex iis desumi non potest : sed ex parvis quibusdam et tenuibus indiciis per ipsa quemadmodum et per singula minutissima animalia, aut etiam per minutissimas herbas incitamur. His quæ dicta fuere, simus contenti. Ego quidem gratias ago ei, qui exiguam hanc verbi administrationem mihi impertivit : vos vero grates persolvatis ei qui vos spiritualibus nutrit alimentis, qui etiam nunc vos vocis meæ exilitate tanquam hordeaceo quodam pane enutrivit. Et utinam alat semper, juxta fidei portionem largiens vobis[1] spiritus manifestationem in Christo Jesu domino nostro, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum, Amen.

[1] Cor. XII, 7.

HOMILIA VII.

De reptilibus.

I. « Et dixit Deus[1] : producant aquæ reptilia animarum viventium juxta genus, et volatilia volantia » secundum firmamentum cœli juxta genus[2]. » Post luminarium creationem, mox aquæ etiam replentur animantibus, ut et hæc portio exornaretur. Acceperat enim terra ex propriis germinibus ornatum, cœlum quoque acceperat stellarum flores; ac veluti geminorum oculorum conjectu, magnorum scilicet luminarium conjugatione, fuerat adornatum. Reliquum erat, ut aquis etiam suum tribueretur ornamentum. Venit præceptum; et statim fluvii donantur vi producendi, et singula stagna pariunt sua naturaliaque genera. Quin et mare omnimoda natatilium genera parturiebat: et ne ea quidem aqua quæ erat in limosis ac cœnosis locis permanebat otiosa : neque a fine in creatione proposito aberrabat. Nam certe ex ipsis abunde emergebant ranæ, muliones, culices. Quæ enim etiamnum videntur argumentum sunt præteritorum. Sic aqua omnis exequi conditoris sui imperium festinabat : et quorum ne genera quidem ullus enumerare possit, horum statim vitam magna ac ineffabilis Dei potentia efficacem ac motu præditam reddidit, ubi primum aquæ per illud imperium ad generandum animal idoneæ effectæ sunt. « Producant aquæ reptilia animarum » viventium. » Nunc primum animatum et sensus particeps

[1] Gen. I, 20.— [2] Vide D. Guillon VII, 120-124.

animal creatur. Nam plantæ et arbores etiamsi vivere dicantur, propterea quod facultatem quamdam qua nutriuntur augenturque, pariter habent; non tamen animalia sunt, neque res animatæ. Eam ob causam, « producant » aquæ reptilia. » Natatile quodlibet, sive in superficie aquæ innatet sive in fundo aquam secet: ad reptilium attinet naturam, quippe quod per aquæ corpus sese trahat. Quanquam autem quædam ex aquatilibus, pedes habent, ac gradiuntur (maxime cum horum pleraque sint amphibia velut phocæ, crocodili, fluviatiles equi, ranæ et cancri) attamen natatile locum præcipuum obtinet. Propterea, « producant aquæ reptilia. » In his exiguis verbis quodnam omissum est genus? Quid non comprehensum est in hoc opificii præcepto? Nonne ea quæ animal pariunt, comprehenduntur, ut phocæ, delphines, torpedines, et his similia, quæ dicuntur cartilaginosa? Annon ea comprehensa sunt quæ ova edunt, qualia sunt omnia fere piscium genera? Nonne squamosa omnia? nonne omnia corticosa? nonne quibus insunt pinnæ, et quibus non sunt? Vox quidem præcepti parva, imo ne vox quidem, sed solum nutus et voluntatis impetus : at vero sententiæ quæ in præcepto delitescit, tanta est varietas, quanta et ipsa piscium differentia, aut societas. Quæ omnia accurate recensere, perinde est atque si quispiam fluctus pelagi enumerare, aut manus vola aquam maris admetiri conaretur. « Producant aquæ reptilia. » In his sunt *pelagia*, littorea, alia in profundo degentia, alia petris adhærentia : sunt gregalia, solivaga, cete, maximi et minutissimi pisces. Enimvero virtute eadem et æquali præcepto animal tum magnum tum parvum in lucem editur. « Producant aquæ. » Ostendit tibi eam quam natatilia cum aquis habent affinitatem; eoque pisces paululum ab aqua semoti, intereunt. Neque enim ipsis

inest respiratio, ut hunc possint trahere aërem : sed quod terrestribus est aër, id aqua est huic natatilium generi. Et causa clara est et manifesta. Nimirum in nobis est pulmo, viscus rarum ac multis meatibus patens, quod per thoracis distensionem aërem recipiens, internum nostrum calorem ventilat, refrigeratque : in illis vero branchiarum distensio et contractio quæ aquam suscipiunt et emittunt, munus ac vicem explent respirationis. Propria piscium est sors, natura propria, victus separatus, peculiaris vita. Ideo neque cicurari quidquam ex natatilibus potest, neque ullo modo humanæ manus contactum patitur.

II. « Producant aquæ reptilia animarum viventium » secundum genus. » Uniuscujusque generis primitias nunc quasi quædam naturæ semina produci jubet : eorum autem multitudo in secuturam successionem remittitur, cum ea aucta oportuerit ac multiplicata. Alterius generis sunt ea quæ testis operta dicuntur, ceu conchæ, pectines, cochleæ marinæ, strombi et innumeræ ostreorum differentiæ. Præter hæc aliud rursus genus sunt quæ crustacea vocantur : nimirum carabi, cancri et his similia. Aliud præter hæc genus est eorum quæ mollia appellant quorum caro tenera est et laxa, uti polypi, et sepiæ cæteraque hujusmodi. Et in illis iterum infinitæ reperiuntur varietates. Dracones enim, murænæ, et anguillæ in limosis fluminibus et in stagnis nascentes, reptilibus venenatis magis quam piscibus juxta naturæ similitudinem accedunt. Pertinent ad aliud genus ea quæ ovum, ad aliud vero ea, quæ animal pariunt. Procreant autem animal ea quæ mustelini generis sunt et cynisci, et in summa, ea quæ cartilaginosa vocantur. Quin etiam inter cete, plurima sunt quæ animal gignunt, delphines et phocæ, quæ suos catulos recentes adhuc ac teneros, aliqua

ex causa perterritos, in ventrem denuo admissos, in tutelam suam recipere narrantur. « Producant aquæ » juxta genus. » Aliud cetorum genus, aliud exiguorum piscium. Rursus in piscibus innumeræ sunt differentiæ secundum genera divisæ : quarum et nomina propria, et alimentum diversum, et figura, et magnitudo et carnium qualitates : omnia maximis inter se differentiis distincta, in aliis atque aliis speciebus constituuntur. Qui sunt igitur thunnorum exploratores, qui diversa eorum genera nobis enumerare possint? quanquam in magnis piscium gregibus dicuntur etiam illorum numerum declarare. Quis vero ex iis qui circa littora ac ripas consenuere, omnium nobis historiam accurate patefacere ac indicare valeat? Alia genera cognoscunt qui in Indico mari piscantur : alia, qui in Ægyptio sinu : alia, insulares : alia, Maurusii. Omnia autem æqualiter tum parva tum magna primum illud mandatum, et inenarrabilis illa potentia procreavit. Multa vivendi diversitas : multum circa uniuscujusque generis successionem discrimen. Non ut aves, ovis incubant piscium plurimi : non construunt nidos, neque cum labore suos enutriunt fœtus : sed aqua elapsum ovum suscipiens, animal efficit. Quin et immutabilis et cum altera natura insociabilis successio inest generi unicuique. Non velut mulorum in terra, aut quarumdam volucrum permistiones, quibus adulterantur genera. Nullum piscium genus dimidia ex parte instructum est dentibus, ut bos et ovis apud nos : neque enim ipsorum quisquam ruminat, nisi scarus solus secundum quorumdam narrationem. At vero omnes pisces acutissima condensatorum dentium acie communiuntur, ne esca dum diutius manditur, diffluat : nisi enim celeriter dissecta in ventrem detruderetur, extenuata per aquam dissiparetur.

III. Aliud autem aliis piscibus destinatum est alimentum secundum genus. Quidam enim limo, quidam vero alga vescuntur : alii herbis in aqua nascentibus sunt contenti. Contra, piscium plurimi vorant se invicem, minorque apud illos alimentum est majoris. Etsi unquam contigerit, ut is qui minorem superaverat, alterius fiat præda : ambo in unum et eumdem posterioris ventrem ingrediuntur. Quid igitur aliud nos homines agimus, dum tyrannide et potentia opprimimus inferiores? Quid a postremo pisce differt is, qui præ voraci divitiarum cupiditate in inexplebilibus avaritiæ suæ finibus imbecilles abscondit? Ille possidebat pauperibus bona : tu ipsum apprehensum fecisti tuæ ipsius opulentiæ partem. Injustis injustiorem, et avaro avariorem te ostendisti. Cave excipiat te idem finis, qui pisces : hamus videlicet, aut nassa, aut rete. Omnino enim et nos si multum admiserimus iniquitatis, ultimam non effugiemus pœnam. Jam vero etiam in infirmo animali astutias multas et insidias cum perspicis, maleficorum imitationem fugere te volo. Appetit ostreæ carnem cancer : sed difficilis captu est ei hæc præda, propter testæ munimentum. Nam infragili septo carnis teneritudinem natura communivit. Quapropter et hoc animal *ostracodermon* vocatur. Et quoniam duo cava accurate sibi invicem conjuncta, ostream ambiunt et circumplectuntur, forcipes cancri necessario inefficaces sunt. Quid igitur molitur? Cum viderit ostream in tranquillis locis non sine voluptate apricantem, et ad solis radios valvas suas explicantem : tunc, clanculum injecto calculo, plicaturam impedit; atque quod viribus deerat, id astu et dolo obtinere deprehenditur. Hæc est eorum quæ neque ratione, neque voce prædita sunt, malitia. Ego autem volo, ut tu cancrorum in victu comparando artem ac industriam imitatus,

a proximorum noxa incommodisque tibi temperes. Talis est qui ad fratrem fraudulenter accedit, adversamque proximi fortunam insidiose impetit, et alienis insultat calamitatibus. Cave æmuleris homines improbatos : tuis sis contentus rebus. Paupertas, cum rerum necessariarum copia vere suppetit, voluptati omni a sapientibus anteponitur. Non polypi præterierim dolum ac furacitatem, qui qualicumque tandem saxo adhæserit, illius induit colorem. Quamobrem plerique pisces improvide natantes in polypum uti in petram incidunt, paratamque versuto illi prædam sese offerunt. Talibus moribus sunt præditi, qui semper potestatibus dominantibus assentantur, seseque ad quoslibet modos ususque accommodant, nec in eadem animi sententia semper persistunt : sed alii atque alii facile effecti, temperantiam cum temperantibus venerantes, impudici cum impudicis, sententiam mutant ad uniuscujusque gratiam conciliandam. Quos difficile est evitare, sibique ab ipsorum nocumentis cavere, propterea quod eorum concinnata pravitas sub amicitiæ specie alte contegitur. Mores hujusmodi appellat Dominus rapaces lupos, in ovium indumentis sese ostentantes[1]. Fuge hosce mores varios ac multiplices : imo sectare veritatem, sinceritatem, simplicitatem. Varius est serpens, et ob id ad reptandum condemnatus est. Justus fictione caret, qualis fuit Jacob : quapropter « Dominus inhabitare » facit unius moris in domo[2]. Hoc mare magnum et spa- » tiosum[3] : illic reptilia, quorum non est numerus : » animalia pusilla cum magnis[4]. » Sed tamen est in illis sapiens quædam et probe ordinata dispositio. Non enim solum accusare pisces possumus : sed sunt etiam quæ operæ pretium est imitari. Quomodo singula piscium

[1] Matth. VII, 15. — [2] Gen. XXV, 27. — [3] Psal. LXVII, 7. — [4] Ibid. CIII, 25.

genera regionem sibi ipsis idoneam partita, alia in aliorum sedes non transeunt, sed intra proprios fines diversantur. Geometra nullus habitationes apud hæc piscium genera distribuit, non circumscripta sunt muris, non finibus divisa, et quod cuique prodest, id cuique spónte naturæ destinatum est. Hic enim sinus quædam piscium genera pascit, ille alia : et quæ hîc abundant, ea alibi vix invenias. Nullus mons acutis verticibus porrectus, ea sejungit; non transitum discindit fluvius : sed quædam est naturæ lex, quæ æque justeque pro uniuscujusque commodo vivendi rationem quasi sortito singulis præscribit.

IV. Nos vero nequaquam tales sumus. Unde? quod ipsi terminos æternos transferimus, quos patres nostri posuerunt[1]. Perperam scindimus tellurem; domum domui, agrum agro adjungimus, ut a proximo aliquid auferamus. Norunt cete vivendi genus sibi a natura constitutum. Occupant id mare, quod ultra habitabiles plagas situm, insulis caret : cui continens nulla terra e regione opponitur. Quamobrem innavigabile est, nec ullum cognoscendi studium, nec ulla necessitas illud tentare unquam nautis persuasit. Hoc mare occupant cete, maximis montibus magnitudine similia, (velut hi qui viderunt narrant) : manent intra proprios terminos, nec insulas neque urbes maritimas infestant. Sic igitur unumquodque genus in definitis sibi maris partibus perinde atque in civitatibus, aut vicis quibusdam, aut antiquis patriis immoratur. Jam vero quidam ex piscibus peregrinantes, velut a communi curia in externas regiones ablegati, omnes sub uno signo proficiscuntur. Cum enim præscriptum fetandi tempus institerit, alii ab aliis emigrantes sinibus, communi naturæ lege concitati, ad

[1] Prov. XXII, 28.

mare aquilonium festinant. Et quidem ipso ascensus tempore pisces coactos per Propontidem in Euxinum Pontum influentes, uti torrentem quemdam videre possis. Ecquis movet? quodnam est regis imperium? qualia edicta in foro exposita, præfinitum tempus indicant? Qui sunt hospitum advenarumque ductores? Vides divinam ordinationem cuncta complentem, atque per minutissima pervadentem. Piscis divinæ legi non adversatur, nos vero salutaribus præceptis non obsequimur. Cave pisces asperneris, quod muti sunt, et omnino rationis expertes : sed time, ne etiam his inferior sis ratione, ordinationi conditoris obsistens. Audi pisces, qui per ea quæ faciunt, tantum non emittunt hanc vocem : nos ad perpetuam generis conservationem in longinquam hanc peregrinationem mittimur. Non ipsis inest propria ratio : sed naturæ legem habent sibi fortiter insidentem, et quod agendum est suggerentem. Eamus, inquiunt, ad aquilonare pelagus. Dulcior est enim illa aqua quam reliquum mare, propterea quod sol brevi tempore in eo commorans, non ex eo per suos radios educit quidquid potui aptum est. Gaudent et marina aquis dulcibus. Unde et ad flumina sæpe enatant, proculque a mari discedunt. Hac de causa cæteris sinibus ab ipsis præfertur Pontus, velut ad fœtus edendos atque enutriendos idoneus. Postquam vero id quod in votis erat, expletum abunde fuit; rursus omnes catervatim ad propria revertuntur. Et quæ sit redeundi ratio, a mutis audiamus. Aquilonare æquor, inquiunt, profundum non est, cumque supinum sit, violentis ventis exponitur, ac littora pauca et paucos recessus habet. Quapropter etiam ab imo solo ipsum facile concutiunt venti, adeo ut arena quæ in fundo subsidebat, fluctibus permisceatur : quin et frigidum est hiemis tempore, quippe quod a multis magnisque fluviis repleatur.

Propterea ipso in æstate moderate potiti, rursus hieme ut ad teporem in profundo conservatum, ita et ad aprica loca properant; atque septemtrionales ventos graves et infestos fugientes, in sinus minus exagitatos velut in portus sese recipiunt.

V. Vidi isthæc ego ipse, et Dei in omnibus sapientiam admiratus sum. Bruta si prospiciunt sibi, ac propriam suam salutem servant, si novit piscis quid sibi eligendum sit aut effugiendum: quid nos sumus dicturi, qui ratione cohonestati, lege eruditi, pollicitationibus invitati, et spiritu edocti, adhuc tamen res nostras ineptius quam pisces ipsi disponimus. Illi enim futura quodammodo providere norunt: nos autem spe futuri abjecta in belluinis voluptatibus vitam nostram absumimus. Piscis tot mutat maria, ut aliquid inveniat emolumenti, quid tu dicturus es, qui in otio ac desidia vitam degis? otium autem mali faciendi origo. Nemo ignorantiam prætexat. Insita est nobis naturalis ratio, quæ bona nobis vindicanda esse, noxia vero fugienda submonet. A marinis exemplis, nequaquam discedo: quandoquidem isthæc nobis expendenda proponuntur. Audivi a quodam maritimo, echinum marinum, parvum prorsus et aspernabile animal, sæpenumero tranquillitatis et tempestatis navigatoribus monitorem fieri. Qui cum ventorum præsenserit commotionem, validum aliquem calculum subit, et in ipso tanquam in anchora firmiter fluctuat, ejusque pondere detinetur, ne facile a fluctibus abstrahatur. Hoc signum ubi viderint nautici, violentam ventorum agitationem imminere sciunt. Astrologus nullus, nullus Chaldæus ex astrorum ortu aëris turbationes conjectans, isthæc echinum docuit: sed maris et ventorum Dominus vel parvo animali evidens et apertum magnæ suæ sapientiæ vestigium impressit. Improvidum nihil, nihil a Deo fuit

neglectum. Speculatur omnia oculus ille insopitus : omnibus adest, unicuique salutis consequendæ facultatem largiens. Deus si echinum a sua providentia non excludit, rebus tuis non prospicit? « Viri diligite uxores[1]. » Quamvis externi inter vos sitis, tamen in conjugii societatem convenistis : hoc naturæ vinculum, hoc jugum per benedictionem impositum, distantium sit conjunctio. Vipera reptilium exitiosissima ad marinæ murænæ nuptias accurrit : et ubi sibilo suam præsentiam denuntiavit, ipsam a fundo ad nuptialem complexum evocat. Illa autem obtemperat, et cum venenata bestia copulatur. Quid sibi vult hic sermo? nimirum necesse esse, ut conjux maritum perferat, licet aspersum, licet moribus ferum, nec ob ullam causam conjunctionem dirimere velit. Percussor est? sed vir tuus est. Temulentusne? at tibi est natura conjunctus. Durusne et implacidus? At membrum jam tuum est, et membrorum præstantissimum.

VI. Audiat autem et vir convenientem sibi admonitionem. Vipera nuptias reverita, virus evomit : tu animi duritiam et inhumanitatem ob conjunctionis reverentiam non depones? Aut fortassis nobis et alio modo proderit viperæ exemplum : quod naturæ adulterium quoddam est hîc ille viperæ et muræne complexus. Discant igitur qui alienis insidiantur nuptiis, quali reptili sint consimiles. Ecclesiam undelibet ædificare unus mihi scopus est. Sedentur incontinentium libidines, tum terrenis tum marinis frenatæ exemplis. Hîc et corporis infirmitas et tempus advesperascens finem loquendi facere me cogunt : etsi his qui libenter audiunt, complura adhuc, eaque admiratione digna, de rebus in mari nascentibus apponere poteram. Nimirum de ipso mari : quomodo in

[1] Ephes. v, 25.

salem concrescit aqua : quomodo pretiosissimus lapis corallium, in mari quidem herba est, postquam vero in aërem eductus fuerit, in lapidis soliditatem compingitur : unde in vilissima bestia ostrea margaritam perquam pretiosam natura inclusit. Quæ enim concupiscunt regum thesauri, ea circa littora ripasque et asperas petras disjecta sunt, in ostreorum testis recondita. Unde pinnæ auream lanam nutriunt, quam infectorum nullus hactenus est imitatus. Unde cochleæ regibus largiuntur purpuram, quæ pratorum etiam flores coloris præstantia superant. « Producant aquæ. » Ecquid necessariorum factum non est? Quid pretiosorum datum non est vitæ? Hæc quidem ad hominum ministerium, illa vero ad contemplationem : qua creationis miraculum contemplamur. Alia sunt horribilia, desidiam nostram erudientia. « Creavit Deus cete grandia [1]. » Non quia majora sunt quam squilla et mæna idcirco grandia dicta sunt : sed quia maximis montibus mole corporis adæquantur. Quæ certe si unquam ad summam aquæ superficiem enatarint, sæpenumero speciem referunt insularum. Hæc quidem cete utpote tanta, non circa ripas neque circa littora diversantur : sed in eo mari quod Atlanticum vocatur, inhabitant. Talia sunt animantia, quæ ad terrorem stuporemque nobis incutiendum creata sunt. At si pisciculum minimum remoram scilicet maxima navigia, expassis velis vento secundo utentia; facile sistere audieris; ita ut navim diutissime detineat immotam, quasi in ipso mari radices egisset, nonne etiam in hoc exiguo pisce eadem creatoris potentia tibi significatur ac ostenditur? Non enim solum gladii, serræ, canes, balænæ et zygænæ formidanda sunt : sed et aculeus pastinacæ

[1] Genes. 1, 21.

marinæ, ejusque mortuæ, et lepus marinus non minus sunt metuendi, cum celerem inevitabilemque interitum afferant. Ita te per omnia vigilare vult conditor, ut reposita in Deo spe, detrimenta ab ipsis impendentia declines. Sed enim ab imis gurgitibus remeantes, ad continentem redeamus. Nam opificii miracula alia ex aliis nobis occurrentia, velut quidam fluctus crebris alternisque excursionibus nostrum submersere sermonem. Qanquam id mihi utique fuerit admirationi, si mens nostra admirabiliora in tellure nacta, rursus in mare ad Jonæ exemplum non aufugiat. Videtur autem mihi oratio delapsa in innumera miracula, modi oblita esse, et idem perpessa fuisse quod ii qui navigant in pelago. Qui ex nullo termino fixo motum conjectantes, sæpius quantum ab ipsis sit decursum spatii ignorant. Quod sane nobis etiam videtur accidisse : quippe sermone creaturam percurrente, eorum quæ relata sunt copiam non percepimus. Verum licet venerabile illud theatrum libenter audiat, et miraculorum herilium narratio sit servorum auribus jucunda : hîc tamen orationem sistentes, diem ad ea quæ desunt absolvenda, expectemus. Omnes igitur exurgentes pro his quæ commemorata sunt gratias agamus ut ea quæ supersunt compleantur, postulemus. Utinam autem et inter sumendos cibos sint vobis in mensa, loco colloquii, ea quæ tum matutina tum vespertina oratione explicavi : utinam etiam harum rerum cogitationibus per somnum occupati, lætitia diurna vel dormientes fruamini, ut dicere possitis : « Ego dormio, et cor meum » vigilat[1], » utpote quod nocte dieque legem Domini meditetur, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Cant. v, 2.

HOMILIA VIII.

De volatilibus et aquaticis.

I. « Et dixit Deus [1] : Producat terra animam viventem juxta genus, quadrupedia, et reptilia et bestias juxta genus. Et factum est sic[2]. » Venit præceptum ordine procedens, et terra quoque proprium accepit ornatum. Illic « producant aquæ reptilia animarum viventium : » hîc, « producat terra animam viventem. » Numquid animata est terra? Jam ne locum habent desipientes Manichæi, qui terræ indunt animam? Non quia dixit : « Producat, » id quod in ipsa situm erat, protulit : sed qui præceptum dedit, etiam vim et facultatem producendi ei contulit. Neque enim cum audivit terra, « Germinet herbam feni et lignum fructiferum, » fenum quod in se reconditum habebat, protulit. Neque palmam, aut quercum, aut cupressum, in ima quapiam sui uteri parte occultata, extra superficiem eduxit : sed divinus sermo, eorum quæ fiunt natura est. « Germinet » terra; non quod habet, edat : sed quod non habet acquirat, quandoquidem Deus agendi et producendi vim ei largitur. Sic etiam nunc, « producat terra animam, » non eam quæ inerat in ipsa : sed eam, quæ ei per præceptum a Deo data est. Deinde etiam sermo in contra-

[1] Vide D. Guillon tom. VII, 124-129. — [2] Genes. 1, 24.

rium eis cedet. Etenim si animam produxit terra, seipsam anima destitutam dereliquit : sed illorum quidem execrabilis sententia ex se ipsa patet. Cur autem aquæ jussæ sunt reptilia animarum viventium producere, terra vero animam viventem? Arbitramur natatilium quidem naturam videri vitæ quodammodo imperfectioris participem esse, propterea quod in aquæ crassitudine degunt. Nam et illis inest auditus gravis, hebesque visus, utpote per aquam cernentibus : nec ulla est in illis memoria, neque imaginatio, neque ullius consuetudinis cognitio. Quapropter quasi declarat sermo, vitam carnalem animalibus motibus præesse in aquatilibus : in terrestribus vero, utpote vita perfectiore præditis, principatum omnem deferri. Nam et pleraque quadrupeda sensibus perspicacioribus utuntur, et res præsentes acutius percipiunt, præteritorumque accurate reminiscuntur. Quamobrem in aquatilibus quidem, ut videtur, animata corpora sunt creata (reptilia namque viventium animarum ex aquis producta sunt) in terrestribus autem anima quæ corpora gubernaret, generari jussa est; tanquam ea quæ super terram diversantur, aliquid amplius de vitali facultate participent. Terrestria quidem sunt quoque rationis expertia : sed tamen unumquodque per naturæ vocem multas animæ affectiones indicat. Nam et gaudium, et tristitiam, et consuetudinis agnitionem, et alimenti inopiam, et eorum quæ simul pascebantur separationem, et innumeras affectiones quodam sono patefaciunt. Aquatica vero non solum muta sunt, sed etiam immansueta, et indocilia et ad omnem vitæ societatem hominibus intractabilia. « Cognovit bos possessorem » suum, et asinus præsepe domini sui [1] : » piscis autem

[1] Esai. 1, 3.

neque suum altorem agnoscere potuit. Novit familiarem et consuetam vocem asinus : iter quod sæpius ambulavit, cognovit; imo vero nonnunquam dux fit homini aberranti. Audiendi autem subtilitatem qua hoc animal præditum est, ne ullum quidem aliud terrestre habere dicitur. Cæterum quodnam ex marinis queat in camelis imitari injuriarum memoriam, iram gravem, iracundiæ tenacitatem? Camelus pridem percussus, ira perdiu recondita, ubi occasionem nactus fuerit, malum reddit. Audite vos, qui graviter irascimini, qui injuriarum memoriam veluti virtutem colitis, cui sitis adsimiles, cum animi in proximum ægritudinem, ceu scintillam quamdam in cinere occultatam tamdiu servatis, donec materia arrepta, iram iterum velut flammam aliquam accendatis.

II. « Producat terra animam viventem. » Cur producit terra animam viventem? ut quid inter animam pecudis et inter animam hominis intersit, discas. Quomodo hominis anima formata sit, paulo post scies : nunc vero de brutorum anima audi. Cum juxta id quod scriptum est, animalis cujusque anima sanguis ipsius sit[1], sanguis autem concretus soleat in carnem transmutari, caro vero corrupta in terram resolvatur : jure ac merito est quid terrenum anima brutorum. « Producat » igitur « terra animam viventem. » Animæ vide affinitatem cum sanguine, sanguinis cum carne, carnis cum tellure : et rursus ordine inverso per eadem regredere a terra ad carnem, a carne ad sanguinem, a sanguine ad animam; et pecorum animam terram esse comperies. Cave existimes animam esse corporis ipsorum constitutione vetustiorem, aut ipsam post carnis dissolutionem permanere.

[1] Levit. xvii, 11.

Arrogantium philosophorum fuge deliramenta, quos non pudet suas ipsorum animas, et canum, ejusdem inter se speciei esse statuere, cum se ipsos aliquando et mulieres et frutices et pisces æquoreos fuisse doceant. Ego equidem an unquam fuerint pisces, sane non dixerim : sed eos, dum hæc scriberent, rationis magis fuisse expertes quam pisces vel constantissime affirmarim. « Producat terra animam viventem. » Mirantur fortassis multi, cur sermone affatim currente, tempore non modico conticuerim : sed studiosiores auditores silentii causam minime ignorant. Quomodo enim? qui scilicet per mutuos intuitus ac nutus me ad se ipsos converterint, et ea quæ fuerant prætermissa, in mentem revocaverint. Nam integra creaturæ species, eaque non minima, nos præteriit, atque fere oratio nostra ipsam omnino inexploratam reliquit. « Producant » enim « aquæ reptilia » animarum viventium juxta genus, et volatilia volantia » super terram secundum firmamentum cœli. » De natatilibus, quantum per tempus vespertinum licuit, disseruimus : hodie ad terrestrium examen transivimus. Volatile in media narratione nos effugit : Necesse est itaque instar obliviosorum viatorum, qui cum rem alicujus momenti reliquerint, etiamsi multum confecerint itineris, iterum eodem revertuntur, dignam desidia sua pœnam, laborem itineris atque molestiam perferentes : sic utique et nobis idem iter relegendum est. Neque enim aspernabile est quod relictum est : sed tertia ex animalibus creatis pars esse videtur. Tria siquidem sunt animalium genera, terrestre, volatile, aquatile. « Producant, » inquit, « aquæ reptilia animarum viventium juxta genus, » et volatilia super terram sub firmamento cœli juxta » genus. » Cur etiam volatilibus ex aquis ortum dedit? quia volatilia inter et natatilia quædam est veluti cogna-

tio. Quemadmodum enim pisces aquam secant, ad ulteriora motu pinnarum progredientes, et caudæ mutatione tum circuitiones tum rectos motus sibi ipsis dirigentes : sic et in volatilibus videre est, quandoquidem alis simili modo aërem trajiciunt. Quare cum natandi proprietas in utrisque sit una, una quædam ipsis affinitas per aquarum generationem collata est. Sed tamen volatile nullum pedibus caret, quod victum suppeditat terra omnibus, et omnia pedum ministerio necessarie indigent. Rapacibus quidem acies unguium ad capiendam prædam reliquis vero ob alimentum comparandum et ad reliquam vitam transigendam pedum usus necessario concessus est. Porro paucæ sunt volucres, quæ malos habeant pedes, quæque sive ad ambulandum, sive ad venandum idoneæ non sint pedibus, ceu hirundines, quæ neque ambulare, neque venari possunt, et aves nomine drepanes, quibus alimonia ex iis quæ feruntur in aëre, provisa est. Cæterum volatus terræ vicinus in hirundine pedum explet officium.

III. Sunt autem innumeræ generum differentiæ etiam in volucribus : quas si quis percurrat eo modo, quo partim piscium examen attigimus ; unum quidem volucrum nomen, sed infinitas magnitudinis figurarumque et colorum differentias in his reperturus est. Ad vitam etiam, et ad actiones moresque quod spectat, inenarrabilem quamdam inter ipsas deprehendet varietatem. Jam vero conati sunt nonnulli confictis nominibus uti, ut veluti per inustas quasdam insolitæ et peregrinæ appellationis notas, cujuslibet generis proprietas cognoscatur. Et alias quidem aves nominarunt schizopteras (5), uti aquilas : alias vero dermopteras, ut vespertiliones : alias ptilotas, ut vespas : alias rursus coleopteras, ut scarabeos, et quæcumque in thecis quibusdam et amiculis generatæ,

crusta ab ipsis distracta, ad volandum expeditæ evadunt. Verum sufficiens nobis nota est ad generum proprietatem assignandam, communis usus, et allatæ a scriptura de mundis et immundis distinctiones. Aliud itaque carnivorarum genus est, aliaque constitutio, ad modum quo ipsæ vescuntur, accommodata; unguium acies; et rostrum incurvum; et penna velox; ut et facile arripiatur præda, et dilaniata alimentum fiat prædatrici. Alia earum constitutio est, quæ semina colligunt : alia earum, quæ omni re obvia nutriuntur; et in his plurimæ differentiæ. Ipsarum enim quædam, gregales sunt : exceptis rapacibus, inter quas societas nulla est præter conjugalem conjunctionem. Sunt vero aliæ innumeræ, quæ collectivam amplectuntur vitam, ut columbæ, grues, sturni, graculi. Rursus in his aliæ nullius subduntur imperio, et sunt veluti sui juris : aliæ duci subjici non recusant, velut grues. Jam vero etiam alia quædam est in his differentia, juxta quam aliæ nunquam sedem mutant, suntque indigenæ : aliæ solent longissime discedere, et hieme appropinquante ut plurimum in alium locum sese recipere. Quin et complures aves, dum educantur, mansuescunt cicuranturque, præter debiles ac infirmas, quæ ob nimiam timiditatem ac formidinem, assiduam molestiam sibi manu exhibitam non patiuntur. Sed et humana consuetudine volucres quædam gaudent, et easdem atque nos ipsi habitationes recipiunt : aliæ incolunt montes, ac solitudine delectantur. Illa uniuscujusque proprietas quæ ad vocem pertinet, maximum etiam discrimen efficit. Aliæ enim volucres loquaces sunt et garrulæ; aliæ taciturnæ. Hæ quidem canoræ, et multum clamosæ; illæ omnino modulationis ac cantus expertes. Quædam sunt imitatrices, æmulationem illam vel a natura vel ab exercitio accipientes : quædam eamdem

semper ac immutabilem vocem emittunt. Superbus est gallus : ornatus et elegantiæ amator est pavo : libidinosæ columbæ, perinde atque gallinæ domesticæ, quæ nullo non tempore libidini indulgent. Dolosa et zelotypa perdix est, venatoribus ad prædam capiendam malitiose suam operam præstans.

IV. Innumera sunt, ut diximus, et actionum et vitæ discrimina. Porro quædam ex his brutis animantibus sunt quoque politicæ : siquidem civilis admirationis proprium est, ut ad unum communem finem singulorum actiones concurrant, ut quisque in apibus intueri potest. His enim communis est habitatio, communis volatus, unaque et eadem omnium actio : et quod præcipuum est, sub rege, et sub quodam præfecto operam aggrediuntur; non prius ad prata proficisci ausæ, quam regem viderint volatui præeuntem. Rex autem apud ipsas suffragiis non creatur : vulgus namque judicii inopia pessimum sæpenumero ad principatum evexit. Neque sorte potestatem assequitur : temerarii enim sortium casus imperium sæpe in omnium deterrimum conferunt. Nec ex paterna successione in regali throno collocatur : nam et ii rudes expertesque virtutis omnis, ob delicias et assentationes plerumque fiunt. Sed a natura in omnes obtinet principatum : quippe et magnitudine et forma et morum lenitate antecellit. Inest quidem regi aculeus : sed eo non utitur ad ultionem. Hæ sunt quædam naturæ leges minime scriptæ, ut tardi sint ad vindictam, qui ad maximam potentiam sunt evecti. Sed et quæcumque apes regis non sequuntur exemplum, eas statim temeritatis suæ pœnitet; propterea quod aculei ictu intereunt. Audiant Christiani, qui nulli malum pro malo reddere, sed in bono malum vincere jubentur[1]. Imitare propriam apis

[1] Rom. XII. 17 et 21.

indolem, quæ nulli officiens, neque fructum alienum corrumpens, favos construit ac compingit. Nam ut ceram ex floribus aperte colligit : ita mel, humorem scilicet roris instar floribus inspersum, ore attrahit, atque in favorum cava immittit. Unde etiam primo liquidum est : deinde temporis processu concoctum, ad propriam concretionem suavitatemque pervenit. Apis præclaras et convenientes laudes a Proverbio consecuta est, quæ scilicet appelletur sapiens, et laboriosa[1]. Hoc modo ut diligenter apis pabulum congerit (cujus labores, inquit, reges et privati ad sanitatem assumunt) ita sapienter et artificiose mellis cellulas extruit. Extenta enim in tenuem membranam cera, crebra et inter se continua cava construit, ut frequentia illa atque densitas, qua minutissima quæque secum invicem colligantur, operi toti fulcrum sit et firmamentum. Nam cellula quælibet alteri adhæret, tenui septo ab ea sejuncta, et eidem simul conjuncta. Deinde fistulæ hæ aliæ super alias ædificatæ, duas tresve habent contignationes. Cavet enim continuam unam efficere cavernulam, ne humor foras propter gravitatem diffluat. Disce quomodo geometriæ inventa accessio sint operæ ac laboris ejus, quem apis sapientissima suscipit. Omnem enim favorum cavernulæ sunt sexangulæ, et æqualia latera habent : non aliæ aliis directo incumbunt : ne fundi intervallis vacuis adjuncti fatiscant : sed sexangularum inferiorum cavernularum anguli, basis sunt ac fulcimentum superiorum, ut tuto supra se onera attollant, et separatim in unoquoque concavo humor contineatur.

V. Quomodo cunctas proprietates ad volucrum vitam pertinentes accurate tibi recensere possim? Ut grues

[1] Prov. vi, 6.

vicissim constituunt excubias. Et quidem aliæ dormiunt: aliæ vero circumeuntes, omnem ipsis securitatem per somnum exhibent. Deinde tempore vigiliarum peracto, hæc quidem clangore edito ad somnum convertitur: illa vero succedens, securitatem quam accepit, sua vice reddit. Observabis et hunc ordinem in ipso volatu. Alia enim interdum itineris dux est; sed ubi per aliquod tempus statutum volatui præfuit; retro se recipiens, viæ ducatum insequenti tradit. Cæterum ciconiarum agendi modus, non procul a rationali intelligentia abest. Ut enim omnes uno et eodem tempore ad has regiones accedunt: ita sub uno signo omnes discedunt. Stipant autem ipsas cornices nostrates, easque mea quidem sententia deducunt, et non nihil adversus hostiles aves præstant subsidii. Illud primo ejus rei argumentum est, quod eo tempore nulla prorsus cornix appareat: deinde cum vulneribus redeuntes, aperta tutelæ et præsidii collati indicia referunt. Quis apud ipsas præscripsit hospitalitatis jura? Quis ipsis desertionis militaris accusationem minatus est, adeo ut nulla a comitatu sese subtrahat. Audiant ii qui erga hospites duri sunt et inofficiosi, foresque occludunt, et ne hieme quidem aut noctu advenas tecto recipiunt. Porro cura quam ciconiæ senio confectis exhibent, liberos nostros, si attendere vellent, ad parentum amorem satis excitaret. Nemo enim homo est, qui ita prorsus mente destituatur, ut pudore dignum non judicet eum qui avibus perquam brutis virtute inferior foret. Illæ genitorem præ senio pennarum defluviis laborantem circumstantes, suismet pennis calefaciunt, suppeditantque abunde alimentum: quin subsidium ei, quoad fieri potest, in ipso volatu præstant, utrimque alis suis leniter sublevantes. Atque hoc ita apud omnes decantatum est, ut jam quidam beneficiorum remunera-

tionem « antipelargosim » appellent. Nemo de paupertate doleat : neque is de sua vita desperet, cui nullæ domi supersunt opes, ubi ipse respexerit ad hirundinis industriam. Illa enim nidum construens, festucas quidem ore defert : lutum vero colligere pedibus cum non queat, pennarum extremitates aqua madefaciens, subinde tenuissimo pulvere sese obvolvens sic luti usum excogitat. Atque paulatim festucas inter se luto velut glutine quodam colligans, pullos in ipso nido enutrit : quorum si quis oculos expungat, a natura medica quamdam artem accepit, per quam suæ prolis visum ad sanitatem reducit. Hæc te commoneant, ut ne ad maleficia convertare propter paupertatem; neve in gravissimis calamitatibus, omni spe abjecta, otiosus ac iners maneas : sed ad Deum confugias, qui si hirundini tanta largitur, quanto majora iis qui ipsum toto corde invocant, concessurus est. Halcyon avis marina est. Hæc depositis in ipsa arena ovis, secundum ipsa littora fœtificare solet : et circa mediam fere hiemem pullos excludit tum, cum mare multis et violentis ventis ad terram alliditur. Attamen consopiuntur venti omnes, quiescunt æquorei fluctus per septem dies, quibus halcyon ovis incubat. Nam totidem diebus solum pullos excludit. Cum autem et victu ipsis opus est, alios septem dies ad pullorum incrementum Deus munificentissimus minimo huic animali præstitit. Quamobrem et omnes nautæ hoc sciunt, diesque illos appellant halcyoneos. Res illæ per Dei in bruta providentiam sancitæ sunt et ordinatæ, ut tu his incitatus, ea quæ ad tuam salutem pertinent, a Deo exposcas. Quid tua causa, qui factus es ad Dei imaginem, etiam præter expectationem fieri non possit ; cum aviculæ adeo exiguæ gratia, vastum et horrendum mare in media hieme quiescere jussum, detineatur ac frenetur?

VI. Ferunt turturem a conjuge separatam, nunquam cum alio inire societatem, sed viduam permanere : utpote quæ ob prioris conjugis memoriam, alterius conjugium abnuat. Audiant mulieres, quomodo vel apud bruta animalia, frequentium nuptiarum dedecori anteponatur viduitatis pudicitia honestasque. Aquila in educanda prole iniquissima est. Etenim ubi pullos duos exclusit, horum alterum dejicit in terram, ac pennarum verberibus protrudit : alterum autem duntaxat assumptum pro suo habet, atque quem genuit, propter victus comparandi difficultatem abdicat. Sed, ut aiunt, perire hunc non sinit ossifraga : imo ipsum susceptum una cum propriis suis pullis educat. Tales sunt parentes illi, qui paupertatis prætextu infantes exponunt, aut etiam in patrimonio distribuendo iniquissimi sunt erga liberos. Quemadmodum enim cuique, ut esset, ex æquo tribuere : ita æquum est, ut eis vitæ agendæ facultatem pari æqualique ratione suppeditent. Cave imiteris earum avium quibus ungues adunci sunt, crudelitatem : quæ ubi viderint suos fœtus jamjam volatui maturos, alis eos verberantes, ac expellentes, ex nido ejiciunt, ac deinceps nullam eorum curam suscipiunt. Laudandus est cornicis in suos pullos amor, quæ ipsos jam volantes comitatur, alimoniamque subministrans, illos diutissime enutrit. Multis avium generibus ad conceptum nihil opus est copula marium : sed in aliis generibus edita citra coïtum ova, infœcunda sunt. Ferunt autem sine coïtu ut plurimum parere vultures, licet maxime longævos : quippe quibus vita ad centum usque annos plerumque protendatur. Id velim notatum et observatum ex alitum historia : ut si quando nonnullos videris mysterium nostrum irridere, quasi fieri nequeat, et quasi sit a natura alienum, ut virgo, virginitate ejus intemerata permanente, pepe-

rerit, veniat in mentem tibi, Deum, cui per prædicationis stultitiam credentes salvos facere libuit, innumera incitamenta, ab ipsa natura desumpta, ad fidem rebus stupendis conciliandam in antecessum proposuisse.

VII. « Producant aquæ reptilia animarum viventium. » et volatilia volantia super terram, secundum, firma» mentum cœli. » Jussa sunt super terram quidem volare, propterea quod omnibus alimentum terra subministret : « secundum firmamentum » autem « cœli, » propterea quod, ut ante diximus aër hoc loco appelletur cœlum, οὐρανος videlicet a verbo ὁρασθαι quod est *videri*. Quin et firmamentum dicitur, ideo quod aër ille qui nostro capiti imminet æthereo corpori comparatus, quodammodo densioris sit coagmenti, magisque ob exhalationes ab imis locis ascendentes constringatur. Habes igitur cœlum exornatum, terram decoratam, mare propriis fœtibus exuberans, aërem avibus refertum, iisque ipsum pervolantibus. Hæc omnia quæ Dei præcepto e nihilo in lucem edita sunt, et reliqua quæ nostra oratio nunc prætermisit, diuturniorem in his moram declinans, ut ne modum excedere videatur, tu tecum, ut pote studiosus, reputans, et Dei in omnibus sapientiam addiscens, ne unquam desinas mirari, neque gloriam ex qualibet creatura conditori dare. Habes in tenebris quædam volucrum genera, quæ vitam nocturnam ducunt : in luce alia, quæ interdiu vagantur. Vespertiliones enim, noctuæ, corvique nocturni, noctu pascuntur. Quare cum aliquando per aliquod tempus tibi non aderit somnus, si in his immoraris, et eorum expendis proprietates, ea ad conditorem gloria afficiendum tibi sufficient. Quomodo vigil sit luscinia, cum ovis incubat : quandoquidem per totam noctem a cantu non desistit. Quomodo idem quadrupes sit et volatile, vespertilio :

quomodo sola ex volucribus dentibus utatur : et pariat quidem catulos velut quadrupedia, vagetur vero in aëre, non pennis elata, sed membrana quadam coriacea. Quomodo et hoc mutuum amorem natura insitum habeat, sibique invicem vespertiliones in modum catenæ adhærescant, et una ab altera pendeat : quod non facile fieri inter nos homines solet. Nam sejuncta et privata vita a plerisque societati præfertur, atque conjunctioni. Ut illi qui vanæ sapientiæ student, noctuæ oculis sunt similes? Nam ut illius aspectus noctu quidem valet, sole vero illucescente infuscatur : ita istorum mens perspicacissima quidem est ad contemplandam vanitatem, hebescit vero ad veram lucem intelligendam. Quin et tibi interdiu facile admodum fuerit undelibet creatorem admirari. Ut ad operas excitat te avis domestica, quæ voce acuta inclamitans, et solem adhuc e longinquo accedentem prænuntians, vigilat una cum viatoribus, atque agricolas ad messem educit. Ut pervigil est anserum genus; atque id quod latet, acutissime sentit. Hi videlicet regiam urbem olim conservarunt, dum hostes quosdam sub terra per latentes cuniculos jamjam urbis Romæ arcem occupaturos prodiderunt. In quonam avium genere rem quamdam singularum admiratione dignam natura non ostendit? Quis prænuntiat vulturibus hominum mortem tum, cum sibi invicem inferunt bellum? videas enim innumeros greges vulturum exercitus sequentes, et ex armorum apparatu exitum conjectantes. Hoc autem non procul a ratiocinationibus humanis abest. Quonam pacto terribiles locustæ expeditiones tibi enarravero, quæ universa sub uno signo elata, atque secundum regionis latitudinem castrametans, non prius fructus attingit, quam divinum præceptum sit ei datum. Quomodo locustam insequitur seleucis avis quæ plagæ inflictæ remedium

est : quandoquidem illa perpetuam habet edendi facultatem, benigno Deo insatiabilem naturam hominum gratia ei apparante ? Quæ sit modulandi ratio cicadæ ? Quomodo in meridie solito magis canoræ sunt, dum aëris attractione quæ in thoracis distentione fit, editur sonus. At enim mihi videor magis impar esse sermone in explicandis volatilium miraculis, quam si pedibus conarer velocitatem ipsorum assequi. Cum videris ea volatilia quæ insecta vocantur, ut apes et vespas : sic enim ipsa appellarunt, propterea quod quasdam undique incisuras præ se ferunt : veniat tibi in mentem respirationem atque pulmonem in iis non reperiri : sed tota omnino aëre nutriri. Quapropter oleo madefacta occlusis meatibus, pereunt; cum vero statim acetum affunditur, reclusis foraminibus rursus reviviscunt. Inter ea quæ Deus noster creavit, nihil est citra necessitatem, nihil deest necessariorum. Rursus si animalia aquæ amantia considerabis, aliam in ipsis structuram comperies : pedes videlicet minime diffisos, velut cornicis : non aduncos, velut carnivororum : sed latos ac membranaceos, ut facile undis innatent, pedum membranis velut quibusdam remis aquam impellentes. Quod si animadverteris, quemadmodum cygnus collo in profundam aquam immisso, ab imo cibum sibi efferat : tunc Dei deprehensurus es sapientiam, qui scilicet collum pedibus longius ideo tribuit, ut illud velut lineam piscatoriam demittens, escam in imo delitescentem exquirat ac extrahat.

VIII. Verba Scripturæ si simpliciter legantur, parvæ quædam sunt syllabæ : « Producant aquæ volatilia » volantia super terram secundum firmamentum cœli. » Sed cum verborum pervestigatur sententia, tunc magnum sapientiæ conditoris miraculum apparet. Quot volatilium prævid.t discrimina ? Quomodo alia ab aliis


uxta genus sejunxit? Quomodo singula distinctis proprietatibus insignivit? Deficit me dies, aëria vobis miracula exponentem. Invitat nos ipsa continens ad feras reptiliaque et pecora in medium proferenda : quandoquidem aliquid quod plantis et natatilium generi et cunctis volatilibus impar non sit, vicissim exhibere parata est. « Producat terra animam viventem pecorum, et » bestiarum et reptilium juxta genus : » Quid dicitis vos qui fidem non habetis Paulo, circa eam quæ in resurrectione fiet mutationem, cum multa aëria formas commutantia videatis? Qualia etiam de Indico verme cornigero narrantur, qui primum in erucam transmutatus, deinde temporis progressu bombylis fit : nec in hac forma manet, sed laxas et latas bracteas pro alis suscipit. Cum igitur vos mulieres sedetis, horum opera nentes, fila scilicet dico quæ ad vos transmittunt seres ad molles vestes concinnandas, tum animalis hujus mutationem in memoriam revocantes, manifestam resurrectionis notionem accipiatis, neque fidem ei mutationi quam Paulus omnibus annuntiat, denegetis. Atqui orationem meam modum excedere adverto. Cum igitur ad eorum quæ dicta sunt copiam oculos conjicio, ultra fines et modum ferri me video: cum autem iterum ad sapientiæ in opificiis splendescentis varietatem respicio, ne incœpisse quidem narrationem arbitror. Atque etiam diutius detinere vos non fuerit inutile. Quid enim quis ab hoc tempore ad usque vesperam facere possit? Vos non urgent convivatores, non vos compotationes expectant. Unde, si videtur, corporali jejunio ad exhilarandas animas utemur. Sæpe inservisti carni ad voluptatem capiendam : hodie animæ servire persevera. « Delectare in » Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui[1]. » Si divitia-

[1] Psal. XXXVI, 4.

rum studiosus es : habes divitias spirituales : « Judicia » Domini vera, justificata in idipsum : desiderabilia » super aurum et lapidem pretiosu mmultum[1]. » Si deliciis deditus es, et voluptatis amans : tibi præsto sunt Dei eloquia, quæ viro spirituales sensus sanos habenti « dul- » ciora sunt super mel et favum[2]. » Si dimisero vos, ac concionem dissolvero : sunt qui ad tesseras current. Juramenta sunt illic, gravesque contentiones et avaritiæ stimuli. Astat dæmon per ossa compuncta furorem accendens, et easdem pecunias ad utramque partem transferens. Modo effert hunc victoria, modo illi tristitiam creat : rursus autem illum superbientem, hunc vero erubescentem reddit. Quid prodest, quæso, corpore jejunare, animam vero innumeris malis refertam esse? Qui vero tesseris non ludit, alias autem otium agit, quid non loquitur vani? quid absurdi non auscultat? Nam otium Dei timore destitutum, iis qui tempore uti non norunt, magister est pravitatis. Fortassis igitur aliqua etiam utilitas ex iis quæ dicuntur, percipienda vobis est : sin minus, saltem licet vobis per præsentem occupationem non peccare. Quare diutius vos detinere, est diutius vos a delictis amovere. Attamen quæ memorata sunt, satis sunt æquo æstimatori, si modo non respiciat quis ad divitias creationis, sed ad nostrarum virium imbecillitatem, et ad ea quæ voluptatis ergo convenientibus sufficere possunt. Excepit vos continens propriis germinibus, mare piscibus, aër volatilibus. Parata est terra sua vice iis non imparia exhibere. Sed hîc finis modusque esto matutini istius convivii, ut ne satietas nimia hebetiores vos ad vespertinas epulas sumendas efficiat. Porro qui sua creatione omnia complevit, atque

[1] Psal. XVIII, 10. — [2] Ibid.

in omnibus perspicua miraculorum suorum monumenta nobis reliquit; repleat corda vestra omni lætitia spiritali, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum, Amen.



HOMILIA IX.

De terrestribus.

I. Qualis vobis matutina sermonum mensa visa est[1]? Mihi equidem venit in mentem orationem meam cum pauperis cujusdam convivatoris benevolentia comparare: qui dum inter eos qui mensas opipare extruunt, numerari cupit, ob rerum sumptuosarum penuriam mœrore afficit convivas: propter ea quod mensæ apparatum pauperem affluenter infert, adeo ut in ineptiæ probrum ei ejus ambitio cedat. Esset certe tale aliquid hæc nostra agendi ratio, nisi vos quid aliud dicitis. Verum qualiacumque tandem sint hæc, neutiquam vobis sunt spernenda. Neque enim Elissæum ut malum convivatorem aversabantur illi quibuscum vivebat, et tamen oleribus silvestribus excipiebat amicos[2]. Novi leges allegoriæ, etiamsi eas non ex me ipso excogitarim, sed in aliorum inciderim labores. Quas scripturarum communes notiones qui non suscipiunt, aquam, non aquam dicunt, sed aliam quamdam naturam, et plantam, et piscem secundum suam ipsorum sententiam interpretantur. Quin etiam reptilium et pecorum generationem ad suas allegorias detortam perinde exponunt, ut quidam rerum

[1] Vide D. Guillon tom. VII, 129-133. — [2] Reg. IV, 39.

sese imaginationi per somnum objicientium interpretes, qui suas interpretationes ad proprium scopum accommodant. Ego vero cum fenum audio, fenum intelligo; et plantam et piscem, et bestiam et pecus, omnia uti dicta sunt, sic accipio. « Non enim erubesco evangelium[1]. » Neque quoniam qui res ad mundum pertinentes conscripsere, multa de terræ figuris disseruerunt, utrum terra sphæra sit, an cylindrus, utrum sit disco similis et ex æquo undelibet tornata, an speciem habeat vanni sitque in medio concava (nimirum ad has omnes sententias hi qui de mundo scripsere, delapsi sunt, alii aliorum placita dissolventes) idcirco adducar ut nostram de mundi structura narrationem inferiorem esse dicam, quia nullum de figuris verbum Dei servus Moyses fecit : aut quia non dixit terræ circuitum centum et octoginta stadiorum millia habere : aut quia non dimensus est in quantum aëris spatium procedat ejus umbra tum, cum sol sub terra movetur : aut quomodo eadem lunæ objecta procreet deliquia, præsertim cum ea quæ ad nos nihil attinent, tanquam nobis inutilia silentio prætermiserit : num ideo, quæso, Spiritus sancti eloquia censuero infatuata sapientia esse viliora? nonne potius ei dedero gloriam, qui mentem nostram in rerum vanarum occupatione non detinuit, sed omnia ad ædificationem et perfectionem animarum nostrarum conscribi sanxit? id quod quidam mihi videntur non intellexisse : qui captionibus quibusdam atque tropologiis ex suo ipsorum ingenio aliquid Scripturis asciscere auctoritatis conati sunt. Verum id ei competit, qui se ipsum Spiritus sancti oraculis constituit sapientiorem, quique interpretationis prætextu commenta sua inducit. Hæc itaque, uti scripta sunt, intelligantur.

[1] Rom. II, 16.

II. « Producat terra animam viventem pecorum, et » bestiarum et reptilium [1]. » Considera Dei vocem per res creatas pervadentem, quæ et tunc incœpit, et usque adhuc efficax est, ac in finem transitura est, quoad consummatus fuerit mundus. Quemadmodum enim globus cum a quopiam fuerit motus, ac deinceps declivem aliquem locum nactus fuerit, et ex propria structura, et ex loci opportunitate deorsum fertur, nec prius quiescit, quam planities aliqua ipsum exceperit : ita rerum natura uno præcepto incitata, res conditas æquabiliter in generatione et in corruptione penetrat, servatque per similitudinem successiones generum, donec ad ipsum pervenerit finem. Nam equum equi successorem facit, leonem leonis, aquilam aquilæ : imo singula animalia consequentibus successionibus conservata, usque ad universi consummationem transmittit. Tempus nullum destruit animalium proprietates : sed tanquam nuper constituta natura sit, semper recens una cum tempore excurrit. « Producat terra animam viventem. » Hoc præceptum terræ inhæsit, nec ea creatori desinit famulari. Alia enim ex successione eorum quæ prius extitere, producuntur : alia vero ex ipsa terra etiam nunc adhuc vitam accipere compertum est. Non enim solum pluvio tempore edit cicadas, aut alia innumera volatilium in aëre vagantium genera, quorum plurima propter tenuitatem sunt anonyma : sed mures etiam et ranas ex se ipsa profert. Nam circa Thebas Ægyptias, ubi in æstibus large pluit, statim campestribus muribus regio completur. Quinetiam anguillas vidimus non aliter quam ex limo constitui, ac generari : quarum successionem neque ovum, neque ullus alius modus conficit, sed ipsæ ex terra ortum habent. « Producat terra animam. » Pecora sunt

[1] Genes. 1, 25.

terrestria, et versus terram inclinata : homo vero qui planta cœlestis est, quanto corporeæ conformationis forma tanto etiam animæ dignitate præstat. Qualis est quadrupedum forma? Caput ipsorum in terram pronum est, respicit ad ventrem, ejusque delectationem omnimodo prosequitur. Erectum est ad cœlum caput tuum : oculi tui superna intuentur. Quod si unquam et tu carnis affectionibus te ipse dedecoraveris, ventrique et iis quæ sub ventre sunt, servieris : « Comparatus es » jumentis insipientibus, et similis factus es illis[1]. » Decet te alia cura, quærere nimirum ea « quæ sursum sunt, » ubi Christus est[2], » ac mentem super terrestria surrigere. Ut conformatus es : ita etiam dispone tuam ipsius vitam. « Conversatio tua sit in cœlis[3] : » vera tua patria est superna Hierusalem; cives et tribules, primogeniti ipsi, « qui conscripti sunt in cœlis[4] »

III. « Producat terra animam viventem. » Quæ igitur brutorum anima emersit, ea non erat in terra recondita : sed simul cum præcepto ortum habuit. Una autem est brutorum anima; siquidem rationis privatio, illius caracter est : diversis vero proprietatibus singula distinguuntur animalia. Est enim bos constans et firmus : asinus piger : ardens equus ad appetendam fœminam : nequit cicurari lupus : dolosa est vulpes : timidus cervus : formica laboriosa : canis gratus est; et amicitiæ memor. Enimvero simul atque quodlibet animal creatum est; inducta est ei naturæ suæ proprietas. Producta est una cum leone vehementia animi, vivendi ratio solitaria, indoles quædam cum suis tribulibus insociabilis. Nam velut quidam brutarum animantium tyrannus, ob naturæ superbiam, multos sibi pares esse et æquales non sinit. Qui sane neque hesternum alimentum admittit,

[1] Psal. XLVIII, 13. — [2] Colos. III, 1. — [3] Philip. III, 20. — [4] Hebr. XII, 2.

neque ad suæ prædæ reliquias redit : cui etiam tanta vocis organa indidit natura, ut plura animalia longe ipso velociora, solo sæpe rugitu capiantur. Vehemens est panthera, et ad impetus repentinos expedita. Corpus agilitati et levitati idoneum, quodque animæ motibus convenit, ei conjunctum est. Pigra est ursæ natura, indoles peculiaris, mores subdoli, et alte tecti. Induta est etiam simile corpus, grave, compactum, articulis haud distinctum, feræ frigidæ in lustris degenti plane accommodatum. Quod si sermone percurramus, quanta hisce brutis animalibus ad conservandam suam vitam insit diligentia, quam edocta non sunt, sed quam natura habent, aut ad nos ipsos custodiendos, et ad salutem animarum curandam impellemur, aut amplius condemnabimur, cum deprehensi fuerimus etiam ab imitatione pecorum abesse. Ursa sæpenumero profundissimis plagis sauciata, sibi ipsa medetur, dum omni arte herbasco naturam siccam habente vulnera obturat. Vulpem quoque sibi ipsi pini lacrymis medicantem videre possis. Testudo vero viperæ carnibus exsatiata, noxam sibi a venenata bestia impendentem per adversam origani naturam evitat. Quin et serpens fœniculo pastus oculorum læsioni remedium adhibet. Quam rationalem prudentiam non superant aëreæ mutationis prænotiones? quandoquidem ovis accedente hieme, pastum avide vorat; quasi pro futura penuria victum sibi pararet. Boves autem diu hiemis tempore inclusi, jam tamdem redeunte vere, naturali sensu mutationem percipientes, e stabulis ad exitus spectant et omnes ceu uno signo dato faciem convertunt. Jam vero nonnulli ex iis qui studiosi sunt, terrestrem herinaceum observarunt spiramina gemina lustro suo struxisse, atque aquilone spiraturo aquilonium spiramen obstruere : contra, austro iterum succedente, ad

septemtrionale transire. Quid per hæc nobis hominibus indicatur? Non solum edocemur conditoris nostri diligentiam curamque omnia pervadere, sed etiam quemdam futuri sensum pecoribus inesse : ut nos præsenti vitæ non simus addicti, sed ad futurum sæculum omne studium conferamus. Non tibi ipse magnopere laborabis, o homo? Non in præsenti sæculo recondes quæ ad ævi futuri requiem spectant, ubi ad formicæ exemplum respexeris? quæ in æstate sibi ipsi recondit hiemale alimentum, et propterea quod nondum adsunt incommoda hiemis, nequaquam segniter tempus traducit : at invicta quadam diligentia ad operam se ipsa urget, donec sufficientem in cellulis reposuerit alimoniam. Neque id negligenter : sed efficit sapienti quadam solertia, ut ipsum alimentum quam diutissime conservetur. Dissecat enim suis ungulis medios fructus, ne germinantes sibi ad nutrimentum inutiles reddantur. Eosdem etiam exsiccat, tum, cum eos sentit madefactos : nec omni tempore eos expromit, sed cum aërem in sereno statu mansurum esse præsenserit. Non utique videas imbrem ex nubibus defluentem, quanto tempore a formicis expositum frumentum est. Quis sermo hæc possit assequi? quis capiet auditus? Quodnam tempus satis erit dicendis enarrandisque opificis miraculis omnibus? Dicamus et nos cum Propheta : « Quam magnificata sunt opera tua Domine : » omnia in sapientia fecisti[1]? » Itaque haud excusari poterimus, quod ea quæ conducibilia sunt, litteris non sumus edocti : quandoquidem id quod utile est, per legem naturæ citra doctrinam nobis eligere licet. Scis quid a te boni præstandum sit proximo? quod tibi ipsi ab altero vis fieri. Nosti quid sit malum? quod ipse nolis ab alio pati. Nulla secandarum radicum ars, nullum

[1] Psal. CIII, 24.

herbarum experimentum brutis animalibus utilium cognitionem contulit : sed naturaliter unumquodque animal salutis comparandæ rationem cognovit, habetque inenarrabilem quamdam cum eo quod secundum naturam est necessitudinem.

IV. Insident autem et nobis virtutes secundum naturam, cum quibus inest animæ affinitas quædam non ex doctrina hominum, sed ex ipsa natura. Quemadmodum enim nulla disciplina nos edocet morbum odisse, sed ex nobismetipsis ea quæ molestiam creant, aversamur : ita et anima a malo declinat citra doctrinam. Omne autem vitium ægritudo est animæ : virtus vero rationem obtinet sanitatis. Quidam enim qui sanitatem recte definierunt, dixere eam esse actionum naturalium bonam habitudinem. Quod idem si quis quoque de bono animæ habitu dixerit, a decoro non aberrabit. Quare anima citra doctrinam id quod sibi proprium est, quodque sibi natura convenit, appetit. Hinc temperantia ab omnibus laudatur, approbatur justitia : fortitudo est admirationi : prudentia valde exoptatur. Quæ virtutes magis proprie ad animam pertinent, quam ad corpus sanitas. Vos filii diligite parentes : « Vos parentes nolite ad iracundiam » provocare filios[1]. » Numquid hæc non dicit et natura ipsa? nihil novi monet Paulus : sed naturæ vincula constringit. Si leæna amat fœtus suos, et lupus pro suis catulis pugnat : quidnam dixerit homo, qui et præcepto non obtemperat, et ipsam adulterat naturam, cum aut pater propter secundas nuptias priorum filiorum obliviscetur. Summus est in brutis animantibus sobolis ac parentum inter se amor, quod Deus ipsorum opifex, rationis defectum cum majore sentiendi facultate compensavit. Unde enim inter innumeras oves agnus e

[1] Ephes. VI, 4.

stabulis exiliens ipsum matris colorem vocemque novit, et ad ipsam festinat, et proprios lactis fontes inquirit? Imo si in egenas matris mammas inciderit, tamen est illis contentus, multa plena et gravia ubera prætergressus. Unde itidem mater inter agnos quam plurimos proprium agnoscit? Vox una, idem color, similis omnium odor, quantum odoratui nostro objicitur. Sed tamen quidam inest in ipsis sensus, nostra comprehensione acutior, quo cuique quod suum est dignoscere licet. Nondum sunt dentes catulo, et tamen adversus eos qui molestiam sibi afferunt, sese per os tuetur. Nondum cornua sunt vitulo : tamen novit ubi sibi arma enascentur. Ex his liquet, quod in omnibus inest natura, id doctrina non comparari, nihilque in rebus esse aut inordinatum, aut improvidum : sed res omnes sapientiæ conditoris sui vestigia præ se ferre; cum se ita productas esse declarent, ut sint paratæ ad suam salutem servandam. Et quidem canis expers rationis est : attamen sensum rationi haud imparem habet. Quæ enim mundi sapientes per multum vitæ otium desidentes vix invenerunt, videlicet ratiocinationum ambages : hæc ab ipsa natura edoctus canis perhibetur. Cum enim feræ indagat vestigium, ubi ipsum multipliciter fissum repererit, diverticula quoquo versum ferentia rimatus, tantum non ratiocinativam vocem per ea quæ agit, emittit : fera, inquit, aut hac, aut illac divertit, aut in hanc partem. Atqui neque hac, neque illac : reliquum est, ut ea istac digressa fuerit : atque ita, falsis rescissis, verum invenit. Quid amplius faciunt, qui in theorematibus demonstrandis cum gravitate desident, quique lineis pulveri insculptis ex tribus propositionibus duas rejicientes, in ea quæ reliqua est, verum inveniunt. Porro beneficii memoria ab hoc animali conservata, cui viro

in beneficos ingrato pudorem non incutit? Siquidem canes multi, dominis in deserto loco interfectis, et ipsi immortui fuisse memorantur. Quinetiam canes nonnulli, dum recens esset cædes, iis qui homicidas inquirebant, viæ etiam duces extiterunt, atque in causa fuere, cur ad pœnam malefici raperentur. Quid dicturi sunt, qui Dominum conditorem ac nutritorem suum non solum non diligunt, sed amicis etiam utuntur iis, qui adversus Deum loquuntur iniquitatem, atque ejusdem cum ipsis mensæ participes sunt, ac inter ipsum sumendum cibum impia et contumeliosa in nutritorem verba tolerant?

V. At vero ad rerum creatarum redeamus contemplationem. Animalia quæ facilius capiuntur, sunt fœcundiora. Quocirca lepores et agrestes capræ multos procreant fœtus, ovesque silvestres geminos partus edunt, ut ne genus ab animalibus cruda carne vescentibus consumptum, deficiat. Sed eæ feræ quæ cæteras vorant, parum sunt fœcundæ. Quare leæna vix unius leonis mater efficitur. Nam, ut aiunt, lacerato unguium acie utero, prodit : viperæ quoque, eroso utero, nascuntur, meritam mercedem parenti rependentes. Adeo nihil non providum in rebus est, nihil est curæ eis debitæ expers. Quod si ipsa animalium membra consideraveris, nihil superfluum a conditore adjectum, nihil necessarium detractum fuisse comperies. Carnivoris animalibus acutos aptavit dentes : talibus enim opus erat ob alimenti speciem. Quæ vero dimidia ex parte dentibus armata sunt, ea multis et variis alimentorum receptaculis instruxit. Nam quia prima vice non satis ab ipsis comminuitur alimentum, eis data facultas est cibum deglutitum iterum revocandi, ut ruminatione contritus, ei quod alitur accommodatus sit. Quibus animalibus gulæ, omasa, reti-

cula et magna intestina insunt, ea in iisdem non inutiliter reconduntur : sed unumquodque usum ac munus necessarium explet. Longum est cameli collum, ut par sit pedibus, et eam qua vescitur herbam attingat. Ursæ, leonis, tigridis et cæterorum hujus generis animalium collum breve est, et humeris insitum : propterea quod herba ipsis alimentum non est, nec necesse habeant inclinare se ad terram, cum carnivora sint, ac sese ex animalium præda sustentent. Quid sibi vult proboscis in elephanto? Quia animal magnum, et terrestrium maximum, ad injiciendum occurrentibus terrorem productum, carnosi et obesi corporis esse oportebat. Huic si collum magnum, et pedibus par tributum fuisset, vix posset tractari, utpote quod ob nimiam gravitatem semper deorsum vergeret. Nunc autem caput quidem per paucas cervicis compages cum dorsi spina conjungitur : habet vero proboscidem, colli officio ac munere fungentem, per quam et alimentum assumit, et potum exhaurit. Sed et pedes ipsius articulis minime distincti, velut columnæ conjunctæ, onus suffulciunt. Etenim si laxi et flexibiles pedes ei fuissent suppositi; crebræ factæ fuissent articulorum e suis sedibus motiones : quandoquidem dum flexis genibus consideret, aut exurgeret, ferendo ponderi pares non essent. Nunc vero parvus talus subjicitur elephantis pedi : neque tamen ad curvaturam, neque ad genu compactus articulis est. Nam articulorum inconstantia ac mobilitas multam animalis corpulentiam, ipsi circumfusam ac titubantem, ferre nequaquam potuisset. Unde nasus ille ad pedes usque demissus, fuit necessarius. Nonne vides in bellis, quod velut animatæ quædam turres aciem præcedant? aut quod velut carnei quidam colles, intolerabili impetu impulsi, densata hostium agmina perrumpant? Quibus nisi partes infernæ

responderent, tempore ullo persistere animal illud minime posset. Nunc autem referunt nonnulli trecentis annis et amplius vivere elephantem : propterea pedes ejus compacti sunt, nec ullis articulis dividuntur. (6) Cæterum, uti diximus, proboscis e terra sursum effert alimentum : ea nempe serpentis habet speciem, atque ex sua natura facilius flectitur. Adeo vera illa sententia est, nihil quod aut redundet, aut deficiat, in rebus creatis inveniri posse. Atqui illud tantæ magnitudinis animal nobis Deus subdidit : adeo ut si doceatur, intelligat; si percutiatur, perferat. Nimirum clare nos edocet quod ad creatoris imaginem conditi sumus, ob id nobis fuisse subjecta omnia. Non solum autem in magnis animalibus impervestigabilem sapientiam videre est, sed etiam in minimis nihilo minora miracula colligere licet. Quemadmodum enim magna montium cacumina, quæ ob nubium vicinitatem per continuos flatus hibernum frigus conservant, non miror magis, quam vallium concava, quæ non solum ventorum sublimium sævitiem declinant, sed etiam tepidum aërem semper retinent : sic etiam in animalium constitutione, non magis admiror elephantem ob magnitudinem, quam murem, qui metuendus est elephanto : vel, quam tenuissimum scorpii aculeum quomodo eum artifex ipse tanquam tibiam cavavit, ut per illum virus sauciatis immittatur. Nec quisquam incuset conditorem, quod animalia venenata exitiosaque ac vitæ nostræ adversantia produxit. Aut pari ratione possit quis vituperare pædagogum, qui puerorum levitatem inconstantiamque in ordinem redigeret, quique plagis ac flagellis eorum lasciviam ac protervitatem castigaret.

VI. Fidei argumentum sunt bestiæ. Domino confidis? « Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculca-

» bis leonem et draconem [1], » atque per fidem potestatem habes ambulandi super serpentes ac scorpios. An non vides viperam Paulo sarmenta colligenti adhærentem, nullumque ei detrimentum inferentem, quod ille sanctus inventus est fide plenus? Quod si fide cares, non magis timeas bestiam, quam tuam ipsius incredulitatem, qua te ipsum omni corruptioni obnoxium effecisti. Atqui jamdudum adverto a me expostulari generationis hominis explanationem, et mihi videor tantum non audire auditores in cordibus clamantes : nostra quidem qualia ex sua natura sint edocemur, nos vero ipsos ignoramus. Necesse est igitur cunctatione omni qua detinebamur, repulsa, de his disserere. Et vero se ipsum cognoscere, videtur esse res omnium difficillima. Non enim solum oculus extrinseca prospiciens, ad semet conspiciendum visu non utitur : sed et ipsa mens nostra acute peccatum alienum intuens ad propria agnoscenda delicta tarda est. Idcirco et nunc oratio nostra, licet aliena diligenter transegerit, ad ea quæ ad nos pertinent, investiganda, segnis est, et tarditate plena : quanquam non licet magis ex cœlo et terra, quam ex nostra propria constitutione Deum cognoscere, ei certe, qui seipse prudenter scrutatus fuerit, uti ait Propheta : « Mirabilis » facta est scientia tua ex me [2] : » hoc est, ubi me ipse novi, præstantissimam tuam sapientiam ipse didici. « Et » dixit Deus : faciamus hominem [3]. » Ubi quæso, Judæus est, qui in superioribus, dum theologiæ lumen velut per fenestras quasdam illucesceret, ac secunda quidem Persona mystice demonstraretur necdum tamen clare effulgeret, pugnabat adversus veritatem, atque ipsum Deum ad seipsum loqui affirmabat? Ipse enim, inquit, dixit, et ipse fecit : « Fiat lux, et facta est lux. » Erat

[1] Psal. xc, 13. — [2] Ibid. cxxxviii, 6. — [3] Genes. i, 26.

igitur et tunc in ipsorum verbis obvia manifestaque ineptia. Quis enim faber ferrarius, aut lignarius, aut quis sutor, solus inter artis instrumenta sedens, adjuvante ipsum nemine, dicat ipse sibi : faciamus gladium, aut aratrum compingamus, aut conficiamus calceamentum : an non potius quod sibi convenit opus cum silentio absolvit? Sunt enim profecto nugæ insignes, si quis sedeat, imperetque, et præsit sibi, atque domini more vehementer se ipse urgeat. Verumtamen qui ipsum Dominum calumniari veriti non sunt, quid dicere non possint, linguam habentes ad mendacium exercitatam? At præsens vox omnino os ipsorum oppilat. « Et dixit » Deus, faciamus hominem. » Nunc jam dic mihi, numquid unica est persona? Non enim scriptum est : « Fiat » homo, sed faciamus hominem. » Quamdiu nondum apparebat qui doceretur; in profundo occulta erat theologiæ prædicatio : cum autem hominis expectatur generatio, denudatur fides, clariusque revelatur veritatis dogma. « Faciamus hominem. » Audis o Christi oppugnator, ipsum ad officii socium loqui, « per quem » fecit et sæcula.... qui portat omnia verbo virtutis » suæ[1]. » Sed non tacite verba excipit pietatis. At quemadmodum bestiæ quæ homini sunt infensissimæ, cum in caveis includuntur, circum sepimenta frendent, atque amaritudinem quidem ac feritatem naturæ ostendunt, nec tamen furorem suum possunt explere : ita et gens veritatis inimica, Judæi ad angustias redacti, multas aiunt esse personas, ad quas Dei sermo directus est. Dicit enim astantibus sibi angelis : « Faciamus homi- » nem. » Judaïcum commentum est, atque levitatis inde profectæ inventum : ut ne unum suscipiant, innumeros inducunt. Et Filium reprobantes, famulis digni-

[1] Hebr. 1, 2 et 3.

tatem attribuunt consilii, et conservos nostros efficiunt creationis nostræ dominos. Homo perfectus ad angelorum evehitur dignitatem. Quale autem opificium par esse potest conditori? Considera autem et quæ sæquuntur : « Ad imaginem nostram. » Quid dicis ad hoc? Num et Dei et angelorum una est imago? Filii quidem et Patris eamdem esse formam omnino necesse est; forma videlicet, uti Deum decet, intellecta, non in corporea figura, sed in divinitatis proprietate. Audi et tu qui ex nova concisione es, qui christianismi nomine atque simulatione stabilis judaïsmum. Cui dicit : « ad » imaginem nostram? » Cui, quæso, alteri quam gloriæ splendori, et substantiæ ipsius characteri, qui est Dei invisibilis imago. Itaque imagini suæ viventi, quæ dixit : « Ego et Pater unum sumus[1] : » et, « Qui me vidit, vidit » Patrem, » huic dicit : « Faciamus hominem ad imagi» nem nostram [2]. » Ubi est imago una, quomodo fuerit dissimilitudo? « Et fecit Deus hominem : » non « fece» runt. » Vitavit hoc loco personarum multitudinem. Postquam autem per illa erudivit Judæum, per hæc vero errorem gentilium exclusit, tuto recurrit ad unitatem, ut et Filium cum Patre intelligas, et periculum multitudinis deorum effugias [3]. In imagine Dei fecit ipsum. Rursus personam ejus qui secum simul operabatur, introduxit. Non enim dixit : « In imagine sui ipsius, » sed, « In Dei imagine. » In quo autem præferat Dei imaginem homo, et quo pacto similitudinis ejus sit particeps, in sequentibus, Deo dante, exponemus. Nunc autem id solum dicatur, si una est imago, unde tibi in mentem venit impietatem tam intolerandam profiteri, ut Filium Patri dissimilem dicas? O ingratum animum! quandoquidem similitudinem eam, cujus factus es par-

[1] Joan. x, 30. — [2] Ibid. xiv, 9. — [3] Gen. v. 27.

ticeps beneficii auctori non rependis, et ea quæ dono concessa sunt, tibi ipsi quidem propria manere putas, sed non sinis habere Filium cum genitore acceptam a natura similitudinem. Verum nobis silentium indicit tempus advesperascens, quippe quod jamdudum solem ad occidentem demiserit. Hîc igitur et nos dictis contenti, orationem consopiamus. Nunc quidem quantum studio vestro excitando satis fuit, sermonem attigimus : sed perfectiorem rerum propositarum inquisitionem in consequentibus, Spiritu sancto adjuvante, adhibebimus. Abite exultantes, amans Christi concio, et omnis obsonii sumptuosi et variorum condimentorum loco, eorum quæ diximus memoria honestas vestras mensas instruite. Confundatur qui dissimilitudinem inducit : pudore afficiatur Judæus : gaudeat pius dogmatibus veritatis : glorificetur Dominus, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

S. BASILII

CÆSAREÆ CAPPADOCIÆ

ARCHIEPISCOPI,

HOMILIÆ IN PSALMOS.

HOMILIA I.

IN PSALMUM PRIMUM.

I. « Omnis Scriptura est divinitus inspirata[1], atque uti- » lis[2], » ideo a Spiritu sancto conscripta, ut velut in communi animarum curandarum officina, nos omnes quotquot sumus homines ad nostrum morbum sanandum medelam seligere possimus « Medicina enim, » inquit Scriptura, « sedabit peccata magna[3]. » Aliud igitur Prophetæ docent, aliud historici, aliud lex, aliud species ejus quæ in Proverbiis invenitur exhortationis. At quidquid in cæteris utile est, hic unus psalmorum liber complectitur. Vaticinatur futura, animos revocat ad historiæ memoriam, præscribit vitæ instituendæ modum, quæ sunt agenda, suggerit. Et uno verbo, liber hic commune quoddam est bonæ doctrinæ promptuarium : qui quidquid cuilibet profuturum sit, diligenter offert. Nam

[1] Vide D. Guillon tom. VII, 148-157. — [2] Tim. III, 16. — [3] Eccl. X, 4.

antiquis animarum vulneribus medetur : promptam nuper vulnerato sanitatem reddit : quod ægrum est fovet, quod vero incolume et integrum conservat. Et tandem hic liber, quoad ejus fieri potest, pravos coërcet affectus, qui per hominum vitam in animos varie grassantur. Atque id cum concinna quadam suavitate atque voluptate, quæ honestas ingenerat cogitationes. Etenim ubi Spiritus sanctus genus hominum perspexit ad excolendam virtutem adduci vix posse, et a nobis ob nostram in voluptatem propensionem viam rectam contemni, quid agit? Dogmatis immiscuit harmoniæ dulcedinem, ut rerum auditarum jucunditate ac dulcedine eloquiorum utilitatem nescientes perciperemus : haud aliter atque sapientes medici, qui nauseantibus potionem amariorem daturi, sæpius calicem melle circumliniunt. Ideo concinni illi psalmorum concentus excogitati nobis sunt, ut ii qui pueri sunt ætate, aut etiam omnino moribus sunt juvenes, dum in speciem quidem cantant, reipsa tamen animas erudiant suas. Vix enim unquam unus aliquis e multis et ex desidibus discessit, qui præceptum apostolicum aut propheticum memoria retineat : at psalmorum oracula et domi modulantur, et in forum circumferunt. Et etiamsi quis in feræ modum valde æstuet; ubi psalmis demulceri cœperit, statim consopita per melodiam animi feritate abit.

II. Psalmus tranquillitas est animarum, pacis arbiter, tumultuosas turbulentasque cogitationes compescit : ut reprimit excandescentiam et animi concitationem, ita lasciviam refrenat. Amicitias conciliat psalmus : consociat dissidentes, inter inimicos gratiam componit. Quis enim adhuc eum quocum unam ad Deum vocem emisit, loco inimici habere possit? Itaque et bonorum maximum charitatem conciliat psalmorum cantus, qui concentum

ceu quoddam vinculum ad concordiam ineundam adinvenit, populumque ad chori unius symphoniam congregat. Dæmones psalmus fugat, accersit angelorum patrocinium; ministrat arma contra nocturnos timores, diurnorum laborum est requies: infantium securitas, ornamentum juvenum, senum consolatio, convenientissimum mulierum decus, frequentat solitudines, forum emendat. Psalmus incipientibus initium est, incrementum proficientibus, perfectis firmamentum, vox est ecclesiæ: lætificat dies festos: eam quæ secundum Deum est, tristitiam creat. Enimvero psalmus e corde lapideo ciet lacrymas. Psalmus angelorum opus est, cœlestis conversatio, spirituale thymiama. O sapiens magistri inventum, qui artem qua simul caneremus, et utilia disceremus excogitavit; unde et magis quodammodo animis præcepta imprimuntur. Vix enim durare solet quod invitus didiceris: quod autem jucunde suaviterque acceptum est, tenacius in animis nostris insidet. Quid enim inde discere non queas? Nonne fortitudinis claritudinem? Nonne justitiæ integritatem, gravitatem temperantiæ, prudentiæ perfectionem? Nonne pœnitentiæ modum, aut patientiæ mensuram? Nonne tandem omnia quæcumque proferri possunt bona? Hîc perfecta theologia, hîc de Christi in carnem adventu vaticinium, hîc comminatio judicii, resurrectionis spes, timor supplicii, gloriæ promissiones, mysteriorum revelatio, omnia in psalmorum libro velut in magno quodam et communi promptuario reconduntur. Quem librum, tametsi diversa sunt instrumenta musica, ad psalterium, quod vocant, Propheta aptavit. Quippe gratiam, ut mihi videtur, in eo desuper a sancto Spiritu resonare ostendit, propterea quod hoc solum ex musicis instrumentis editi soni causam ab altiore loco habet. Nam citharæ ac lyræ æs ex inferiori

parte sonitum edit ad plectrum : Psalterium vero a parte superiori concinnæ suæ modulationis originem ducit : ut et nos quæ sursum sunt quærere studeamus, et non concentus dulcedine ad carnis spurcitias devolvamur. Quin et prophetica verba per instrumenti hujus structuram alta quadam et sapienti ratione illud, opinor, nobis ostendunt, quod, quorum animus æquabilis est, beneque compositus, iis expeditum iter ad superiora pateat. Cæterum initium psalmorum videamus.

III. « Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum[1]. » Sane architecti cum in altum erigunt molem ædificiorum, fundamenta altitudini convenientia jaciunt; itemque navium artifices cum prægrandem et onerariam navem construunt, carinam quæ vehendarum mercium oneri par sit supponunt : quin et in animantium generatione cor quod primum naturaliter formatur, structuram animali figurando idoneam a natura accipit. Quapropter cum corpus convenienter propriis principiis constitutum est, tum animalium magnitudo diversa efficitur. Quo igitur modo ad domum se habet fundamentum, et ad navim carina, et ad animalis corpus cor, eodem ad psalmorum generale argumentum se habet etiam breve illud procemium. Nam cum David ad multa, eaque ardua, et innumeris sudoribus ac laboribus referta in serie orationis esset exhortaturus, in antecessum finem beatum pietatis propugnatoribus commonstravit : ut bonorum nobis repositorum spe molestias vitæ animo æquo perferamus. Sic etiam asperum ac difficilimum iter facientibus ad sustinendos labores levamento est commodum speratumque diversorium, atque mercatoribus ad peragrandum mare animos facit parandarum mercium desiderium : quin et agricolis laborum sensum quodam-

[1] Psalm. 1, 1.

modo spes messis adimit. Quamobrem et communis vitæ emendator, doctor magnus, Spiritus veritatis, sapienter ac scite statim ab initio mercedem proposuit, ut supra præsentes labores evecti, animo ad æternorum bonorum gaudia properemus. « Beatus vir qui non abiit in consilio » impiorum. » Quod ergo vere bonum existit, inprimis ac præcipue beatum prædicandum est. Hoc autem Deus est. Unde et Paulus de Christo mentionem facturus, ait : « Secundum manifestationem beati Dei, et salvatoris » nostri Jesu-Christi[1]. » Beatum enim vere est, quod per se bonum est, ad quod respiciunt omnia, quod universa desiderant, natura immutabilis, herilis dignitas, vita perturbationi nulli obnoxia, hilaris vivendi ratio, quæ alterari aut immutari nequit, fons scaturiens, uberrima gratia, inexhaustus thesaurus. Atqui homines ignari, mundique amantes, qui boni ipsius ignorant naturam, res nihili sæpius æstimant, divitias, sanitatem, vitæ splendorem : quarum rerum nihil est sua ipsius natura bonum; non solum quod facile in contraria mutentur, sed quod ne bonos quidem valeant possessores suos reddere. Quis enim ob divitias justus? quis propter sanitatem temperans? Imo sane hæc omnia male utentibus ad peccandum sæpe inserviunt. Beatus igitur ille, qui ea quæ plurimi sunt habenda, possidet, quique eorum, quæ nequeunt auferri, bonorum particeps est. Sed quo pacto hunc cognoscemus? « Qui non abiit in » consilio impiorum. » Et priusquam exponam quid sit non abiisse in consilio impiorum, loci hujus quæstionem vobis solvere volo. Cur propheta, inquis, solum hominem eligit, ac prædicat beatum. Num mulieres a beatitudine exclusit? absit. Enimvero viri et mulieris una est virtus : quandoquidem utriusque creatio honore par est, ac

[1] Tit. II, 13.

proinde utriusque quoque merces est eadem. Audi Genesim : « fecit Deus hominem, » inquit, « ad imaginem » Dei fecit illum, masculum et fœminam fecit eos[1]. » Quorum autem natura una, horum et actiones eædem. Quorum est æquale opus, horum et merces eadem. Quare ergo, viri facta mentione, mulierem tacuit? quoniam satis esse existimavit, cum una sit natura amborum, per præcipuam partem totum significare. « Beatus igitur vir » qui non abiit in consilio impiorum. ». Considera verborum accurationem : quomodo quælibet dictio sententiis referta sit. Non dixit : « Qui non abit in consilio » impiorum, » sed, « Qui non abiit. » Qui enim in hac vita versatur, nondum propter incertum exitum beatus est prædicandus : qui vero suum expleverit officium, vitamque certo fine clauserit, is jam beatus tuto dicitur. Cur igitur beati qui ambulant in lege Domini? Non enim hîc Scriptura eos qui ambulaverunt, sed eos qui adhuc ambulant, prædicat beatos : quoniam qui faciunt bonum, in ipsa actione consequuntur approbationem : sed qui vitant malum, laudandi non sunt, si forte semel aut iterum peccatum evitaverint, sed omnino mali experientiam declinare possint. Atque etiam altera difficultas ex orationis serie sese nobis obtulit : cur eum qui colit virtutem, non dicat beatum, sed eum, qui peccatum non admisit. Hac enim ratione equus, bos et lapis felices poterunt appellari. Quæ enim res inanimata stetit in via peccatorum? aut quæ res rationis expers in cathedra pestilentiæ sedit? Profecto si paululum expectaveris, remedium invenies. Infert enim : « sed in lege » Domini voluntas ejus[2]. » Porro divinæ legis meditatio ei soli, qui particeps rationis est, convenit. Nos autem et illud dicimus, principium bonorum acquirendorum,

[1] Gen. 1, 27. — [2] Psal. 1, 2.

recessum esse a malo. « Declina a malo, » inquit, « et » fac bonum[1]. »

IV. Itaque cum ad virtutem nos induceret, sapienter ac scite vitiorum fugam, bonorum initium fecit. Etenim si statim ea quæ sunt perfecta, tibi proposuisset, ad ea tentanda fuisses cunctantior. Nunc vero ad ea quæ captu faciliora sunt, te assuefacit, ut ea quæ sequuntur, aggrediare. Ego equidem pietatis exercitationem scalæ consimilem esse crediderim, videlicet scalæ illi, quam beatus Jacob olim vidit, cujus quidem pars terram tangebat, eratque humi depressa, pars vero altera ultra ipsum cœlum porrigebatur. Quare necesse est, ut ii qui sunt ad virtutem instituendi, primis gradibus admoveant vestigium, indeque ad sequentes gradus semper progressi, tandem paulatim progrediendo, ad altitudinem humanæ naturæ non imparem perveniant. Quemadmodum igitur in scala primus gradus, recessus ab humo est : ita in vitæ instituto quod secundum Deum fit, profectus initium, discessus a malo est. Prorsus autem facilius est omnino otiari, quam quodvis opus facere : verbi gratia, « Non occides, non mœchaberis, non furaberis[2] : » horum quodlibet meram actionis et motus privationem postulat. Illud vero, « Diliges proximum tuum sicut te- » ipsum, » et, « vende quæ habes[3] : et da pauperibus[4] : » Et, « si quis te angariaverit mille passus, vade cum illo » duo[5], » digna athletis opera sunt, quibus patrandis animo jam forti et strenuo opus est. Quare illius mirare sapientiam, qui per ea quæ faciliora et expeditiora sunt, ad perfectionem nos deducit. Tria autem nobis proposuit merito cavenda, ne videlicet abeamus in consilio impiorum, ne stemus in via peccatorum, ne in cathedra

[1] Psal. xxxvi, 27. — [2] Exod. xx, 13. — [3] Matth. xix, 19. — [4] Ibid. xix, 21. — [5] Ibid. v, 41.

pestilentiæ sedeamus. Rerum naturam secutus, verba hoc ordine disposuit. Primum enim deliberamus, deinde deliberationem firmamus, postremo rebus deliberatis insistimus. Ante omnia igitur mentis nostræ munditia declaranda erat beata, quoniam cordis propositum actionum corporearum radix existit. Adulterium enim in voluptuosi anima primo incensum, ita eam corruptionem quæ per corpus fit, parit. Unde et Dominus intus esse ait quæ coinquinant hominem. Quoniam autem admissum in Deum peccatum, impietas proprie dicitur; absit ut unquam de Deo per incredulitatem dubitemus. Hoc namque est « abiisse in consilio impiorum, » si in tuo corde dixeris : num Deus est, qui universa moderetur et gubernet? num Deus in cœlis est, qui dispenset singula? estne judicium? num unicuique secundum opera sua retribuenda est merces? cur ergo justi egent, peccatores vero abundant opibus? hi ægra, illi firma sunt valetudine? hi inhonorati, illi sunt maximo in honore? numquid fortuito fertur hic mundus, et temerarii quidam casus uniuscujusque vitam temere partiuntur? Hæc si cogitaveris, abiisti in consilio impiorum. Beatus igitur, qui de Deo nihil habuit dubitationis, qui circa præsentia pusillo non est animo, sed expectat futura, cui incredula de eo, qui nos creavit, suspicio non insedit. Beatus autem et ille qui in via peccatorum non stetit. Vita utique dicitur via, quod quilibet in vitam ingressus, ad finem properet. Quemadmodum enim qui in navigiis dormiunt, sponte a vento in portus deducuntur, et quamvis ipsi nequaquam sentiant, cursus tamen eos ad terminum urget : sic et nos diffluente vitæ nostræ tempore, insensibili vitæ nostræ cursu velut continuo quodam et irrequieto motu unusquisque ad proprium finem festinamus. Exempli causa, dormis, tempus te fugit : vigilas, et agitas

aliquid mente; nihilominus tamen vita, etiamsi non sentiamus, absumitur. Omnes ergo ad propriam quisque metam properantes, cursum quemdam currimus, quamobrem sumus in via omnes. Hoc etiam modo viam intelligere possis. In hac vita viator es; omnia transeunt, post tergum tuum relinquuntur omnia. Plantam, herbam, aquam, aut quidvis aliud aspectu dignum in via vidisti: paulum oblectatus, mox præteris. Rursus in lapides, convalles, præcipitia, scopulos et palos, aut etiam in feras, in animalia repentia, in spinas, et in aliud quodvis infortunium incidisti: postquam es paululum afflictus, mox ista reliquisti. Vita est ejusmodi. Neque ejus deliciæ neque molestiæ constanter perseverant. Tua non est hæc via, neque tuæ sunt res præsentes. Inter viatores, simul ut primus pedem movit, huic proximus infert gradum, et post hunc alter qui sequitur.

V. Velim autem attendas, num etiam vitæ casus sint assimiles. Hodie tu coluisti terram, cras alter, post hunc colet et alius. Vides agros hos et domos sumptuosas? Quoties singula, ex quo existunt, nomen jam mutavere! Dicebantur hujus esse, postea ipsis impositum est nomen alterius, ad alium transierunt, tum demum alterius esse dicuntur. Nonne ergo vita nostra via est, alio tempore alium excipiens, et in qua sibi invicem succedunt omnes? « Beatus itaque qui in via peccatorum non stetit[1]. » Illud autem, « Non stetit, » quid sibi vult? Dum in prima adhuc consistimus ætate, nec improbi, nec virtute præditi sumus. (ea enim ætas habitus utriusque capax non est.) Sed posteaquam ratio nostra perfecta est atque cumulata, tunc fit quod scriptum est: « At cum venisset » mandatum, peccatum revixit, ego autem mortuus » sum[2]. » Oriuntur enim malæ cogitationes, quæ ex

[1] Psal. I, I. — [2] Rom. VII, 9.

carnis cupiditatibus in animis nostris generantur. Nam reipsa ubi venit mandatum, hoc est boni honestique judicium, si cogitationem pejorem non vicerit, sed a pravis affectibus animum in servitutem redigi siverit : revixit quidem peccatum, mens vero peccatis interempta moritur. Beatus igitur, qui in via peccatorum non immoratus est, sed saniore consilio ad piam conversationem se recepit. Duæ namque sunt viæ inter se contrariæ : una lata et spatiosa, altera angusta et coarctata. Duo etiam sunt viæ duces, quorum uterque viatorem ad se attrahere conatur. Plana quidem et declivis via habet fallacem ducem, malum dæmonem qui eos qui se sequuntur, in interitum per voluptatem trahit : aspera vero et ardua via bonum angelum, qui sequaces suos per laboriosa virtutis exercitia ad beatum finem perducit. Dum igitur quisque nostrum puer est, præsentes persequitur voluptates, neque habet ullam temporis futuri rationem, neque curam. Jam autem vir factus post judicii perfectionem videre sibi videtur vitam in virtutem et vitium divisam; atque oculis animi in utrumque sæpe conjectis, proprietates utriusque inter se æqualiter diversas esse judicat. Et quidem peccatorum vita ostendit cunctas præsentis sæculi voluptates : justorum vero vita, sola futuri ævi bona commonstrant. Et certe salvandorum via quanto pulchriora pollicetur futura, tanto laboriosiora exhibet præsentia. Voluptaria autem et impura vita non in posterum expectandas, sed jam præsentes delicias proponit. Itaque vertigine laborat anima omnis, atque titubantibus cogitationibus agitatur. Cum quidem secum revolvit æterna, eligit virtutem, cum vero respicit ad præsentia, voluptatem præfert. Hîc bonam corporis habitudinem conspicit, ibi carnis servitutem : hîc ebrietatem; ibi jejunium : hîc cachinnos immodicos, ibi plurimas lacry-

mas ; hîc saltationem, illic precationem : hîc tibias, illic gemitus : hîc scortationem , illic virginitatem. Quoniam igitur quod vere bonum est, id duntaxat ratione per fidem comprehendi potest « longe enim abest, » nec vidit oculus, nec auris audivit[1] » peccati vero suavitas promptam, et per omnes sensus fluentem voluptatem habet, idcirco beatus, qui propter voluptatis illecebras non deductus est ad interitum, sed spem salutis expectat per patientiam, ac in utraque via secernenda viam ad deteriora ducentem non capit.

VI. « Et in cathedra pestilentiæ non sedit[2]. » Num illas dicit cathedras, in quibus nostra corpora quieti damus? Ecqua est ligni cum peccato societas, ut cathedram a peccatore præoccupatam tanquam exitialem fugere debeam? Nonne firmam ac stabilem in vitii approbatione moram cathedram dici nobis putandum est? Quod caveamus oportet, propterea quod studiosa in peccatis mora habitum quemdam qui vix excuti potest, in animis ingenerat. Vix enim sanatur inveteratus animi morbus, malique exercitatio tempore confirmata : imo vero sanari omnino non potest, si consuetudo in naturam transeat, id quod plerumque evenit. Optandum igitur fuerit, ut ne attingamus malum. Attamen secunda superest navigatio, ut statim post experientiam illud tanquam bestiæ venenatæ plagam declinemus, secundum Salomonem de improba muliere scribentem : « Ne injicias oculum tuum » in eam, sed resili, ne moreris[3]. » Et vero quosdam novi, qui per suam juventutem in carnis vitia delapsi, ad ipsam usque canitiem in peccatis propter mali consuetudinem perseveraverunt. Quemadmodum enim sues qui sese in cœno obvolvunt, semper magis ac magis luto asperguntur : sic ii quotidie magis ac magis voluptatis

[1] Cor. II, 9. — [2] Psal. I, 2. — [3] Prov. IX, 18.

sibi dedecus inurunt. Beatitudo igitur est malum non cogitasse : si tamen inimici dolo consilia impietatis receperis in anima, ne steteris in peccato. Quod si etiam id tibi contigit, in malo ne permaneas. Ne igitur sederis in cathedra pestilentiarum. Si intellexisti quamnam cathedram dicat Scriptura, nimirum longam in malo perseverantiam, de cætero exquiras velim quas pestilentias nominet. Aiunt harumce rerum periti pestem, ubi unum hominem, aut jumentum attigerit, in quosque proximos per vices serpere. Contendunt namque hujus morbi naturam talem esse, ut omnes sese mutuo ægritudine repleant. Tales itaque sunt iniquitatis operarii. Nam alter alteri morbum impertientes, ægrotant simul, simulque pereunt. Nonne cinædos conspicis in foro sedentes, qui castos quoque irrident, quique sua turpitudinis opera narrantes, tenebrarum studia et cupiditates ignominiosas tanquam præclare gesta, aut alia quædam egregia facinora commemorant? Pestes sunt ii, qui in omnes transfundere conantur proprium morbum, multosque sibi similes fieri magnopere cupiunt : ut per hanc malorum communicationem infamiam vitent. Nam neque ignis materiam suscipiendæ flammæ idoneam nactus, cohiberi potest, quominus subsiliat ad universam : maxime, si vehemens ventus transfundat flammam : neque fieri potest, ut peccatum, quod unum aliquem attigerit, ad omnes vicinos non transeat, si nequitiæ spiritus illud accendant. Manere enim in uno iniquitatem non sinit spiritus stupri, sed statim coævi consociantur. Concessiones, ebrietates, sermones obsceni, scortum compotans, huic arridens, illum provocans, ad idem peccatum accendens omnes. Num parva hæc pestilentia, num modica isthæc peccati contagio? Quid vero, quisquis avarum æmulatur, aut eum, qui per aliquod aliud

scelus conspicuam quamdam ac civilem auctoritatem adeptus est, aut gentium habet imperium, aut exercituum dux est, deinde si affectibus turpissimis contaminatus fuerit, nonne in animo excepit pestem, tum, cum malum ejus quem æmulatur, proprium sibi reddidit? Nam et vitam eorum qui clarent, secum ostendunt illæ ipsæ dignitates vitæ. Et milites quidem plerumque consimiles sunt ducibus : populi vero in civitatibus imitantur magistratus. Et in summa, ubi unius scelus plebi visum fuerit imitatione dignum; proprie et recte aliqua animarum pestis in vita extare dicetur. Claritudo enim improbitati juncta, multos eorum qui facile labuntur, ad simile studium trahit. Quoniam itaque ab alio ad alterum corruptio manat, talium animæ dicantur peste affectæ. Ne igitur in cathedra pestilentiarum sederis, neve judicii corruptorum et pestiferorum fias particeps, neque in malis consiliis permaneas. Atqui oratio in ipsis adhuc proœmiis versatur, et tamen illius copiam modum excedere video; adeo ut neque vobis facile sit plurima retinere, neque mihi, deficiente me voce, ob consuetam infirmitatem orationem prosequi. Quanquam autem ea quæ diximus, imperfecte dicta sint, cum mali quidem fuga demonstrata sit, perfectio vero quæ bonis operibus acquiritur, omissa sit : nihilominus tamen præsentia benignis auribus commendantes, pollicemur, Deo dante, reliqua etiam completuros nos, si modo non omnino in posterum ad silentium redigamur. Tribuat autem Dominus nobis eorum quæ diximus mercedem : vobis vero eorum quæ audistis fructum, gratia Christi ipsius, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA II.

IN PSALMUM SEPTIMUM.

Psalmus ipsi David, quem cecinit Domino, pro verbis Chusi filii Jemeni.

I. Inscriptio septimi psalmi[1] quodammodo Regnorum historiæ, ubi de Davide narratur, videtur esse contraria. Illic enim Chusi præcipuus quidem Davidis amicus, filius vero Arachi esse memoratur. Hîc autem filius Jemeni. Verum neque hic, neque alius quisquam ex iis qui ibi reperiuntur, filius Jemeni est. Num igitur quoniam fortem ac strenuam operam ex simulata amicitia navavit, dum videlicet transiens ad Absalonis partes, evertit consilia Achitophelis, qui viri acerrimi et in re militari exercitatissimi consilia suggerebat, idcirco filius Jemeni appellatus est? Filius autem Jemeni filius dexteræ interpretatur. Cum enim moneret ille nullam rebus moram interponendam, sed imparatum patrem statim esse adoriendum, non permisit ut concilium Achitophelis admitteretur : ut induceret, inquit Scriptura, in Absalonem mala omnia. Quippe probabiliores causas dilationis ac moræ ipsis visus est proferre, ut Davidi tempus virium colligendarum tribueret. Unde et Absaloni erat gratus, dicenti : consilium Chusi filii Arachi consilio Achitophelis longe præstat. Interea Davidem per Sadoc et Abiathar

[1] Vide D. Guillon, tom. VII, 158-160.

sacerdotes de statutis certiorem faciebat, et præcepit ne in Araboth deserti castrametaretur : sed ut transiret, urgebat. Quoniam igitur ob bonum consilium factus est dexter et officiosus in Davidem : a præclaro facinore sortitus est cognomentum. Quapropter filius Jemeni appellatus est, hoc est, filius dexteræ. Hic autem Scripturæ mos est, et pejores potius a peccato quam a Patribus nominare, et meliores filios ab aliqua virtute ipsis privatim conveniente appellare. Et quidem diabolum filium perditionis Apostolus vocat. « Nisi enim revelatus fuerit » iniquus ille filius perditionis[1]. » Judam vero in Evangelio Dominus filium perditionis nominavit. « Nullus » enim, » inquit, « periit nisi filius perditionis[2]. » Qui vero in Dei cognitione sunt instituti et conformati, hos vocat sapientiæ filios : « Justificata est enim, » inquit, « sapientia a filiis suis[3]. » Et, « si fuerit, » inquit, « ibi filius pacis[4]. » Non igitur mirum videri debet, si nunc quoque corporalis ejus pater taceatur, præcipuus vero Davidis amicus vocatus sit dexteræ filius, quippe qui a factis sibi congruum cognomen acquisierit.

II. « Domine Deus meus in te speravi, salvum me » fac[5]. » Putatur simplex quiddam esse, et quod a quovis recte possit proferri, illud videlicet : « Domine Deus » meus in te speravi, salvum me fac. » Fortassis non ita se res habet. Qui namque in homine sperat, aut qui ob aliquid aliud mundanum effertur, ob potestatem, vel ob divitias vel ob quidpiam aliud eorum, quæ inter res claras a multis reputantur, non potest dicere : « Domine Deus » meus in te speravi. » Præceptum enim est, non oportere in principibus sperare. Et, « maledictus homo qui confidit » in homine[6]. » Quemadmodum nec quidquam aliud

[1] Thess. II, 3. — [2] Joan. XVII, 12. — [3] Matth. XI, 19. — [4] Luc. X, 6. — [5] Psal. VII, 2. — [6] Jerem. XVII, 5.

oportet præter Deum colere ; sic nec in alio, quam in Deo omnium Domino spem reponere. « Spes enim mea, » inquit, « et cantatio mea Dominus[1]. » Sed quomodo rogat ut primum servetur a persequentibus : deinde, ut liberetur? Puncti distinctio claram reddet sententiam. « Salvum me fac ex omnibus persequentibus me. » Et, « libera me, ne quando rapiat ut leo animam meam[2]. » Quæ igitur differentia inter servari et liberari? Nimirum proprie salute opus est debilibus : qui vero detinentur in captivitate, indigent ut liberentur. Propterea is quidem qui per se debilis est, et tamen in se retinet fidem, per propriam fidem ad salutem præparatur. « Fides » enim, » inquit, « tua te salvam fecit[3] : » Et, « Fiat « tibi sicut credidisti. » Qui vero liberandus est, pretium pro se aliunde persolvendum expectat. Itaque cui imminet et impendet mors, is cum sibi conscius sit salvatorem esse unum, atque unum liberatorem, ait : « In te speravi salvum me fac » ab infirmitate, « et » libera me » a captivitate. Existimo autem strenuos Dei athletas, qui cum invisibilibus inimicis per omnem suam vitam valde colluctati sunt, postquam eorum omnes insectationes effugerint, prope vitæ finem constitutos, a sæculi principe examinari, ut si reperiantur aut vulnera ex certaminibus, aut aliquas maculas, aut peccati vestigia retinuisse, detineantur : sin autem inveniantur invulnerati et intemerati, a Christo tanquam invicti et liberi in requiem transferantur. Orat igitur pro vita præsenti et futura. « Salvum » enim, inquit, « me « fac, » hîc « a persequentibus me, libera me » vero illic tempore examinis, « ne quando rapiat ut leo ani- » mam meam. » Et hæc ex ipso Domino discere potes, circa suæ passionis tempus dicente : « Nunc princeps

[1] Psal. LXX, 5 et 7. — [2] Ibid. VII, 3. — [3] Luc VII, 50.

» hujus mundi venit, et in me non habebit quidquam[1]. » Enimvero qui peccatum non admiserat, nihil habere dicebat : satis autem fuerit homini, si audeat dicere : venit princeps mundi hujus, et in me habebit pauca et parva. At periculum est ne hæc accidant, nisi adsit qui redimat, et salvos nos faciat. Duobus propositis duo subjunguntur. « Salvum me fac ex multitudine perse- » quentium me, et libera me, ne quando rapiat quasi » non sit qui redimat. »

III. « Domine Deus meus si feci istud, si est iniquitas » in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala, » decidam ergo ab inimicis meis inanis. Persequa- » tur ergo inimicus animam meam et comprehendat[2]. » Scriptura non solum recepto more retributionis nomen usurpare solet, cum videlicet bonum aliquod aut malum præcessit, sed in initio etiam actionum, ut in hoc loco : « Retribue servo tuo[3]. » Cum enim dicere debuisset : « tribue : » dictum est, « retribue. » Dare igitur, initium est benefaciendi : reddere vero, actio ejus qui beneficium accepit, par pari referentis. Retributio autem secundum quoddam est principium, ac vicissitudo bonorum aut malorum in quosdam collatorum. Mea quidem sententia, cum sermo pro petitione nomen adhibet quasi repetitionis alicujus, et retributionem requirit, talem quemdam sensum præfert. Providentiæ ac curæ debitum, quod natura necessario a parentibus filiis debetur, hoc mihi exhibe. Liberis enim a patre secundum naturalem amorem debetur rerum ad vitam pertinentium cura. Debent enim, inquit, parentes filiis thesaurizare, ut præter vitam, adhuc et vivendi subsidia eis subministrent. In primis actionibus sæpe ad hunc modum in Scriptura usurpatur redditio, seu retri-

[1] Joan. xiv, 30. — [2] Psal. vii, 4, 5, 6. — [3] Psal. cxviii, 17.

butio. Nunc autem Propheta in eo videtur confidere, quod nec reddiderit retribuentibus mala, nec similia reddiderit. Itaque « si feci istud, et si reddidi retribuen- » tibus mihi mala, decidam ergo ab inimicis meis » inanis. » Inanis ab inimicis decidit is, qui ex gratia, quæ ex plenitudine Christi est, excidit. « Persequatur » igitur inimicus animam meam, et comprehendat et » conculcet in terra vitam meam. » Justi quidem anima ab affectibus et consortio corporis secreta, vitam habet cum Christo absconditam in Deo, ut cum Apostolo dicere queat : « Vivo autem jam non ego, vivit vero in me » Christus[1]. » Et, « quod autem nunc vivo in carne, in » fide vivo. » Peccatoris autem, et ejus, qui secundum carnem vivit, corporeisque voluptatibus inquinatur, anima, in carnis cupiditatibus tanquam in luto volutatur : quam conculcatam magis ac magis inimicus commaculare, et veluti humo ingesta obruere conatur, irruens in jacentem, et suis pedibus illum in terra proterens, hoc est, in ipso corpore conculcans ejus, qui lapsus est, vitam. « Et gloriam meam in pulverem deducat. » Sanctorum enim qui in cœlis conversantur, et sibi in thesauris sempiternis bona congerunt, gloria in cœlo est. Terrenorum vero et secundum carnem viventium gloria, in pulvere demorari dicitur. Qui enim in opibus terrenis gloriatur, et hominum honorem brevi tempore duraturum prosequitur, ac rerum corporalium copia confidit, is sibi gloriam conciliat, non in cœlum tendentem, sed in pulvere permanentem. « Exurge Domine in » ira tua : exaltare in finibus inimicorum meorum[2]. » Mysterium resurrectionis jam compleri exoptat Propheta, ad peccati eorum oblationem; aut eam in cruce exaltationem, quæ futura erat, postquam ad ultimum

[1] Galat. II, 20. — [2] Psal. VII, 7.

terminum esset inimicorum malitia evecta. Aut etiam verbis illis, « Exaltare in finibus inimicorum meorum, » talis quædam subjecta est notio. Nimirum, quantumlibet ascenderit malitia, etiamsi ad immensum pervenerit, seque in infinitum effuderit, ea qua polles virtutis abundantia, potes tu quemadmodum bonus medicus, depascentis morbi terminos præoccupans, sistere morbum grassantem ac serpentem, et ejus continuitatem plagis tuis objurgatoriis excindere.

IV. « Et exurge Domine Deus meus in præcepto quod » mandasti[1]. » Potest hic sermo et ad resurrectionis mysterium referri . adeo ut Propheta judicem exhortetur, ut exurgat ad cujuscumque peccati ultionem, et ad mandata quæ nobis ante præscripsit perficienda. Potest quoque et de statu rerum Prophetæ, ut tunc erat accipi, ac si Deum roget, ut ad vindictam præcepti quod mandavit exurgat. Præceptum autem erat a Deo datum : « Honora patrem tuum et matrem[2], » quod ipsum ejus filius jam fuerat transgressus. Ideo Deum adhortatur, ut non cunctanter et illum ipsum corrigat, et multos refrenet : sed exurgat in ira, et exurgens, proprium vindicet mandatum. Non enim, inquit, me ulcisceris, sed præceptum tuum neglectum, quod ipse mandasti. « Et » synagoga populorum circumdabit te[3]. » Constat enim fore, ut, castigato improbo uno, multi convertantur. Itaque ejus malitiam puni, ut multa populorum synagoga te circumdet. « Et propter hanc in altum regre» dere. » Propter circumdantem te synagogam, quam, demittens te per gratiam, et carnem induens, possedisti, regredere in altitudinem gloriæ, quam ante mundi ortum habebas. « Dominus judicabit populos[4]. » Multis Scripturæ locis de judicio inspersus est sermo, tanquam

[1] Psal. VII, 7. — [2] Exod. XX, 12. — [3] Psal. VII, 8. — [4] Ibid., 8.

qui maxime necessarius sit, servetque maxime in pietatis doctrina, eos, qui in Deum per Jesum Christum crediderunt. Quoniam autem diverse de judicio scriptus est sermo, confusionem quamdam iis videbitur parere, qui minus accurate has distingunt significationes. « Qui » enim credit in me, non judicatur : qui autem non » credit, jam judicatus est[1]. » Quod si is qui non credit, similis est impio, quomodo dictum est impios in judicio non esse resurrecturos? Et si credentes, per fidem facti sunt filii Dei; ac propterea digni sunt qui et ipsi vocentur Dii, quomodo Deus stabit in synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicabit. Verum videtur aliquando judicare pro « probare » a Scriptura accipi : aliquando vero pro « condemnare. » Sumitur quidem pro « probare, » verbi gratia, « Judica me Domine quoniam ego in inno- » centia mea ingressus sum[2]. » Ibi enim subjungit : « Proba me Domine et tenta me. » Sumitur vero pro condemnare, ut in illo, « Quod si nosmetipsos judica- » remus, non utique judicaremur[3] : » si enim, inquit, nos ipsos perscrutaremur, condemnationi nequaquam subjiceremur. Rursus dictum est Dominum cum omni carne judicium subiturum, id est, in exquirenda ratione eorum quæ cuique dum viveret, acta sunt, judicio se ipse subjicit, et sua præcepta opponit factis peccatorum, argumentis ac demonstrationibus excusans se, quod in salutem judicandorum omnia quæ ad se attinebant, fecerit, ut ii qui peccaverunt, ubi persuasum fuerit sibi se peccatis obnoxios esse, convenientem sibi pœnam, approbato judicio divino, haud inviti perferant.

V. Vox autem, « judicare, » habet et aliam quoque significationem, ut cum dicit Dominus : « Regina » austri surget in judicio, et condemnabit generationem

[1] Joan. III, 10. — [2] Psal. XXV, 1, 2. — [3] Cor. XI, 31.

» istam[1]. » Qui enim divinam aversantur doctrinam, et decorum honestumque odio habent, et sapientiæ dogmata ad docendum idonea prorsus detestantur, postquam collati fuerint et comparati cum suis æqualibus, qui rerum bonarum studio excelluerint, hos dicit ob ea quæ omiserunt pœnam graviorem esse daturos. Arbitror autem omnes, quotquot hoc terrestre corpus recepere, pari modo a justo illo judice non esse judicandos, quod quæ forinsecus unicuique nostrum accidunt, utpote longe inter se diversa, uniuscujusque judicium varium efficiant. Nam earum rerum concursus, quæ in nostra non sunt potestate, sed nos circumdant vel invitos, aut aggravat peccata nostra, aut efficit leviora. Ponas enim de stupro ferri judicium. Sed qui id admisit peccati, pravis erat ad initio institutus moribus : siquidem ex impudicis parentibus natus fuerat, et in flagitiorum consuetudine educatus. in ebrietatibus, in comessationibus, in obscenis sermonibus. Contra, aliquis alius quem plurima ad optima quæque sectanda invitabant, educatio, magistri, diviniores sermones ab eo auditi, lectiones salutares, monita parentum, colloquia ad gravitatem et ad pudicitiam informantia, victus moderatus : is si deinceps in simile peccatum atque alius delapsus est, nonne vitæ peractæ rationem redditurus, pœnas graviores quam alter jure optimo dabit? Ille enim ob id solum accusabitur, quod salutaribus subsidiis animo inspersis recte usus non sit : hic vero præterea, ob id etiam, quod multa ad salutem adjumenta nactus, propter intemperantiam et temporis brevissimi incuriam se ipse prodiderit. Similiter autem et qui ab initio in pietate fuit institutus, omnemque in Dei dogmatis vitavit perversitatem, et qui enutritus est in Dei lege, quæ omne accusat pecca-

[1] Matth. xii, 42.

tum, et ad contraria provocat, is non similem habebit idololatriæ excusationem, atque ille, qui a parentibus ex legibus educatus est, et a gentibus idololatriam ab exordio fuit edoctus. « Dominus judicabit populos. » Aliter Judæum, aliter Scytham. Ille enim in lege acquiescit, et in Deo gloriatur, ac probat meliora. Cum enim ex lege sit instructus, ac præter communes notiones prophetica et legalia scripta ei semper cantentur, eademque ab ipso ediscantur, si quidpiam præter jus admisisse inveniatur, imputata sibi peccata habebuntur longe graviora. At Scythæ Nomades agrestibus et inhumanis educati moribus, rapinis et contumeliis mutuis assueti, iræ impotentissimi, et in invicem facillime iracundia effervescentes, soliti omnem contentionem ferro dirimere, sanguineque prælia finire edocti, si quam humanitatem aut bonitatem sibi invicem ostenderint, per præclara sua facinora vindictam acerbiorem nobis parant. « Judica » me Domine secundum justitiam meam, et secundum » innocentiam meam super me[1]. » Hæc verba superbi aliquid, et quod precationi Pharisæi sese extollentis assimile sit, videbuntur habere. Attamen candide intuenti, Propheta ab hoc animo procul abesse judicabitur. « Judica me Domine, » inquit, « secundum justi» tiam meam. » Multiplex est, inquit, de justitia sermo ac justitiæ perfectæ fines captu sunt difficiles. Est enim et angelorum justitia quædam, quæ humanam longe superat : et si qua est virtus angelis superior, justitiæ præstantiam magnitudini suæ congruentem habet. Quinetiam est ipsiusmet Dei justitia, quæ omnem transcendit intellectum, quæque ineffabilis est, omnique creatæ naturæ incomprehensibilis.

VI. « Me igitur judica, Domine, secundum justitiam

[1] Psal. VII, 9.

» meam, » id est, eam, quæ ab hominibus acquiri potest, quæque eorum qui in carne vivunt, vires non superat. « Et secundum innocentiam meam super me. » Sic enim maxime loquentis affectus procul a Pharisæi arrogantia probatur distare. Etenim innocentiam suam nominat, quasi simplicitatem, ac inscitiam eorum quæ cognitu utilia sunt. Sicut in Proverbiis dicitur : « Inno- » cens credit omni verbo[1]. » Quoniam itaque nos homines in multis incaute ex imperitia offendimus, Deum rogat, petitque ut veniam propter innocentiam assequatur. Inde autem manifestum est loquentis humilitatem his dictis magis indicari, quam superbiam. « Judica me » enim, » inquit, « secundum justitiam meam, » et judica me secundum innocentiam in me existentem. Itaque justitiam quidem meam fragilitate humana admetiens, sic judica me : morum vero meorum simplicitatem doctus, me non ut sagacem, neque ut in mundi negotiis circumspectum, ita peccantem condemnes. « Consummetur nunc nequitia peccatorum[2] ». Hæc qui precatur, procul dubio evangelicorum præceptorum discipulus est. Orat enim pro persequentibus ipsum, petitque ut fine et termino quodam peccatorum iniquitas circumscribatur. Quemadmodum si quis pro iis qui ægro sunt corpore, deprecans, diceret : Consummetur nunc ægrotantium morbus. Etenim ne serpens latius peccatum, velut gangræna ulterius depascatur, petit a Deo, ut sistatur, circumscribaturque amplior peccati effusio : quippe inimicos suos diligebat, iisque quibus invisus erat, volebat benefacere, et ideo precabatur pro persequentibus ipsum. « Et diriges justum. » Justus nominatur rectus : item cor virtute ornatum, vocatur rectum. Quid igitur hîc sibi vult Prophetæ precatio? Orat

[1] Prov. xiv, 15. — [2] Psal. vii, 10.

enim ut is qui jam rectus est, dirigatur. Nemo enim dixerit esse in justo quidquam obliquum, aut transversum, aut tortuosum. Fortassis autem necessaria est pro justo precatio, ut rectum animi ejus propositum, mentis immutabilitas Dei ductu dirigatur nequando præ infirmitate a veritatis quasi canone deflectat, neve eum veritatis inimicus perversis dogmatis lædat. « Scrutans corda » et renes Deus juste. » Quandoquidem Scriptura multis in locis cor pro principali animæ parte accipit, renes vero pro concupiscente, hîc quoque idipsum significat. Nimirum judica me Deus, tum ex meis circa pietatem dogmatis, tum ex motibus affectuum meorum. Tu namque corda et renes perscrutaris. Scrutatio proprie est inquisitio, tormentis omnibus adjuncta, quam adversus examinandos adhibent judices, ut ii qui in se tegunt postulata, id quod latebat, in medium vi dolorum proferant. Profecto in judicis examine omnis erroris experti tam cogitationes, quam actiones nostræ expenduntur. Nemo igitur verum judicem præveniat, ante tempus judicet nemo : « Quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia » cordium[1]. » Itaque dum scrutatur corda et renes Deus, suam ostendit justitiam. Et quidem examinatum est cor Abrahæ, an Deum ex tota sua anima et ex toto corde diligeret, quando jussus est Isaac pro holocausto offerre : ut compertum esset filium suum ab ipso supra Deum non amari. Examinatus est autem et Jacob, fratris insidiis petitus, ut fraterna ipsius charitas inter tanta Esaü peccata nihilo remissiôr appareret. Itaque horum corda examini fuere subjecta. Quin et renes Josephi expensi fuerunt, quando lasciva domina amore ejus insaniente, voluptati turpissimæ honestatem pudicitiæ prætulit. Ideo

[1] Cor. IV, 5.

autem probatus est, ut communi consensu spectatores judicii Dei faterentur jure ei deferri honorem, quod illius castitas in magnis periculis mirum in modum eluxisset.

VII. « Auxilium meum a Domino[1]. » Proprie qui oppugnantur, adversus impetus hostiles in bellis auxilium quærunt. Et hîc itaque invisibiles suos inimicos sentiens quispiam, periculumque quod sibi ab inimicis ipsum circumsedentibus impendet, intuens, dicet : auxilium meum non ex divitiis, neque ex ullo corporali subsidio, neque ex potentia, aut meis viribus, neque ex ulla cognatione humana, sed auxilium meum a Domino. Quale autem mittat auxilium timentibus se Dominus, alibi a psalmo didicimus, dicente : « Immittet » Angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet » eos[2]. « Et alibi : « Angelus qui eruit me. Qui salvos » facit rectos corde[3]. » Rectus corde is est, cujus animus neque ad excessum, neque ad defectum vergit, sed ad medium virtutis dirigitur. Qui enim a fortitudine ad minora deflectit, timiditate pervertitur : qui vero ad majora progreditur, delabitur in audaciam. Quamobrem hujuscemodi homines qui a medio aberrant vel excessu, vel defectu, obliquos et obtortos Scriptura nominat. Quemadmodum enim linea obliqua fit, cum hujus rectitudo modo in convexum, modo in concavum diffringitur : sic etiam obliquum cor est quod nunc per jactantiam arrogantiamque effertur, nunc autem per molestias et animi demissionem dejicitur. Ideo Ecclesiastes ait : « Perversum non dirigetur. Deus judex justus, et fortis, » et longanimis, et non iram adducens per singulos » dies[4]. » Hos qui aliquando ob rerum eventus turbandi

[1] Psal. VII, 11. — [2] Ibid. XXXIII, 8. — [3] Genes. XLVIII, 16. Psal. VII, 11. — [4] Eccl. I, 15.

erant vehementius adoriens Propheta, hoc dicere videtur, veluti sedans hominum perturbationem, ne quando providentiæ universa moderanti diffidant, cum viderint patrem, filio in eum insurgente, inultum relinqui, et nequitiam Absalonis in iis quæ proposuerat feliciter procedere. Itaque stolidas eorum cogitationes corrigens, id eis testimonii dedit : « Deus judex justus et fortis, et » longanimis, et non iram adducens per singulos dies[1]. » Nihil temere fit eorum quæ geruntur : sed cuilibet Deus ea mensura rependet, qua prior in hac vita actiones suas fuerit dimensus. Quoniam igitur peccatum ego admisi, pro meo merito vicem recipio. « Nolite ergo loqui » adversus Deum iniquitatem[2]. » Deus enim est judex justus. Neque ita abjecte de Deo cogitaveritis, ipsum ad ultionem sumendam invalidum esse ut arbitremini. Nam est et fortis. Quid igitur causæ est, quod non statim pœnam infligat peccantibus? quoniam longanimis est, non iram adducens per singulos dies. « Nisi conversi » fueritis, gladium suum vibrabit[3]. » Minax est ille sermo, ad conversionem inducens tardos ad pœnitentiam. Non statim minatur vulnera, plagas, mortes : sed armorum vibrationem velut apparatum quemdam ad ultionem. Quemadmodum enim qui tergunt arma, suum ad bellum impetum per hoc significant ; sic et Scriptura ubi Dei ad ultionem motum vult ostendere, ab ipso vibrari gladium dixit : « Arcum suum tetendit, et paravit illum : et in » eo paravit vasa mortis[4]. » Non nervus quispiam est qui arcum tendat Dei, sed puniendi potentia, quæ aliquando intensa est, aliquando vero remissa. Peccanti igitur Scriptura minatur futura supplicia sibi præparata esse, si in peccato permanserit. Parata sunt enim in arcu vasa mortis; vasa autem mortis virtutes sunt, quæ Dei ini-

1 Psal. VII, 12. — 2 Ibid. LXXIV, 6. — 3 Ibid. VII, 13. — 4 Psal. VII, 14.

micos exterminant. « Sagittas suas ardentibus effecit. » Ut enim ignis ob materiam ustioni idoneam a creatore conditus est, non enim propter adamantem qui ab igne non absumitur, sed propter ligna flammæ suspiciendæ apta, creatus est : ita et sagittæ Dei ob eas animas, quæ facile ignem concipiunt, multumque collegerunt ejus substantiæ, quæ terrena est, et ad interitum idonea, ab ipso effectæ sunt. Qui igitur ignitas diaboli sagittas prius recipiunt, ac intra se retinent, ii Dei excipiunt sagittas. Idcirco ait : « Sagittas suas jam ardentibus effecit. » Adurunt autem animam amores ad carnem spectantes, opum cupiditas, iræ æstuantes, et ea quæ animum urit absumitque tristitia, et alieni a Deo timores. Qui autem est ab inimici sagittis illæsus, Deique indutus est armaturam, a lethiferis sagittis intactus permanet.

VIII. « Ecce parturiit injustitiam, concepit dolorem » et peperit iniquitatem[1]. » Et quidem, quod ad ordinem pertinet, confusa videntur esse hæc verba. Nam primum concipiunt prægnantes, deinde parturiunt, postremo pariunt. Hîc vero primum puerperii dolores fiunt, deinde conceptio, postremum partus. At hæc cordis conceptionem significantissime explicant. Irrationales enim incontinentium impetus, insanæque ac furentes libidines, dicuntur puerperii dolores, eo quod cum velocitate et dolore in anima innascantur. Qui autem ob talem impetum pravis succubuit cogitationibus, is dolorem concepit : et qui cordis malitiam per iniquas actiones incendit, is peperit iniquitatem. Videtur autem hæc dicere, quod eum pudeat esse iniqui filii patrem. Non meus, inquit, filius est, sed ejus patris factus est filius, cui se in adoptionem per peccatum mancipavit. Nam secundum Joannem : « Qui facit

[1] Psal. VII, 15.

» peccatum, ex diabolo natus est[1]. » Ecce igitur eum parturiit diabolus per iniquitatem, et concepit ipsum : hoc est, in penitissimis sui ipsius recessibus detentum sub viscera proprii affectus pertraxit, ac eo gravidus, tum demum peperit, cum in apertum illius protulit iniquitatem : siquidem ejus in patrem rebellio denuntiata omnibus est per præconem. « Lacum aperuit, et effodit eum[2]. » Nomen lacus in divinis Scripturis non admodum in bonam partem invenimus acceptum, sicut neque puteus aquæ in malam. Lacus enim est, in quem a suis fratribus conjectus est Joseph. Et cum cædes facta est « a primogenito » Pharaonis.... usque ad primogenitum captivæ quæ in » lacu[3]. » Et in Psalmis : « Æstimatus sum cum des» cendentibus in lacum[4]. » Et in Jeremia : « Me fon» tem aquæ vivæ, » inquit, « dereliquerunt, et fo» derunt sibi lacus contritos, qui non poterunt conti» nere aquam[5]. » Atque etiam in Daniele lacus leonum descriptus est, in quem dejicitur Daniel ipse. Puteum autem effodit Abraham : item pueri Isaac : et ad puteum progressus requiescebat Moses. Et jubemur a Salomone aquam bibere ex nostris vasis, et ex puteorum nostrorum fonte[6]. Quinetiam salvator ipse juxta puteum cum Samaritana de divinis mysteriis disserit. Causam vero cur lacus in pejus, putei vero in melius usurpentur, hanc esse existimamus ; quod aqua in lacubus sit adventitia, quippe quæ e cœlo cadat : in puteis vero aquarum venæ, antequam loca effodiantur, aggesta humo obrutæ, jam se prodant, si modo aggeres eas tegentes, aut alia quævis incumbens substantia, quæ ipsamet tota terra est,

[1] Joan. III, 8. — [2] Psal. VII, 16. — [3] Exod. XII, 29. — [4] Psal. LXXXVII, 5. — [5] Jerem. II, 13. — [6] Prov. V, 15.

submoveantur. Et vero veluti fossa est in animabus, in quas cadunt optima, quæ mutantur et adulterantur tum, cum quispiam honesti rectique cogitationes sibi illapsas pellit, eas ad pejora, et ad ea quæ veritati adversantur, distorquens : quippe nullum bonum familiare ac proprium habere statuit. Contra, putei sunt in anima, cum lux, vitiis quæ integebant, ablatis affulget, et fons aquæ, quæ per sermonem et dogmata potui dari potest. Quapropter est unicuique necesse, sibi puteum præparare, ut mandatum memoratum servet, quo dicitur : « Bibe aquas de tuis vasis, et » de puteorum tuorum fonte[1]. » Sic enim prius appellabimur filii puteos effodientium, Abrahæ, et Isaac, et Jacob. Lacus autem faciendus non est, ne in fossam incidamus ita, ut hîc dicitur, neve audiamus ea quæ in Jeremia in peccatorum probrum et dedecus scripta sunt, Deo de ipsis dicente quod paulo ante retulimus : » Me fontem aquæ vivæ dereliquerunt, et foderunt » sibi lacus contritos, qui non poterunt » ipsis « conti- » nere aquam[2]. »

[1] Prov. v, 15. — [2] Jerem. II, 13.

HOMILIA III.

In partem psalmi decimi quarti, et contra feneratores.

I. Heri cum de psalmo decimo quarto sermonem apud vos haberemus[1], finem orationis non licuit nobis per tempus attingere. Nunc autem adsumus probi debitores, debita quæ supersunt, vobis persoluturi. Quod autem restat, auditu quidem breve est, ut videtur : et fortassis multos vestrum latuit ; adeo ut ne relictum quidem fuisse quidquam de eo psalmo putarint. Attamen cum intelligeremus brevem hanc dictionem ad res vitæ multum valere, emolumentum quod ex inquisitione et explanatione accessurum est, non duximus negligendum. Propheta enim his verbis perfectum virum, qui ad immutabilem vitam ascensurus erat, describens, inter præclara ejus facinora illud numeravit, quod pecuniam suam non dedit fenori. Hoc peccatum in plurimis Scripturæ locis vituperatur. Nam Ezechiel id in maximis malis recenset, si fenus, et quidpiam ultra sortem accipiatur[2]. Quin et lex illud luculenter prohibet. « Non fenerabis fratri tuo, et » proximo tuo[3]. « Et rursus ait : « Dolus super dolum, » et usura super usuram[4]. » Et de civitate quæ bonis in malorum multitudine afflueret, quid psalmus dicit? « Non defecit de plateis ejus usura, et dolus[5]. » Et

[1] Vide D. Guillon tom. VII, 160-169. — [2] Ezech. XXII, 12. — [3] Deut. XXIII, 19. — [4] Jerem. IX, 6. — [5] Psal. LIV, 12.

nunc Propheta idipsum tanquam humanæ perfectionis caracterem ac signum usurpavit, dicens : « Pecuniam « suam non dedit ad usuram[1]. » Nam reipsa perquam maxima est inhumanitas, illum quidem qui necessariorum indiget, mutuum ad vitæ subsidium quærere, hunc vero sorte contentum non esse, sed sibi ex pauperis calamitatibus proventus excogitare, opesque colligere. Sane Dominus ipse nobis palam præcepit, dicens : » Et volenti mutuari a te, ne avertaris[2]. » Avarus autem cum hominem videt præ necessitate genibus provolutum ac supplicem, ecquid non facientem quod abjectum sit ac humile? quid non loquentem? ejus qui præter meritum adversa fortuna utitur, nequaquam miseretur, nullo loco habet naturam, non precibus movetur, sed inflexibilis stat, et implacabilis : non cedit deprecationibus, lacrymis non frangitur, perseveranter negat. Jurat, ac sibi male precans, affirmat carere se pecunia omnino, seseque circumspicere num quem ipse quoque feneratorem inveniat, ac fidem faciens mendacio per juramenta, perjurium ceu malum quemdam et adventitium inhumanitatis quæstum acquirit. Sed ubi qui mutuum quærit, meminit fenoris, et nomen pignoris protulit, tunc demisso supercilio subridet, atque paternæ amicitiæ refricat memoriam, ac familiarem et amicum appellat. Et videbimus, inquit, sicubi quidquam recondatur argenti apud nos. Depositum utique vir amicus nobis quæstus ergo concredidit. Verum ille graves usuras mutuæ pecuniæ exigit : sed nos profecto aliquid remittemus, et minori daturi sumus fenore. Talia confingens, verbisque ejusmodi blanditus misero ac lenocinatus ubi illum syngraphis obstrinxit, atque, præter urgentem inopiam, libertatem

[1] Psal. XIV, 5. — [2] Matth. V, 42.

etiam viro abstulit, abit. Etenim cum fenori, cui solvendo non est, obnoxium se præstitit, voluntariam, quoad vivet, recepit servitutem. Pecunias, dic mihi, et quæstum exquiris ab inope? Sed si ille te reddere potuisset ditiorem, quid ad tuas januas quæsivisset? Venit subsidium inventurus : sed hostem reperit. Remedium dum requireret, in venenum incidit. Officium tuum fuerat viri sublevare inopiam : at tu illius adauges egestatem, hominis destituti facultates quærens exhaurire : veluti si quis medicus ægrotos invisens, cum eis deberet restituere sanitatem, e contrario eis vel exiguas virium reliquias adimeret. Sic et tu miserorum calamitates quæstus occasionem facis. Et sicut coloni ad seminum multiplicationem imbres exoptant : ita et tu egestatem et inopiam hominum optas, tibi ut quæstuosæ sint pecuniæ. An ignoras facere te accessionem majorem peccatis, quam opum est incrementum de fenore expectatum? Et quidem argentum in fenus qui quærit, consilii inops hæret medius. Etenim cum respicit ad paupertatem, de solutione desperat : cum vero præsentem considerat egestatem, fenore pecuniam sumit. Deinde altero victo, ac necessitati cedente, alterabit, schedulis cautionibusque communitus.

II. Contra, argentum qui accepit, primum quidem splendidus, ac hilaris est, et alieno flore oblectatus, mutatione vitæ inclarescit. Lauta enim mensa est, vestis pretiosior, famuli splendidiore habitu induti, adulatores, compotores, fuci domorum innumeri. Sed cum sensim diffluunt pecuniæ, tempusque progrediens secum fenus advehit, tum ei requiem non afferunt noctes, non dies hilaris est, non sol jucundus, sed eum vitæ tædet. Dies ad constitutum tempus festinantes habet odio, extimescit menses tanquam fenoris parentes. Quod si

dormiat, videt feneratorem in somnis, quod malum somnium est, capiti astantem : si vero vigilet, cogitat ac sollicitus est de fenore. « Dum fenerator, » inquit, « et debi- » tor inter se conveniunt, visitationem utriusque facit » Dominus[1]. » Ille quidem quasi canis in prædam irruit : hic vero sicut parata captura occursum exhorret. Adimit enim ei loquendi fiduciam paupertas. Utrisque inest calculus in digitis, illo fenoris accessione gaudente, hoc miseriarum incremento ingemente. « Bibe aquas de tuis » vasis[2], » hoc est, proprias considera facultates, ad alienos fontes ne accede, sed ex propriis laticibus tibi ipse vitæ solatia compara. Habes vasa ærea, vestem, jumentum, diversi generis supellectilem? hæc vende : præter libertatem, amitti omnia patiare. Sed me pudet, inquit, isthæc voci præconis subjicere. Cur igitur paulo post alius ea exponet, tuorumque bonorum faciet auctionem, et vili pretio ob oculos tuos vendet? Ne gradiare ad fores alienas[3]. Plane enim angustus est alienus puteus. Satius est, arte et industria paulatim necessitatem levare, quam alienis facultatibus subito elatum, deinceps omnibus simul bonis privari. Si igitur habes unde solvas, cur præsentem egestatem hisce auxiliis non depellis? Sin solvendo non es, malum malo curas. Feneratorem qui te obsessurus sit, ne admitte. Te velut aliam aliquam prædam exquiri ac vestigari ne sinas. Usura mendacii principium est, occasio ingrati animi, perfidiæque et perjurii. Alia sunt verba argentum fenore sumentis : alia, cum fenus ab ipso exigitur. Utinam tunc tibi non occurrissem, utique jam subsidia quædam ad amovendam necessitatem invenissem. Nonne mihi invito pecuniam in manus dedisti? Porro aurum tuum erat subæratum, et numisma adulterinum. Sive

[1] Prov. xxix, 13. — [2] Ibid. v, 15. — [3] Ibid. xxiii, 27.

igitur fenerator sit amicus, ne ejus amittas amicitiam : sive inimicus, ne fias adversario ac malevolo subditus. Parumper in alienis gloriatus, postea patrimonio etiam everteris. Pauper es nunc, sed liber. Argentum si fenore sumpseris, non ditesces, sed libertate spoliabere. Qui pecuniam sumpsit fenore, feneratoris servus est, imo servus stipendiarius, qui inevitabile servitium subit. Canes accipiendo mansuescunt, fenerator vero recipiendo irritatur. Non enim allatrare desinit, sed plura exposcit. Si juraveris, non credit. Quæ in ædibus habes, perscrutatur : tua diligenter indagat commercia. E cubiculo si progrederis, trahit te ad se, et adducit ; si intus te absconderis, ante domum stat, et fores pulsat. Præsente uxore, afficit te pudore, coram amicis imponit contumeliam : in foro fauces constringit : malus festi diei occursus : vitam tibi reddit injucundam et intolerabilem. At magna, inquit, est necessitas, nec alia est parandæ pecuniæ ratio. Quæ, quæso, utilitas ex hodierna dilatione? Rursus enim veniet ad te paupertas tanquam bonus cursor, et eadem necessitas cum auctuario aderit[1]. Fenus enim non omnino liberat, sed consilii et mentis inopiam tantisper tardat. Patiamur hodie duritiem paupertatis, et ne eam in posterum diem protrahamus. Etenim si argentum fenore non sumis; hodie et postea simili modo eris pauper : si vero sumis, fenore paupertatem augente, acerbius vexabere. Nunc quidem nullus tibi vertit probro paupertatem, siquidem malum est haud voluntarium : si vero fenori fueris obnoxius, nemo erit qui te stultitiæ non condemnet.

III. Itaque ne nostra stultitia malis præter voluntatem contingentibus etiam malum voluntarium accer-

[1] Prov. XXIV, 34.

samus. Stulti est animi, se pro opum ratione non componere, sed incertæ spei se committere, ac manifestum et evidens detrimentum experiri. Jam perpende unde sis soluturus. Num ex iis pecuniis quas accipis? sed hæ et ad necessitatem cohibendam et ad solutionem non sufficiunt. Quod si usuras etiam reputaveris; unde usque adeo multiplicabuntur pecuniæ, ut ex una parte necessitati tuæ medeantur, ex altera vero sortem expleant, prætereaque forinsecus usuras gignant? At nequaquam ex iis quæ accipis, mutuum reddes. An aliunde? Illas igitur expectemus spes, nec tanquam pisces ad illicium properemus. Quemadmodum enim illi una cum esca hamum vorant : sic nos per pecuniam fenore transfigimur. Paupertas ignominiam nullam affert. Quid ergo nobis ipsis opprobria ex ære alieno paramus? Vulnera vulnere curat nemo, neque malum malo sanat; nec fenore sublevatur paupertas. Dives es? Argentum ne des fenore. Pauper es? Ne sume fenore argentum. Etenim si locuples es, nihil tibi fenore opus est : si vero nihil habes, non pendes usuras. Noli tuam ipsius vitam seræ pœnitentiæ objicere, nequando dies qui fenus præcesserunt, beatos existimes. Hoc uno divitibus pauperes nos præstamus, curarum vacuitate. Illos tum vigilantes, tum curis semper distentòs ac sollicitos deridemus nos, qui dormimus, quique sollicitudine caremus, ac liberi sumus. Debitor utique et pauper est, et curis multis conficitur : noctes ac dies ducit insomnes, omni tempore cogitatione defixus. Nunc quidem æstimat res suas, nunc vero domos sumptuosas, divitum agros, quorumlibet in conspectum venientium vestes, vasa et supellectilem eorum a quibus convivio excipitur. Hæc si mea essent, inquit, tanti et tanti divenderem, atque liberarer fenore. Isthæc et noctu

cordi ejus insident, et interdiu illius occupant mentem. Januam si pulsaveris, irrepit sub lectum debitor. Velociter accurrit quis, et illius cor palpitat. Canis latrat? Ille sudore diffluit, et anxietate corripitur; quaque via fugiat, conspicit. Ubi dies præscriptus instat, anxie secum reputat quodnam dicturus sit mendacium, et quo conficto prætextu depulsurus a se sit creditorem. Non autem cogita solum te accipere, sed fore, ut etiam id quod acceperis, a te exigatur. Quid te ipse bestiæ fecundissimæ adjungis? Lepores aiunt simul et parere, et nutrire, et superfœtare : sic pecuniæ feneratoribus simul et dantur ad pendendas usuras, et gignuntur, et pullulant. Nondum enim in manus accepisti, et tamen præsentis mensis lucrum quæstumve a te exposcunt. Et hæc pecunia rursus fenore occupata, malum alterum aluit, et illud alterum, atque sic malum in infinitum. Quamobrem hoc avaritiæ genus eo nomine appellatur. Etenim, opinor, τόκος, id est, partus, ob ingentem mali fœcunditatem nominatur. Unde enim aliunde? Aut forte τόκος, hoc est, partus, dicitur ob dolores ac molestias, quas animis eorum qui fenore acceperunt, solet creare. Ut enim puerperium parituræ, ita dies indicta debitori instat. Fenus fenori additum, parentum malorum mala est soboles. Hi isti usurarum fœtus dicantur esse progenies viperarum. Aiunt viperas, dum gignuntur, ventrem matris corrodere : fenus quoque, erosis ac consumptis debitorum ædibus, nascitur. Semina temporis progressu germinant, et animalia tempore præstituto fœtus edunt suos : usura vero hodie generatur, et hodie parere incipit. Quæ animalia cito pariunt, ea a partu cito desistunt : at pecuniæ celerem usurarum originem consecutæ, infinitam accessionem magis ac magis crescentem suscipiant. Quid-

quid crescit, ubi ad propriam magnitudinem pervenerit, desinit augeri : avarorum vero argentum omni tempore augescit. Animalia ubi suæ soboli vim impertiverunt pariendi, supersedent prægnatione : at feneratorum pecuniæ et adnascentes pariunt, et veteres renovantur. Ne tu portentosæ hujus bestiæ periculum feceris.

IV. Libere vides solem. Quid tibi ipse libertatem vitæ invides? Pugil nullus æque adversarii plagas subterfugit, ac debitor creditoris occursum, occultato pone columnas ac muros capite. At, inquis, quomodo nutriar? manus habes, habes artem, loca operam tuam lucri gratia, ministra : multa sunt parandi victus consilia, occasiones multæ. Idne facere non potes? Pete a possidentibus. An turpe est postulare? Turpius utique fuerit creditorem datis fenori pecuniis defraudare. Non hæc dico profecto, legem ut feram, sed ut ostendam omnia tibi tolerabiliora esse, quam argentum fenore sumere. Formica etsi neque mendicat, neque nummos fenore accipit, potest tamen nutriri : apis itidem regibus largitur alimenti sui reliquias : quibus tamen nec manus, nec artes concessit natura. Tu vero industrium animal homo, inter artes omnes unam ad transigendam vitam non reperies? Quanquam videmus non necessariorum indigos ad fenus confugere : neque enim sunt qui eis credant : at fenore sumunt pecuniam homines, qui se in laxiores impensas et in luxum inutilem effundunt, ii videlicet qui se muliebribus voluptatibus mancipant. Indigeo, inquit illa, vestitu sumptuoso, et aureis vasis; egent filii decenti et sibi convenienti vestimentorum ornamento : quin etiam famuli floridis et vario colore distinctis vestibus sunt induendi : lauta mensa extruenda est. Qui talia mulieri ministrat, ad trapezitam venit, et priusquam accepta

utatur pecunia, alium ex alio dominum mutat, atque feneratores alios aliis semper adjungens, continua illa successione egestatem tegit. Et quemadmodum hydropici suspecti sunt de plurima obesitate : sic et iste videtur esse dives, semper accipiens, et semper dans, et ex posterioribus priora dissolvens, atque jugi mali successione requisitam ad accipiendum fidem sibi ipse comparans. Deinde sicut ii qui cholera laborant, id semper quod ante sumptum est ejiciunt, et quemadmodum si ante integram purgationem cibum alterum capiunt, hunc rursus cum dolore, et cum nervorum convulsione evomunt : ita et hi fenus fenore commutantes, et antequam priores usuræ purgentur, alteram adjicientes, parumper in alienis gloriati, tum demum rei etiam familiaris jacturam lugent. O quot homines perdiderunt aliena bona! Quot in somnis ditati, in ærumnas et calamitates maximas inciderunt. Atqui, inquis, multi etiam fenore facti sunt divites : at vero plures, arbitror, ad laqueos pervenerunt. Tu porro ditatos quidem respicis, strangulatos vero non numeras, qui vadimoniorum dedecus minime ferentes, sibi mortem maluerunt laqueo asciscere, quam probrose vivere. Vidi ego miserabile spectaculum, ingenuos pueros, qui, ut venderentur, in forum ob patris debita pertrahebantur. Non habes pecuniam quam relinquas filiis? Cave ingenuitatem eis auferas. Unam hanc ipsis conserva libertatis possessionem, depositum illud, quod a parentibus accepisti. Nemini unquam patris paupertas data est crimini : ad paternum debitum in carcerem ducit. Ne relinquas syngrapham ceu paternam execrationem in filios ac nepotes descendentem.

V. Audite divites quale pauperibus demus consilium ob vestram inhumanitatem, nempe, ut gravissima

quæque constanter ferant potius, quam calamitates ex fenore provenientes perpetiantur. Morem si Domino gereretis, quid his verbis esset opus? Quodnam autem Domini consilium est? Mutuum date iis, a quibus non speratis recepturos vos esse. Et quale, inquit, hoc mutuum, cui redditionis spes conjuncta non est[1]? Intellige sententiæ vim, et legislatoris mirabere humanitatem. Ubi pauperi Domini gratia dederis, idem et donum est et fenus. Donum quidem, quod recepturum te nihil esse speras : fenus vero, ob Domini pro inope persoluturi munificentiam, qui, paucis per pauperem acceptis, magna eorum loco redditurus est. « Qui enim miseretur » pauperis, fenerat Deo[2]. » Non vis universorum Dominum obnoxium tibi ipsi habere ad persolvendum? Si quis in civitate dives spondeat se tibi pro aliis soluturum, nonne fidejussionem illius accipis? At Deum ceu sponsorem qui pro pauperibus soluturus sit, non admittis. Inutile tibi argentum da, non gravans illud accessionibus; et bene utrique consultum fuerit. Tibi enim certo servabitur : ei vero qui acceperit, lucrum ex usu accedet. Quod si additamentum etiam requiris; iis quæ pendenda sunt a Domino, contentus esto. Ipse persolvet pro pauperibus usuras. Ab eo qui vere benignus est, benignitatem expecta. Quæ enim accipis a paupere, ea omnem inhumanitatis modum superant. Facis quæstum ex calamitatibus, ex lacrymis colligis argentum, nudum strangulas, verberas famelicum : nusquam misericordia : cognationis ejus quæ cum divexato habetur, cogitatio nulla animum subit : imo quæ inde proveniunt lucra humana appellas[1]. Væ, qui dicunt amarum dulce, et dulce amarum, quique inhumanitatem humanitatem vocant. Neque vero proposita a Samsone combibonibus ænigmata, erant ejus-

[1] Luc. VI, 34. — [2] Prov. XIX, 17. — [3] Esai. V, 20.

modi. « A comedente exivit cibus, et a forti exiit dulce[1]. » et ab inhumano humanitas prodiit. « Non colligunt » de spinis uvas, neque de tribulis ficus[2], » neque a fenore benignitatem. Omnis enim arbor marcida fructus malos facit. Quidam sunt *centesimatores* et *decimatores* : nomina vel auditu horrenda. Menstrui illi repetitores, velut hi dæmones qui comitialis morbi auctores sunt, ad lunæ periodos in pauperes invadunt. Quod datur, id utrique male cedit, et danti, et accipienti : huic quidem in pecunias, illi vero in ipsam animam damnum infert. Agricola, spica accepta, semen rursus sub radice non scrutatur : tu vero et fructus habes, et sortem non relinquis. Plantas sine terra, sine satione metis. Cui congeras, incertum est. Qui ob usuras lacrymatur, certo agnoscitur : qui vero earum copia fruiturus est, non certo. Nam incertum est utrum non sis aliis divitiarum usum relicturus, et tamen tibi ipse malum iniquitate ascivisti. Neque igitur « volentem mutuum accipere, averseris[3], » neque pecuniam tuam fenore occupaveris. Ex veteri et ex novo Testamento conducibilia edoctus, bona cum spe ad Dominum abeas, bonorum operum usuras illic recepturus : in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Judic. xiv, 14. — [2] Matth. vii, 16. — [3] Ibid v, 42.

HOMILIA IV.

IN PSALMUM XXVIII.

Psalmus David in exitu a tabernaculo.

I. Psalmus vicesimus octavus habet quidem partem inscriptionis communem [1]. « Psalmus » enim, inquit, « Davidi : » habet vero et aliquid proprium. Nam additur, « in exitu a tabernaculo. » Quid autem hoc est? Consideremus quis sit ille exitus, et quodnam sit illud tabernaculum, ut psalmi intelligentiam assequi valeamus. Quod igitur pertinet ad historiam; id præcepti videbitur sacerdotibus et levitis opus negligenter facientibus datum esse, ut eorum quæ a se ad ministerium præparari debent, reminiscantur. Exeuntibus enim e tabernaculo, Scriptura mox declarat, quæ ipsos parasse par sit, et quæ oporteat habere, ut ad sequentem diem conveniant, nimirum filios arietum, gloriam, honorem, et gloriam nomini ejus. Item, nusquam alibi nisi in aula Domini et sanctitatis loco cultum exhiberi debere. Quod vero ad vim intelligendi nostram spectat, sublimia contemplantem, atque magnifica quadam ac divinæ Scripturæ convenienti intelligentia legem nobis familiarem reddentem, illa nobis occurrunt, ut neque aries mas inter oves accipiatur, neque tabernaculum ædificium ex hac inanimata materia compactum, neque

[1] Vide D. Guillon tom. VII, 170-172.

exitus a tabernaculo discessus a templo : sed hoc nostrum corpus tabernaculum nobis est : ut nos docuit Apostolus, dicens : « Qui sumus in hoc tabernaculo inge» miscimus [1]. » Et iterum Psalmus : « Et flagellum non » appropinquabit tabernaculo tuo [2]. » Exitus autem a tabernaculo, discessus ab hac vita est, ad quem hæ voces nos præparari jubent ita, ut et hæc, et illa Domino afferamus : siquidem quæ nunc aguntur, viaticum ad futuram vitam sunt. Et qui híc gloriam et honorem Domino per bona opera affert, is sibi gloriam et honorem ex justa judicis remuneratione congerit. In multis autem exemplaribus additum reperimus illud : « Afferte Domino » filii Dei. » Et quoniam non cujusvis donum Deo acceptum est, sed ejus, qui illud corde puro affert : « Non » enim, » inquit, « pura vota de mercede meritricis [3]. » Et rursus Jeremias : « Numquid vota, » inquit, « et » carnes sanctæ auferent malitias tuas, aut propter ista » purus eris [4]? » Ideo psalmus vult nos prius filios Dei esse : deinde tandem ad afferenda Deo dona accedere, nec quælibet, sed quæ ipse præscripserit. Prius dic, Pater, deinde pete quæ sequuntur. Expende autem te ipsum, ex quali vita accedas, an dignus sis qui sanctum Deum, patrem tuum appelles. Est nobis cum sancto per sanctimoniam necessitudo, familiaritasque. Si vis semper filius sancti esse, sanctitas te sibi pro filio adoptet. Afferte itaque Domino non quilibet, neque ex quibuslibet prognati, sed filii Dei. Quæsiturus est dona magna, ideo magnos viros eligit qui offerant. Etenim ne tuas cogitationes humi dejiciat, neve in causa sit, cur arietem brutum illud quadrupes et balans animal inquiras, tanquam hac ista victima sperares Deum placatum iri : « Afferte, » inquit, « Domino filii Dei. » Neque enim

[1] 2 Cor. v, 4. — [2] Psal. xc, 10. — [3] Prov. xix, 13. — [4] Jerem. xi, 15.

opus jam filio, ut filium ipsum offeras. Sed si filius est quidpiam magnum; etiam id quod offertur, quidpiam magnum; et filii charitate ac paterna dignitate dignum esse operæ pretium est. « Afferte igitur, » inquit, « filios » arietum, » ut ii etiam qui a vobis offeruntur, ex filiis arietum in filios Dei transmutentur [1].

II. Aries animal est principatum tenens, quod oves antecedit ad pascua pabula, et ad aquarum levamen, rursusque ad stabulum et ad caulas. Tales etiam sunt quidam gregis Christi præfecti, qui illum ad florida et odorifera doctrinæ spiritualis pabula deducunt, ac Spiritu sancto largiente, aqua viva irrigant, et erigunt, et ad fructum producendum enutriunt; conducuntque ad requiem, ac eum ab insidiatoribus efficiunt securum. Horum igitur filios a Dei filiis ad Dominum adduci vult. Quod si arietes duces sunt aliorum, horum utique filii fuerint, qui per bonorum operum studium ex præfectorum doctrina ad vitam virtute ornatam formati sunt. « Afferte » igitur « Domino filii Dei. Afferte Domino » filios arietum. » Didicisti ad quem sermo habeatur? Didicisti de quibus? « Afferte Domino, » inquit, « glo» riam et honorem. » Quomodo igitur nos qui terra sumus et cinis, Domino magno gloriam afferimus? quomodo et honorem? Gloriam quidem per bona opera, cum luxerint opera nostra coram hominibus, adeo ut homines operibus nostris conspectis Patrem nostrum qui in cœlis est afficiant gloria [2]. Item per temperantiam ac per sanctimoniam iis qui pietatem profitentur convenientem potest quis Deo gloriam dare, juxta Pauli admonitionem, dicentis : « Glorificate Deum in membris » vestris [3]. » Hanc etiam gloriam Dominus requirit ab iis, qui in ipsum credunt, et adoptionis munere dignati

[1] Matth. v, 16. — [2] Ibid. — [3] 1 Cor. vi, 20.

sunt. « Filius enim, » inquit, « glorificat patrem. » Et, « Si pater ego sum; ubi est gloria mea[1]? » Honorem vero affert Deo is, qui secundum Proverbium ex justis suis laboribus Deum honorat[2], ac ei de justitiæ suæ fructibus dat primitias. Et quisquis de rebus divinis ordinate sciteque disserit, adeo ut semper recte sentiat de Patre, de unigeniti divinitate, deque Spiritus sancti gloria, Domino defert gloriam et honorem. Gloriam autem auget, qui rationem reddere potest qua creata sint omnia, quaque conserventur, providentia ipsius ad minima usque pertingente, et qua post temporariam administrationem in judicium adducantur. Qui claris inconfusisque cogitationibus potest et ipse singula speculari, et posteaquam ipse speculatus fuerit, etiam aliis arcana bonitatis Dei ac justi judicii ipsius patefacere potest, hic ille est, qui Domino affert gloriam et honorem, itemque, qui congruenter ejusmodi contemplationi vivit. Nam viri ejusmodi lux elucescit coram hominibus, siquidem Pater qui in cœlis est, et verbo et opere, et per præclara omnis generis facinora glorificatur. Non autem Domino gloriam et honorem affert, qui impotenti humanæ gloriæ desiderio flagrat : non qui argentum habet in pretio, non qui corporis voluptates plurimi facit, neque qui aliena a pietate dogmata admiratur. Quemadmodum enim per bona opera Domino afferimus gloriam : ita per mala opera accidit contrarium. Quid enim dicit peccantibus? « Nomen meum per vos blasphematur inter gentes[3]. » Et rursus Apostolus : « Per prævaricationem legis Deum » inhonoras[4]. » Nam despectio legum atque contemptus contumelia est legislatori. Quinetiam si domus male gubernatur, in qua videlicet est ira, clamor, contumelia, risus, luxus, lascivia, impuritas et petulantia, eorum

[1] Mal. I, 9. — [3] Prov. III, 9. — [2] Rom. II, 24. — [4] Rom. II, 23.

quæ fiunt ignominia et turpitudo in eum qui domum occupat, recidunt. Consequens autem fuerit ut intelligamus nos, quod quemadmodum ex bonis operibus honoratur Deus, ita ex malis inimicus honoretur [1]. Cum enim, membris Christi ablatis, fecero meretricis membra, gloriam ab eo qui me servat, ad eum qui me perdit, transtuli [2]. Et qui infidelis est, gloriam incorruptibilis Dei in imaginem corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum et serpentium in terra degentium transmutat. Et quisquis colit et veneratur creaturam præterito creatore, non Deo, sed creaturis affert gloriam. Itaque qui creaturam aliquid esse ait, deinde adorat, is noscat suam partem, cum qua ordinabitur. Timeamus igitur ne gloriam et exultationem diabolo per nostrum peccatum afferentes, una cum ipso ignominiæ æternæ addicamur. Quod enim peccatum nostrum in gloriam cedat ejus, qui illius in nobis auctor est, id ex similitudine intellige. Adorientibus se invicem ducibus duobus, cum hoc agmen vincit, imperator ipsius refert gloriam : cum agmen contrarium superat, rursus honor ad illius ducem transfertur. Similiter ut Dominus est qui in bonis tuis operibus gloria afficitur : ita in contrariis operibus inimicus. Et ne, quæso, existimes hostes longe a te esse dissitos, neve duces procul specta : sed te ipse inspice, et omnem similitudinis veritatem invenies. Nam cum ratio cum cupiditate luctatur, si per contentionem et attentionem vicerit, de cupiditate victoriam refert, et Deum per se velut coronat : cum vero emollita succumbit, voluptati peccatorum effecta serva, captivaque, gloriam, jactationemque et superbiæ materiam adversario congerit.

III. « Adorate Dominum in aula sancta ejus [3]. » Post oblationem earum quæ petitæ fuerunt, necessaria est ado-

[1] 1 Cor. vi, 15. — [2] Rom. i, 23. — [3] Psal. xxviii. 2.

ratio. Adoratio autem, non ea quæ fit extra Ecclesiam, sed quæ in ipsa Dei aula perficitur. Ne mihi, inquit, privatas aulas aut ecclesias excogitetis. Una est aula sancta Dei. Synagoga Judæorum prius aula erat : sed post admissum in Christum peccatum facta est « habitatio eorum deserta [1]. » Quapropter et Dominus : « Et alias oves habeo » quæ non sunt ex hoc ovili [2]. » Cum autem loquatur de iis qui ex gentibus ad salutem præordinati sunt, aulam propriam præter Judæorum aulam ostendit. Non igitur extra sanctam hanc aulam adorare oportet, sed intra ipsam ; ne quis extra ipsam constitutus, aut ab iis qui extra illam sunt, attractus, in aula Domini esse desinat. Intersunt enim multi in habitu quidem precationis, nec sunt tamen in aula ob mentis evagationem, et animi eorum aberrationem, ex vanis ac inutilibus curis nascentem. Quinetiam aula sensu adhuc sublimiori potest cœlestis habitatio intelligi. Quapropter qui hic plantati sunt in domo Domini, quæ est Ecclesia Dei viventis, illic « in atriis Dei nostri florebunt [3]. » Qui autem ventrem, aut gloriam, aut argentum, aut quidvis aliud quod reliquis omnibus pluris æstimat, Deum fecerit, is neque adorat Dominum, neque in aula sancta est, etiamsi videatur esse dignus, qui ad sensibiles conventus admittatur. « Vox Domini super aquas[4]. » Nomen vocis invenias multis in locis usurpatum. Itaque ut intelligamus quæ sit vox Domini ; operæ pretium fuerit, ea quæ de voce scripta sunt, pro viribus ex sacra Scriptura colligere, velut in illo quod Abrahamo datum est oraculo. « Et statim vox facta est, dicens [5] : Non hæreditabit te » iste. » Item in Moyse : « Et omnis populus videbat » vocem et lampades [6]. » Et apud Esaiam rursus : « Vox

[1] Psal. xxviii, 2. — [2] Joan. x, 26. — [3] Psal. xci, 14. — [4] Ibid. xxviii, 3. — [5] Gen. xv, 4. — [6] Exod. xx, 12.

» dicentis, Clama [1]. » Vox quidem est apud nos aut aër percussus, aut species quædam in aëre impressa, quam qui pronuntiat, exprimere vult. Quid igitur est vox Domini? percussio ne in aëre intelligi debet, an aër percussus, ad aures usque perveniens ejus, ad quem fit vox? Utrum neutrum horum, sed alterius generis hæc vox est, quæ in mente horumce hominum quos vult Deus suam vocem audire, recipiatur, consigneturque, ita ut hæc phantasia cum ea quæ sæpius in somnis fit, habeat cognationem atque convenientiam. Quemadmodum enim, aëre non percusso, quamdam verborum et sonorum memoriam in phantasiis per somnum accipimus, quanquam vox per auditum non recipitur, sed in ipso corde nostro imprimitur, etiam ejusmodi vocem in prophetis a Deo productam fuisse credere par est. « Vox Domini super » aquas. » Quod quidem ad sensibile attinet; quoniam nubes simul ut aquis confertæ sunt, sonum strepitumque, dum inter se colliduntur, edunt, ideo, ait : « Vox » Domini super aquas. » Sed et sicubi fiat strepitus aquarum ob renitentem aliquem obicem diruptarum, et si mare ventis agitatum exæstuet, et violentum edat sonum, hæ res inanimatæ a Domino habent vocem : quippe ostendit Scriptura, omnes res creatas opificem suum annuntiantes tantum non clamare. Quod si tonitru ex nubibus obstrepit, nihil aliud putandum est, nisi quod Deus majestatis intonuerit, et quod Dominus sit, qui per se ipsum humidam contineat naturam. « Dominus » super aquas multas. » Agnovimus enim in mundi procreatione aquam super cœlos, aquam rursus abyssi, item aliam aquam, nempe congregationes maris. Quis igitur est qui hæc contineat, nec ea sinat naturali pondere deorsum ferri, nisi Dominus, qui nihil non pertingit,

[1] Esai. XL, 6.

quique aquarum habet imperium? Forsan vero et magis mystice vox Domini super aquas erat, cum baptizato Jesu facta est superne vox : « Hic est filius meus dilec- » tus [1]. » Tunc enim Dominus super multas aquas erat : quippe qui per baptismum aquis conferret sanctitatem. Deus autem gloriæ, alta testimonii sui voce desuper intonuit, atque etiam relicta a Domino vox super baptizandis pronuntiatur : « Euntes enim, » inquit, « bapti- » zate in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti [2]. » Vox igitur Domini super aquas. » Fit autem tonitru, quando spiritus siccus et violentus, in nubis concavo inclusus, ac vehementi impetu per nubium cava circumvolutus, exire et foras erumpere quærit. Nubes igitur præ ingenti compressione obnitentes, ob hanc spiritus collisionem asperum illum fragorem efficiunt. Postquam vero nubes illæ spiritu in modum bullarum distentæ amplius resistere, et sustinere nequeunt, violenter confractæ, spiritumque ad externam respirationem propellentes, strepitus tonitruum producunt. Hoc autem solet fulgur etiam efficere. Dominus igitur est, qui et super aquas constitutus, et ingentem tonitrui fragorem excitans, sonum longe maximum in molli aëris natura conficit. Cæterum traditionem quæ post baptismum per magnam evangelii vocem fit in animis eorum qui jam perficiuntur, potes etiam juxta ecclesiasticum sermonem tonitru appellare. Quod enim evangelium tonitru sit, discipuli ipsi qui mutato nomine filii tonitrui a Domino appellati sunt, ostendunt. Quamobrem vox tonitrui hujusmodi non est in quolibet; sed si quis fuerit dignus qui rota nominetur. « Vox enim, » inquit, « tonitrui tui in rota [3]. » Si quis fuerit qui se ad anteriora extendat, veluti rota, modica sui parte terram attingens, et omnino talis, qualis erat ea,

[1] Matth. III, 17. — [2] Ibid. XXVIII, 19. — [3] Psal. LXXVI, 19.

de qua loquebatur Ezechiel. « Et vidi, et ecce rota una » in terra, juncta quatuor animalibus, et species eorum, » et factura eorum quasi species Tharsis [1]. »

IV. « Deus » ergo « majestatis intonuit, Dominus » super aquas multas. » Aquæ sunt et ipsi sancti, ob idque de ventre eorum fluunt flumina, hoc est, spiritualis doctrina, quæ audientium animas irrigat[2]. Et rursus, accipiunt aquam salientem in vitam æternam[3], quæ in iis qui eam rite acceperint, efficitur fons aquæ salientis in vitam æternam. Itaque super tales aquas Dominus est. Memineris autem et historiæ Eliæ, quando annis tribus et mensibus sex clausum est cœlum, quando, occupante verticem Carmeli sudo, aquarum multarum vocem audivit. Mox factum est, ut et tonitru fieret, et aquæ fluerent e nubibus. « Dominus ergo super « aquas multas. Vox Domini in virtute. » Sicut in rota vox fit : sic in virtute vox Domini consistit. Qui enim omnia potest in eo qui ipsum corroborat Christo, is audit Domini mandata, et facit. Vox igitur Domini non in debili et dissoluta anima, sed in ea quæ strenue ac viriliter bonum perficit. « Vox Domini in magni» ficentia. » Magnificentia est virtus eleganter magna. Igitur res magnas qui decenter conficit, hic audit magnificus. Proinde cum anima a carnis affectibus fuerit libera, acceperitque magnitudinem ac dignitatem, quæ pro facultatum a Deo acceptarum cognitione sibi conveniat, tum in illa fit vox Domini. Quamobrem qui magnifice cogitant de Deo, et creationis rationes alte speculati sunt, et aliquantum saltem bonitatem providentiæ Dei assequi potuere, insuperque parci non sunt in faciendis sumptibus, et in sublevandis fratrum necessitatibus liberales sunt, hi inquam, sunt magnifici, in

[1] Ezech. I, 15. — [2] Joan. VII, 38. — [3] Ibid. IV, 14.

quibus vox Domini inhabitat. Etenim qui vere magnificus est, res omnes corporeas aspernatur, ac præ invisibilibus eas facit nihili. Adversitas nulla magnificum afficiet tristitia, nulla prorsus mala sunt illum perturbatura : neque improborum et despiciendorum homunculorum peccata eum commovebunt, neque ipsum deprimet carnis impuritas. Affectiones enim quæ demittunt, abjiciuntque, vix aditum ad illum inveniunt, cum ne aspicere quidem ipsum ob mentis altitudinem queant. Dicitur autem et quædam Dei magnificentia, ut in hoc loco : « Elevata est magnificentia » tua super cœlos[1]. » Qui igitur magna de Deo sentiunt, hi ipsius extollunt magnificentiam.

V. « Vox Domini confringentis cedros[2]. » Cedrus modo ut res stabilis, et putredinis expers, odorataque, et ad præbendum tegmen apta a Scriptura laudatur, modo ut infructuosa et ægre flexibilis vituperatur, adeo ut impii etiam imaginem ferat, impleatque. « Vidi enim » impium exaltatum, et elevatum sicut cedros Libani[3]. » Qua in significatione etiam nunc accepta est. Vox enim Domini confringit cedros. Ut enim hæc in magnifica anima fit : ita homines temere inflatos, qui seipsos efferunt, ob ea quæ in hoc mundo alta ac sublimia putantur, nempe ob divitias, aut gloriam, aut imperium, aut corporis pulchritudinem, aut potestatem, aut vires, dicitur confringere : « Et confringet Dominus » cedros Libani [4]. » Alienis rebus qui insident, et ex eis gloriam fastumque sibi conflant, ii sunt cedri Libani. Quemadmodum enim cedri per se altæ cum sint, tamen, propterea quod in alto monte nascuntur, fiunt ex montis accessione magis cons-

[1] Psal. VIII, 2. — [2] Ibid. XXVIII, 5. — [3] Ibid. XXXVI, 35. — [4] Ibid. XXVIII, 5.

picuæ : sic quoque qui fluxis mundi rebus fulciuntur, cedri quidem sunt ob arrogantiam ac mentis elationem, sed vocantur Libani cedri, quod aliena superbiant altitudine, et e terra rebusque terrestribus tanquam e Libani vertice ad fastum et superbiam extollantur. Non autem cedros omnes, sed Libani cedros confringit Dominus. Nam cum Libanus idololatriæ sit locus; quæcumque animæ se contra Dei cognitionem efferunt, hæ cedri Libani nuncupantur, et censentur dignæ quæ conterantur. Sunt autem quædam Dei cedri, quas arbusta vineæ quæ ex Ægypto translata est, operiunt, ut in psalmis didicimus : « Operuit montes umbra ejus, et « arbusta ejus cedros Dei[1]. » Proinde cum inter cæteras de Christo notiones Dominus noster vitis etiam dicatur : « Ego sum, » inquit, « vitis, vos palmites[2]; » cedri Dei sunt ii, qui antea quidem fuere steriles et ad comburendum apti : sed ubi tegumentum subierunt Christi, illumque velut induerunt, per ipsius gratiam sterilitatem suæ vitæ contegunt. Dei ergo cedros fructuosa arbusta circumplicata custodiunt : cedros vero Libani confringit Dominus. « Et comminuet eas tanquam vitulum, « Libanum[3]. » Vituli illius de quo mentio fit in Exodo, memineris, quem in idololatria effinxerunt, quemque comminutum Moses dedit populo potandum. Itaque totum Libanum et consuetudinem idololatriæ in eo invalescentem perinde ut illum vitulum exterminabit. « Et « dilectus sicut filius unicornium[4]. » Unigenitus Filius, qui mundo dat vitam, cum hostiam et oblationem pro peccatis nostris seipse Deo offert, et Dei agnus, et ovis nominatur : « Ecce enim, » inquit, « agnus Dei[5] : » Et rursus : « Tanquam ovis ad occisionem ductus est.[6] »

[1] Psal. LXXIX, 11. — [2] Joan. XV, 5. — [3] Exod. XXXII, 4. — [4] Ephes. V, 2. — [5] Joan. I, 29, — [6] Act. VIII, 32.

Cum vero potentatum genus hominum adorientem, illam videlicet efferatam et exasperatam potestatem ulcisci et evertere oportet, tum filius unicornium appellatur. Unicornis enim, ut in Job didicimus, est animal insuperabili virtute præditum, hominibus haud subjectum. » Non enim, » inquit, « ipsum loro alligabis, neque » dormiet in præsepi [1] (7). » Et multa in hac prophetiæ parte dicta sunt, ex quibus constat animal illud libertatis amans esse, neque obsequi hominibus. Observatum est autem Scripturam in utramque partem similitudine unicornis uti, modo cum laude, modo cum vituperatione « Erue enim, » inquit, « a framea animam meam, » et a cornibus unicornium humilitatem meam[2]. » Dicit hæc, insimulans deditum bello populum, tempore passionis in se insurgentem. Rursus vero : « Exaltabi- » tur, » inquit, « sicut unicornis, cornu meum[3]. » Videtur igitur propter insitum animali studium ulciscendi, sæpe in malam similitudinem accipi : contra, propter cornu altitudinem et libertatem in bonam similitudinem abduci. Et in summa, quoniam invenire est cornu a Scriptura sæpe pro gloria usurpatum [4] : verbi gratia, « exaltabit cornu populi sui : » et, « cornu ejus » exaltabitur in gloria [5] ; » aut etiam quia cornu pro virtute accipitur, ut est illud : « Protector meus, et » et cornu salutis meæ[6], » Christus autem Dei virtus est, ideo unicornis appellatus est, tanquam qui unum habeat cornu, id est, unam cum Patre communem potentiam.

VI. « Vox Domini intercidentis flammam ignis[7]. » Intercisa est quidem etiam ignis flamma Babylone, secundum trium puerorum historiam, quando caminus supra

[1] Job. xxxix, 10. — [2] Psal. xxi et xxii. — [3] Ibid. xci, 11. — [4] Ibid. cxlviii, 14. — [5] Psal. cxi, 9. — [6] Ibid. xvii, 3. — [7] Ibid. xxviii, 7.

cubitos quadraginta novem effusus est, ac circumstantes omnes ambussit[1] : e diverso, eadem Dei præcepto intercisa, in se ipsa auram recepit; respirationem jucundissimam, refrigerationemque pueris in tranquillo statu velut in aliqua arborum umbra constitutis suppeditans, exhibensque. « Facta est enim, » inquit, » sicut spiritus roris sibilaus[2]. » Et certe multo admirabilius est ignis naturam intercidi, quam mare rubrum in partes dividi. Attamen Domini vox ignem suapte natura continuum ac sibi cohærentem intercidit. Quanquam igitur ignis consiliis humanis insecabilis ac individuus videtur esse, nihilominus tamen Domini jussu interciditur ac dividitur. Ignem autem qui diabolo et angelis ejus in supplicium paratus est, voce Domini intercidi reor : ut cum duæ sint in igne facultates, quarum una comburit, altera illustrat, ignis quidem asperitas, ac torquendi proprietas iis qui adustione digni sunt servetur : illius vero splendor et claritas ad hilaritatem eorum qui lætam ac beatam vitam acturi sunt, destinetur. Vox igitur Domini intercidentis, ac dividentis flammam ignis, adeo ut supplicii quidem ignis obscurus sit, lux vero requietis, vi careat comburendi. « Vox Domini concutientis desertum[3]. » Concussio illa a Domino dispensatur deserto in loco beneficii, ut ipsum jam permutatum ex deserto fiat terra habitata, et deposito sterilitatis probro, multæ fecunditatis laudem accipiat. « Multi enim filii desertæ magis quam ejus quæ » habet virum[4] : » et id quod antea desertum erat, postea aquis spiritus confertum, in stagna aquarum fiat. « Et commovebit Dominus desertum Cades. » Itaque desertum omne non commovebit Dominus, sed desertum Cades, hoc est, sanctificationem. Cades enim est,

[1] Dan. III, 47. — [2] Ibid. III, 50. — [3] Psal. XXVIII, 8. — [4] Esai. LIV, 1.

si quis interpretetur, sanctificatio. « Vox Domini præ» parans cervos. » Quæ de præparatione cervorum per vocem Domini facta dicuntur, etiam eodem modo quo priora explicanda sunt. Quoniam igitur cervus ita a natura comparatus est, ut nullam a serpentibus accipiat noxam : imo vero ut aiunt ii qui hæc observavere, viperæ esus vim ejus purgandi habeat, et quoniam venenata omnia animalia cum malis et adversis virtutibus comparantur, cum Dominus dicat : « Dedi » vobis potestatem calcandi supra serpentes, et scor» piones, et super omnem virtutem inimici[1] : » et cum rursus psalmus Prophetæ promittat : « Super aspi» dem et basiliscum ambulabis[2], » necesse est ut cum nomen cervi in Scriptura audimus, sermonem ad meliorem similitudinem trahamus. Nam « Montes excelsi cer» vis[3]. » Item, « Desiderat cervus ad fontes aquarum[4] » Proinde cum et justus omnis in altissimis commoretur, « juxta scopum persequens ad bravium supernæ voca» tionis[5], » etiam ad poculentos fontes accurrit, theologiæ principia prima requirens. Trahit autem cervus oris sui respiratione venenata animalia latitantia, eaque vi spiritus sui e latibulis educit. Quemadmodum igitur sanctus aquila dicitur, quod sublimia petat, et plurimum a terra distet, et quemadmodum dicitur ovis ob mansuetudinem et rerum suarum communicationem, et aries ob imperium, et columba propter innocentiam : ita quoque dicitur cervus ob eam quam habet adversus prava repugnantiam. Ideo et Salomon ait : « Cervus amicitiæ, et pullus tuarum gratiarum confa» buletur tecum[6]. » Nos autem docet memoratos cervos ad theologiæ doctrinam esse idoneos.

[1] Luc, xc, 19. — [2] Psal. x, 13. — [3] Ibid. ciii, 18. — [4] Ibid. xli, 1. — [5] Philip. iii, 14. — [6] Prov. v, 19.

VII. « Vox Domini præparans cervos[1]. » Cum igitur quempiam Dei hominem perfectum et absolutum viderimus, utilitatem ex ejus congressu quæramus. Nam cervo præsente serpentium fugatur malitia omnis. Non enim hujus animalis odorem virulenta animantia perferunt, ut quæ vel ad cornuum cervinorum suffitum secedant. « Et revelabit condensa. » Primum vox Domini præparat cervos : deinde revelat condensa, loca videlicet consita, atque agresti ac infructuosa materia condensata; in quæ loca animalia venenata maxime recipere se solent. Quoniam igitur per præparationem a Domino factam jam absolutus cervus est, qui ei assimilatur justus revelat condensa, ut vitæ nostræ corruptores nudi et expediti objiciantur. Et quia lignum omne quod non facit fructum bonum, exciditur securi, et in ignem conjicitur[2], necessario condensæ silvæ, ipsæ videlicet animæ silvestres, in quibus variæ peccatorum affectiones velut quædam feræ latitant, ab eo sermone qui quovis gladio utrinque incidente penetrantior est, repurgantur. Sed cum multi homines vitæ curis aggravati, animas suas quasi spiniferam quamdam terram habeant, nec sinant eas ad ferendum divini sermonis fructum educari, « Revelat Dominus condensa, » hoc est, curarum in hac vita existentium deformitatem et fœditatem et incommodum : ut loco boni ac mali detecto, non perverse de rebus judicent homines præ inscitia. Multi enim bona, quando laboriosa et difficilia sunt, mala existimant : mala vero ob insitam sibi voluptatem, ut bona consectantur. Atque hominum errorem inde proficiscentem perdifficile est dicere. Pertinent igitur ad bonorum naturam fructifera ligna ac cedri omnes, quæ etiam ad laudem accipiuntur ; ad malorum vero naturam condensa ;

[1] Psal. XXVIII, 9. — [2] Matth. III, 10.

quæ, ne decipiantur qui utilem aliquem fructum in eis inventuros se putant, revelat ac detegit Dei vox. « Et in » templo ejus omnes dicent gloriam[1]. » Audiant hæc psalmi verba ac revereantur, qui prolixos habent sermones. Quid dicit psalmus? Qui in templo Dei est, non convitia, non res vanas, non verba obscenis rebus referta profert : sed in templo ejus quisque dicit gloriam. Astant sancti angeli, qui hæc verba describant : adest Dominus, qui animum ingredientium intuetur. Preces uniuscujusque manifestæ Deo sunt, quis ex affectu, quis scite exquirat cœlestia, quis perfunctorie et extremis labris verba pronuntiet, cor vero ipsius procul a Deo sit. Quod si orat, carnis sanitatem, opesque corporeas et humanam gloriam efflagitat. Horum autem nihil petendum est, ut Scriptura docet : sed « in templo ejus unus- » quisque dicit gloriam. Cœli enarrant gloriam Dei[2]. » Deum gloria afficere, angelorum munus est. Hoc unum est totius cœlestis exercitus officium, referre creatori gloriam. Creatura omnis, tum silens, tum loquens, tum cœlestis, tum terrena, dat gloriam conditori. Miserabiles vero homines postquam ædibus suis relictis ad templum concurrerunt, quasi quidpiam consecuturi emolumenti; tamen Dei verbis aures non præbent, suam ipsorum naturam non sentiunt : præoccupati peccato, non affliguntur : non mœrent dum reminiscuntur peccatorum, non timent judicium, sed arridentes, et inter se jungentes dextras, precationis domum in locum immodicæ loquacitatis vertunt, aspernati psalmum declarantem ac dicentem : « In templo ejus unusquisque dicit gloriam. » Tu vero non modo loqueris : sed alteri etiam es impedimento, qui eum tibi reddas attentum, atque per tuum tumultum sonum majorem edas quam Spiritus doctrina.

1 Psal. xxviii, 9. — 2 Ibid. xviii, 1.

Cave ne quando abeas, una cum iis qui impia et contumeliosa verba in Dei nomen evomunt, condemnatus, cum debuisses mercedem pro rerum divinarum celebratione recipere. Habes psalmum, habes prophetiam, præcepta evangelica, apostolorum prædicationes. Lingua psallat, mens eorum quæ dicta sunt, scrutetur intelligentiam : ut psallas spiritu, psallas item et mente. Deus enim minime indiget gloria : sed te vult esse dignum, qui gloriam consequare. Quapropter quod seminat homo, hoc et metet. Semina glorificationem, ut coronas honoresque et laudes in regno cœlorum metas. Hæc non abs re per digressionem dicta sunt in hunc locum : « In » templo ejus unusquisque dicit gloriam, » quod sunt qui loquendi finem in Dei templo nunquam faciant ac, inutiliter ingrediantur. Utinam inutiliter, non cum detrimento.

VIII. « Dominus diluvium inhabitare faciet[1]. » Diluvium inundatio aquæ est, quidquid subest contegentis, et quidquid prius sordescebat expurgantis. Baptismi itaque gratiam diluvium nominat, adeo ut anima peccatis abluta, et veteri homine expurgata, fiat deinceps idonea, quæ in Spiritu habitatio sit Dei. Porro quæ etiam dicta sunt in psalmo tricesimo primo, cum his concinunt. Postquam enim dixit : « Injustitiam meam cognitam » feci, et peccatum meum non abscondi[2] : » Item illud, « pro hac orabit ad te omnis sanctus : » subjunxit : « Verumtamen in diluvio aquarum multarum ad eum » non appropinquabunt[3]. » Non enim peccata appropinquabunt ei, qui per aquam et spiritum baptisma remissionis delictorum receperit. Sed et in Micheæ prophetia quiddam his affine invenitur. » Quia volens misericor- » diam est, revertetur et miserebitur nostri : demerget

[1] Psal. XXVIII, 10. — [2] Ibid. XXXII, 5. — [3] Ibid., 6.

» peccata nostra, et projicientur in profunda maris. Et » sedebit Dominus rex in æternum[1]. » Animæ ex diluvio splendenti insidens Deus, eam sibi veluti thronum efficit. « Dominus virtutem populo suo dabit, Dominus benedi» cet populo suo in pace[2]. » A populo quidem peccatore robustum et robustam auferet Dominus : justitiam vero facienti robur confert. Nam « omni habenti dabitur[3]. » Cæterum qui ad perficienda bona opera corroboratus est, is fit dignus Dei benedictione. Pax autem quæ mentis est firmitas quædam atque constantia, benedictionum perfectissima esse videtur. Quare pacifici viri character in compositis ac sedatis moribus situs est : contra, qui a cupiditatibus oppugnatur, nondum pacis Dei particeps est : quam pacem discipulis suis Dominus dedit, quæ cum intellectum omnem superet, eorum qui digni sunt, animas tuebitur. Hanc Apostolus ecclesiis apprecatur, dicens : « Gratia vobis et pax multiplicetur[4]. » Utinam igitur postquam strenue certaverimus, ac carnis affectum qui inimicitia adversus Deum est, in servitutem redegerimus, anima in tranquillitate ac quieto statu constituta, filii pacis appellemur, atque in pace fiamus benedictionis Dei participes : in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium nunc et semper, et in sæcula sæculorum, Amen.

[1] Micheæ VII, 19. — [2] Esai. III, 1. — [3] Matth. XXV, 29. — [4] 1 Pet. I, 2.

HOMILIA V.

IN PSALMUM XXIX.

Psalmus cantici in dedicatione domus David.

I. Structura corporis, psalterium quidem est per metaphoram, instrumentumque, quod ex musicæ regulis ad concinendos Deo nostro hymnos adaptatum est: ipsæ vero corporis actiones psalmus sunt: quæ ad Dei gloriam referuntur tum, cum ratione ita concinni efficimur, ut inconcinnum nihil in nostris motibus peragamus. Quidquid autem sublimi contemplationi ac theologiæ conjungitur, canticum est. Psalmus itaque sermo est musicus, cum concinne apteque ex harmoniæ ratione ad organum pulsatur: canticum vero vox est concinna, quæ modulate citra organi sonum emittitur. Proinde cum hîc inscriptio sit; *Psalmus cantici*, putamus his verbis significari, quod contemplationem actio sequatur. Hic vero psalmus cantici, secundum inscriptionem, quædam de domus dedicatione argumenta continet. Et quod ad corporalem sensum attinet, videtur hic sermo temporibus Salomonis, celeberrimo illo templo extructo, recitatus fuisse, atque ad psalterii modulationem accommodatus. At vero secundum spiritualem intelligentiam, Dei verbi incarnationem significare videtur inscriptio, atque domus nova et inaudita arte constructæ dedicationem indicare. Nam in hoc psalmo multa invenimus ex persona Domini pronuntiata. Aut fortassis domum intelligere

convenit ædificatam a Christo Ecclesiam, quemadmodum et Paulus in sua ad Timotheum epistola scribit : « Ut » scias quomodo oporteat in domo Dei conversari, quæ » est ecclesia Dei viventis [1]. » Dedicatio vero Ecclesiæ, existimanda est mentis renovatio, quam in unoquoque corpus ecclesiæ Christi complente Spiritus sanctus efficit. Est autem divina et musica harmonia, non quæ verba quædam complectitur aures demulcentia, sed coërcentia ac mitigantia malignos spiritus, qui obnoxias injuriis animas infestant. « Exaltabo te Domine quo» niam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos » super me [2]. » Quomodo qui in altis habitat exaltatur ab iis qui humilem locum sortiti sunt? Etenim si sursum in cœlo Deus, tu vero deorsum in terra, quonam pacto Deum queas exaltare? Quid igitur sibi vult isthæc Prophetæ promissio? Num forte Deus exaltari dicitur ab iis. qui magna, Deoque digna, de ipso intelligere possunt, et ad Dei gloriam vivunt? Qui igitur ad beatitudinem scienter festinat, is Deum exaltat : qui vero contrariam viam capit, is quod ne dicere quidem fas est, quantum in se est, Deum deprimit.

II. Sed et omnem statum rebus nostris convenientem quasi Deo tribuimus. Idcirco, dormitantibus nobis, et segniter agentibus, dormire dicitur Deus, indignos nos judicans provida sua in nos vigilantia. Attamen ubi aliquando detrimentum ex somno sentientes, dixerimus : « Exurge, quare obdormis Domine [3]? Non dormitabit, » neque dormiet tunc qui custodit Israël [4]. » Atque alii quidam Dei a se oculos velut avertunt ob turpes suas, Deique oculis indignas actiones : qui pœnitentia ducti, dicunt : « Quare faciem tuam avertis [5]? » Sunt præter

[1] I Tim. III, 15. — [2] Psal. XXIX, 2. — [3] Ibid. XLIII, 23. — [4] Ibid. CXX, 4. — [5] Ibid. XLIII, 23.

illos et alii, qui e memoria Dei ejecti, et veluti sui ipsorum oblivionem Deo creantes dicunt : « Oblivisceris » inopiæ nostræ, et tribulationis nostræ[1]. » Et uno verbo, quæ ex humano affectu dicuntur de Deo, ea homines faciunt, talem sibi Deum fingentes, qualem se quisque prius constituit. « Exaltabo » igitur « te, Domi- » ne, quoniam suscepisti me : nec delectasti inimicos » meos super me. » Nihil nimirum humile, nihil abjectum in vita mea perferam. Unde vero facultas mihi te exaltandi? Quoniam tu me præveniens suscepisti. Perspicue dixit, « Suscepisti me, » pro « sublevasti me, » et superiorem insurgentibus in me effecisti. Veluti si quis puerum quempiam natandi imperitum manu suscipiens, eum aquis altiorem sustineat. Qui igitur, opitulante Deo, a casu se erigit, is grati animi significatione per bona opera exaltationem Deo pollicetur. Aut velut si quis debilem quempiam luctatorem suffulciens, ab imminente lapsu liberet, ac colluctante reddat superiorem : illi quidem victoriæ præbet occasionem, huic vero conceptam de lapsu alterius lætitiam adimit. Non autem ærumnæ probationis causa sanctis inflictæ, invisibilibus nostris inimicis gaudium afferunt : sed cum afflictati frangimur, cumque cogitationes nostræ, nobis ob frequentes molestias animum despondentibus, coarctantur, tunc oblectantur, plaudantque et insultant. Velut in Job contigit. Amiserat possessiones, orbatus erat filiis, tabo et vermibus scatebat ejus caro; necdum tamen id lætitia afficit adversarium. Sed si laboribus fractus, contumeliosum aliquod verbum ex uxoris consilio protulisset, tunc in ipso oblectati essent inimici. Quin et in Paulo esuriente, sitiente, nudo, colaphis cæso, laborante, de loco in locum migrante non delectabatur inimicus, imo vero

[1] Psal. XLIII, 24.

conterebatur, dum eum videret sic certamina perferentem, ut contemptim diceret : « Quis nos separabit a charitate Christi[1] ? »

III. « Domine Deus meus, clamavi ad te, et sanasti » me[2], » Beatus qui intestinam suam plagam cognoscit, adeo ut ad medicum queat accedere, ac dicere : « Sana » me Domine quoniam conturbata sunt ossa mea[3]. « Et, « Ego dixi Domine miserere mei, sana animam meam, » quia peccavi tibi[4]. » Hîc quidem ob adhibitam sibi curationem gratias agit. « Domine enim, » inquit, « Deus meus. » Deus non omnium Deus est, sed eorum qui ei sunt charitate conjuncti. Deus enim Abraham est, et Deus Isaac, et Deus Jacob. Etenim si omnium esset Deus, non utique id eis tanquam quidpiam singulare ac eximium tribuisset. Et iterum Jacob : « Adjuvit te » Deus meus[5]. » Et Thomas, semota dubitatione omni, Dominum amplexus, « Dominus meus, » inquit, « et « Deus meus[6]. » Affectus igitur vox est, « Domine Deus » meus, » et quæ prophetico statui convenit. « Clamavi » ad te, et sanasti me. » Nihil intercessit medii inter vocem meam et tuam gratiam : sed simul atque clamavi, medela accessit. Adhuc enim loquente te, inquit, dicam ecce adsum[7]. Proinde magna voce loqui oportet eum, qui Deum precatur, ut cita promptaque sanatio nobis exoriatur. « Domine eduxisti ab inferno animam meam.» De hac sanatione gratias Deo agit is, qui descendit quidem ex infirmitate in infernum, sed revocatur ex inferno per potentiam ejus, qui pro nobis mortis principem ac dominatorem expugnavit. « Salvasti me a descenden- » tibus in lacum[8]. » Sæpenumero lacus nominantur

[1] Rom. VIII, 35. — [2] Psal. XXIX, 3. — [3] Ibid. VI, 3. — [4] Ibid. XL, 5. — [5] Gen. XLIX, 25. — [6] Joan. XX, 28. — [7] Esai. LXV et LVIII, 9. — [8] Psal. XXIX, 4.

subterraneæ fossæ, ad vinctorum custodiam adaptatæ. Sic enim dictum est in Exodo. « A primogenito Pharao» nis usque ad primogenitum captivæ, quæ erat in » lacu[1]. » Sed et Hieremiam in lacum demiserunt, et Joseph in lacu aquam non habente fratres præ invidia incluserunt. Itaque actio quælibet aut nos peccato gravatos ad inferiora deprimit, aut nos quasi pennis ad Deum elatos ad superiora evehit. Me igitur prius vitam iniquam agentem servasti, atque a descendentibus in tenebrosum ac frigidum locum sejunxisti. Idipsum igitur significatur verbis illis, « Suscepisti me. » Hoc est, reduxisti me a ferente me deorsum impetu, ut ne delectandi de me occasio inimicis daretur. Quod igitur alibi ait : « Qui perfecit pedes meos tanquam cervi, et super » excelsa statuens me[2]; » id hîc reditum ad excelsa, liberationem a lacu susceptionemque appellat. « Psallite » Domino sancti ejus. » Non continuo si quispiam psalmi verba ore profert, hic Domino psallit : sed quicumque ex puro corde depromunt psalmodiam, et quotquot sunt sancti, qui erga Deum servant justitiam ii in rhythmis spiritualibus concinno ordine psallere Deo possunt. Quot fornicatores, quot fures hîc stant? Quot sunt qui dolum ac mendacium in corde abscondunt? Psallere quidem putantur, revera autem non psallunt. Sanctum enim ad psalmos concinendos sermo invitat. « Non potest arbor » mala bonos fructus facere[3], » neque cor malum vitæ verba proferre. « Facite itaque arborem bonam, et fructus » ejus bonos[4]. » Purgate corda ut in spiritu fructum feratis, et possitis sancti effecti, prudenter Domino psallere.

IV. « Et confitemini memoriæ sanctitatis ejus[5]. » Non

[1] Exo. XI, 5. — [2] Psal. XVII, 34. — [3] Matth. VII, 18. — [4] Matth. XII, 33. — [5] Psal. XXIX, 5.

dixit : confitemini sanctitati ejus, sed memoriæ sanctitatis ejus : hoc est, gratias agite. Confessio namque hîc pro gratiarum actione accipitur. Gratias igitur agite, quod in memoria sanctitatis ejus sitis : qui prius, utpote profunda immersi malitia, et carnis spurcitiis contaminati, in ejus qui vos condidit oblivionem veneratis. Itaque ad obtinendam peccatorum veniam, de his quæ antea a vobis non recte gesta sunt confiteamini. » Quo-» niam ira in indignatione ejus, et vita in voluntate ejus. » Prius triste quiddam dixit, iram in indignatione Dei : deinde aliquid lætius, vitam in voluntate ejus. Videtur repetitio esse, iis qui significatorum intelligentiam accuratam assequi non possunt : quandoquidem Propheta dicit iram esse in Dei indignatione, quasi ira et indignatio idem sint, cum tamen plurimum differant. Indignatio enim est judicium de infligendis merenti certis quibusdam tristibus : ira vero labor et supplicium, quod a justo judice pro injustitiæ mensura jam infertur. Quod autem dico, id exemplo manifestus fiet. Medicus si quam partem inflammatione affectam, et sanie occulta refertam observaverit, incisionem judicat esse ægrotanti necessariam. Illud Scriptura indignationem vocat. Sed post prolatam a medico de afferendo remedio sententiam, actio tandem sequitur, qua quod decretum est perficitur, ferrumque, quod incidit, et dolorem parit incisionem patienti, adhibetur. Illud ira Dei appellatum est. Venias ergo ad propositum, et hujus sententiæ consequentiam invenies. « Quoniam ira in indigna-» tione ejus. » Pœna secundum justum Dei judicium : vita vero in voluntate ejus. Quid ergo dicit? quod Deus vult, hoc esse, ut vitæ ejus sint participes omnes. Mala autem non ejus voluntate fiunt, sed merito eorum qui

[1] Psal. xxix, 6.

peccaverunt inferuntur. Vitam igitur cuique Deus propria voluntate tribuit ; iram vero sibi quisque congerit in die iræ, et revelationis, et justi judicii Dei. Tristia autem ante res lætas collocare solet Scriptura, propterea quod delectatio jucundior est, tum, cum quæ mœrorem afferunt, ipsam præcesserunt. « Ego enim, » inquit, » occidam, et vivere faciam[1]. » Beneficium pœna est posterius. « Percutiam et ego sanabo. » Ipse enim affert dolorem, et rursus recreat : percussit, et manus ejus sanaverunt. Antecedunt mala, quo nobis beneficia stabiliora fiant atque firmiora, quippe qui tunc magnopere data custodiamus. « Ad vesperum demorabitur fletus, » et ad matutinum lætitia[2]. » Reminiscere temporis passionis Domini, et verborum invenies intelligentiam. Ad vesperam enim demoratus est fletus in Domini discipulis, cum eum viderent in cruce pendentem, ad matutinum vero lætitia, cum post resurrectionem currerent ac faustum illum nuntium quo Dominus visus fuisse nuntiabatur, sibi invicem cum gaudio deferrent. Aut forte etiam in universum, vespera sæculum hoc dicitur, in quo qui beate fleverint, adveniente postmodum matutino consolationem accipient. « Beati enim qui lugent, « quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui flent, quoniam « ipsi ridebunt[3]. » Qui igitur dies hujus sæculi jam consummationem attingentis, et ad suum occasum vergentis, in plorandis peccatis suis absumpserunt, hi vero illo matutino adveniente gaudebunt. « Qui enim semi« nant nunc in lacrymis, in exultatione metent[4], » nimirum in futuro sæculo.

V. « Ego autem dixi in abundantia mea, non move» bor in æternum[5]. » Quemadmodum earum rerum quæ

[1] Deut. XXXII, 39. — [2] Psal. XXIX, 6. — [3] Matth. VI, 5. — [4] Psal. CXXV, 5. — [5] Ibid. XXIX, 7.

in foro venduntur copia, civitatis est abundantia, et quemadmodum regionem quæ fructibus multis referta est, abundare dicimus : sic et animæ quædam est abundantia, dum omnigenis operibus repleta est : quam primum quidem multo cum labore excoli oportet, tumque uberi cœlestium aquarum irrigatione saginari, adeo ut fructum tricesimum, aut sexagesimum, aut centesimum afferat, ac benedictionem obtineat dicentem : « Benedictæ » apothecæ tuæ, et reliquiæ tuæ[1]. » Nam constantiæ suæ qui conscius est, dicet confidenter, affirmabitque fore, ut ab adversario non evertatur, velut ager plenus, cui benedixit Dominus. « Domine in voluntate tua præs- » titisti decori meo virtutem[2]. » In investiganda virtutum ratione qui se exercuere, alias quidem virtutes dixerunt ex contemplationibus constare, alias vero sitas non esse in contemplatione. Verbi gratia, prudentiam quidem ex contemplationibus constare, cum de bonis ac malis agitur : hinc vero temperantiam oriri, quod speculamur quæ sint eligenda aut fugienda : hinc justitiam, quod speculamur, quæ distribuenda sint, aut non distribuenda; hinc fortitudinem, quod speculamur, quæ formidanda sunt, aut non formidanda. Verum aiunt pulchritudinem ac robur virtutes speculatrices non esse, cum sint speculatricibus posteriores. Nam ex convenientia harmoniaque contemplationum animæ sapientes quidem pulchritudinem intellexerunt : at vero ex vi efficiente eorum quæ a virtutibus speculatricibus proponuntur, robur commenti sunt. Verumtamen ut et decor animæ accedat, et adsit vis eorum quæ officii sunt effectrix, nobis ad hoc opus est divina gratia. Ut igitur antea dixit : « Quoniam vita in volun- » tate ejus : » sic nunc Deum gratiarum actione exaltat dicens : « In voluntate tua præstitisti decori meo virtu-

[1] Deut. XXVIII, 5. — [2] Psal. XXIX, 8.

» tem. » Pulcher quidem eram secundum naturam, sed languidus, propterea quod ex serpentis insidiis peccato mortuus eram. Pulchritudini ergo meæ, quam ex te in prima creatione accepi, addidisti virtutem, eorum quæ ad officium pertinent efficientem. Pulchra igitur est anima omnis, quæ in propriarum virtutum symmetria conspicitur. Pulchritudo autem vera, amabilissimaque, quam is solus qui puram mentem habet contemplari potest, circa divinam ac beatam naturam consistit. Cujus fulgores et gratias qui intente conspexerit, ab ea velut ab aliqua tinctura nonnihil mutuatur, floridum quemdam splendorem in propriam faciem imprimens. Unde et Moysis facies simul atque ex familiari cum Deo congressu pulchritudinis illius particeps fuit, clarificata est. Proinde virtutis suæ qui conscius est, hanc vocem grates rependentem emittit : « Domine in voluntate » tua præstitisti decori meo virtutem. » Quemadmodum autem eæ virtutes quæ in contemplatione sitæ non sunt, virtutes speculatrices sequuntur, puta decor et robur : sic sunt quædam vitia contemplationi non subjecta, nempe fœditas et debilitas. Quid enim invenustius ac deformius dedita affectibus anima ? Vide, quæso, iratum, et eam quam præ se fert feritatem. Tristem ac mœstum considera ; ejusque demissionem et animi abjectionem intuere. Quis vero libidini aut gulæ inservientem, aut terroribus consternatum, vel aspicere queat ? cum hæc animi affectio ad extrema usque corporis pervadat, quemadmodum e contrario vestigia etiam pulchritudinis animæ in viri sancti habitu resplendent. Comparanda itaque nobis est isthæc pulchritudo, ut sponsus Verbum approbans nos dicat : « Tota pulchra proxima mea, et » macula non est in te[1]. »

[1] Cant. IV, 7.

VI. « Avertisti autem faciem tuam, et factus sum » conturbatus. » Quamdiu enim, inquit, inspectionis tuæ radii mihi affulsere, in statu firmo atque tranquillo vixi. Postquam vero avertisti faciem tuam, perturbatio animæ tumultusque deprehenditur. Avertere autem faciem suam dicitur Deus, tum, cum afflictionis tempore tentationibus expositos relinquit, ut fortitudo certantis cognoscatur. Proinde si pax quæ intellectum omnem superat custodierit corda nostra, cupiditatum tumultum confusionemque vitare possumus. Cum igitur Dei voluntati aversio opponatur, pulchritudini vero et decori virtutique perturbatio; utique perturbatio fuerit deformitas et infirmitas animæ, ex alienatione a Deo proveniens. Precemur itaque semper, nobis ut affulgeat Dei facies, ut in sancto ac religioso statu simus, et mites et modis omnibus tranquilli, ex animi ad bona præparatione. « Paratus sum » enim, » inquit, « et non sum turbatus[1]. Ad te Domine » clamabo, et ad Deum meum deprecabor[2]. » Sæpe dictum est de clamore ad Dominum, quod sit ejus solius qui magna et cœlestia cupit, clamare. Si quis autem parva et terrena a Deo petierit, is parva et demissa voce, eaque non ad sublime pertingente, nec ad Domini aures perveniente utitur. « Quæ utilitas in sanguine meo, dum » descendo in corruptionem[3]? » Cur, inquit, clamavi, et quæ te Dominum meum ac Deum meum rogavi? Quid, inquit, bona carnis habitudine, aut multo sanguine mihi opus est : cum corpus dissolutioni communi statim tradendum sit. « At castigo corpus meum, et in servitutem » redigo[4], » ut ne vigente, nimisque exæstuante meo sanguine, corpulentia occasio fiat peccati. Carni tuæ ne obsequare, sumno, balneo, ac mollibus culcitris, semper hanc repetens sententiam : « Quæ utilitas in sanguine

[1] Psal. cxviii, 60. — [2] Ibid. xxix, 9. — [3] Ibid. 10. — [4] 1 Cor. ix, 27.

» meo, dum descendo in corruptionem? » Quid foves quod paulo post interiturum est? Quid saginas te ipsum et pinguefacis? An ignoras quod quanto pinguius tibi corpus conficis, tanto graviorem carcerem animis struis? « Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit » veritatem tuam? » Quomodo enim terrestris ac carneus homo tibi Deo confitebitur? Quomodo vero etiam annuntiabit veritatem, qui neque disciplinis dedit tempus ullum, et cujus mens in tanta carnis mole defossa est ac obruta? Ob id igitur carnem meam macero, nec parco meo sanguini, qui in carnem coalescere solet, ut impedimentum nullum mihi sit ad confessionem, neque ad veritatis intelligentiam.

VII. « Audivit Dominus, et misertus est mei. Domi» nus factus est adjutor meus[1]. » Postquam narravit quænam fuerint quæ ipse ad Dominum clamavit, statim Dei sentiens auxilium, nos ad petenda similia provocat. « Audivit, » inquit, « Dominus et misertus est mei. » Dominus factus est adjutor meus. » Oremus igitur et nos, ac spiritualem clamorem clamemus, non parva petentes, nec carni studentes « (qui enim in carne sunt, » Deo placere non possunt[2]) » ut et nos exaudiat Deus, debilitatem nostram miseratus, atque auxilio divino fruiti etiam nos, dicamus : « Convertisti planctum meum » in gaudium mihi[3]. » Non in qualibet anima inest gaudium Dei : sed si quis multum peccatum suum planxerit, vehementi videlicet luctu, et assiduis gemitibus, perinde quasi se ipse mortuum planxisset, huic isti planctus in gaudium vertitur. Quod autem laudabilis sit luctus quidam, ostendunt pueri in foro sedentes ac dicentes : « Lamentati sumus vobis, et non plorastis : cantavimus » vobis tibiis, et non saltastis[4]. » Tibia autem instru-

[1] Psal. XXIX, 11. — [2] Rom. VIII, 8. — [3] Psal. XXIX, 12. — [4] Luc. VII, 32.

mentum musicum est, quod flatus ope melodiæ inservit. Idcirco sanctum quemlibet prophetam tibiam per translationem nominari arbitror, ob sancti Spiritus motum. Quamobrem, inquit, « cantavimus vobis tibiis, et non » saltastis. » Nam prophetici sermones adhortantur nos ad sanctæ prophetiæ concinnam actionem, quæ dicta est saltatio. Quinetiam nostra causa lamentantur prophetæ, ad luctum nos cohortantes, ut per propheticos sermones peccatorum nostrorum conscii effecti, exitium nostrum lugeamus, laboribus ac ærumnis carnem nostram castigantes. Tali igitur homini luctuosa vestis conscinditur, quam cum peccatum suum plangeret, induerat. Denique ei circumponitur tunica lætitiæ, et pallium salutis, splendida scilicet illa et nuptialia indumenta, quibus si quis fuerit ornatus, e nuptiali thalamo non ejicietur. » Conscidisti saccum meum, et circumdedisti me læti- » tia[1]. » Saccus adjumento est ad pœnitentiam, cum signum sit humilitatis. Olim enim, inquit, in sacco et cinere sedentes pœnitentiam egerunt. Quoniam vero Apostolus, revelata facie, ad eamdem imaginem transformatur a gloria in gloriam; idcirco datam sibi a Domino gratiam, propriam gloriam vocat. « Ut cantet tibi glo- » ria mea[2]. » Gloria justi, spiritus, qui in ipso est. Quisquis igitur spiritu psallit, dicat : « Ut cantet tibi gloria » mea, et non compungar. » Non amplius, inquit, admittam ulla, ob quæ jure ac merito cor meum compungatur, confodiaturque ob peccati mei memoriam. « Domine Deus meus in æternum confitebor tibi : » hoc est agam gratias. Cum enim propter pœnitentiam mihi veniam dederis, meque, sublato peccatorum dedecore, ad gloriam reduxeris, ideo in omne ævum confitebor tibi. Quod enim tantum esse possit temporis intervallum,

[1] Psal. XXIX, 12. — [2] Ibid. 13.

quod tantorum beneficiorum oblivionem animæ meæ inducere queat?

HOMILIA VI.

IN PSALMUM XXXII.

Exultate justi in Domino : rectos decet collaudatio.

I. Scripturæ familiaris est exultationis vox[1], per quam hilarem ac lætum animæ statum in his qui lætitia digni sunt ostendens. « Exultate, » itaque « justi in Domino[2], » non cum res domi vobis prospere succedunt, non cum bona fuerit corporis habitudo, non cum agri fructibus omnigenis referti sunt : sed quod Dominum habetis, tali pulchritudine, tali bonitate, tali sapientia præditum. Sufficiat vobis ea lætitia quæ in ipso est. Et quisquis in re aliqua quam plurimi facit, cum lætitia ac gaudio exultat, ad eum modum in ea exultare videtur. Quapropter justos sermo adhortatur, ut suam dignitatem persentiant; itemque ut exultent quod talis Domini servi esse dignati sint, in illius servitio cum gaudio inenarrabili et cum tripudiis, corde ex afflatu dilectionis boni quasi subsiliente. Si quando tuo cordi lux quædam quasi illapsa, repentinam Dei cognitionem indiderit, atque animam tuam illustraverit, adeo ut Deum diligas, mundum vero ac res omnes corporeas contemnas, ex obscura illa et brevi similitudine omnem justorum statum intellige, qui æquabiliter indesinenterque in Deo delectantur.

[1] Vide D. Guillon, tom. VII, 172-174. — [2] Psal. XXXII, 1.

Tibi quidem Dei dispensatione aliquando, sed raro incidit ejusmodi exultatio, ut te per modicum hunc gustum, eorum quibus privatus es, admoneat. At vero justo perpetua est divina ac cœlestis lætitia, quod semel in ipso inhabitat Spiritus; primus autem « fructus Spiritus est » charitas, gaudium, pax[1]. Exultate » igitur « justi in » Domino. » Velut locus justorum est Dominus capax, in quo qui est, eum lætari et exultare omnino necesse est. Fit etiam justus, locus Domino, cum illum in se recipit. Qui vero peccat, locum dat diabolo, non obtemperans ei qui dicit: « Nolite locum dare diabolo[2]: » neque Ecclesiastæ; « Si spiritus potestatem habentis ascenderit » super te, locum tuum ne dimiseris[3]. » In ipso itaque Domino existentes, et quantum nobis licet, ejus mirabilia speculati, ita ex hac contemplatione cordibus nostris lætitiam comparemus. « Rectos decet laudatio. » Quemadmodum pes obtortus calceo recto non adaptatur: ita neque distortis cordibus laudatio Dei convenit. Quapropter, opinor quoniam sermo qui de Servatore habetur dæmonum os non decet, idcirco eis adimit facultatem, ut ne manifestum ipsum faciant. Et Pythonem increpat Paulus, ut ne ab impuro sanctus commendetur[4]. Tale est hoc, « Peccatori autem dixit Deus : Quare tu » enarras justitias meas[5]. » Conemur igitur fugere omne opus obliquum ac tortuosum; atque mentem nostram et animi judicium in modum rectæ regulæ dirigamus, ut cum recti fuerimus, deceat nos Domini laudatio. Ita enim peccati auctor serpens[6], obliquus dicitur, et gladius Dei inducitur in draconem serpentem tortuosum, quod spiras ac divortia in itinere faciat. Etenim dum serpentis tractus ducitur, in terra inæqualiter imprimitur : cum

[1] Gal. v, 22. — [2] Eph. iv, 27. — [3] Eccl. x, 4. — [4] Act. xvi, 18. — [5] Psal. xxix, 16. — [6] Esai. xxvii, 1.

aliter procedant anteriores partes, et oblique insequantur consequentes, et rursum caudæ partes in contrarium vergant. Qui serpentem sequitur, suam vitam obliquam inæqualemque, et contrarietatibus refertam demonstrabit : qui vero pone Dominum Deum incedit, rectas semitas et recta vestigia pedum suorum facit[1]. « Rectus » enim « Dominus Deus noster, et quæ recta sunt vidit » facies ipsius[2]. » Regulæ duæ si juxta se collocentur, earum rectitudo inter se convenit : si vero distortum lignum ad regulam apponatur; obtortum reperitur recto non congruere. Quoniam igitur recta est Dei laudatio, recto opus est corde, ei ut laus conveniat competatque. Quod si nemo valet dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto[3]; quomodo proferes laudem, cum rectum spiritum non habeas in tuis visceribus innovatum?

II. « Confitemini Domino in cithara, in psalterio » decem chordarum psallite illi[4]. » Primum in cithara Domino confiteri oportet, hoc est, corporis actiones concinne absolvere. Quoniam enim in corpore peccavimus[5], cum nostra membra serva peccato ad iniquitatem præbuimus; corpore etiam confiteamur, eodem utentes instrumento ad peccatum dissolvendum. Convitiatus es? benedicas : eripuisti aliena? reddito : Inebriatus es? jejuna. Superbus fuisti? esto humilis. Invidisti? obsecra. Occidisti? martyrium perferas, vel quod martyrio par est, per confessionem corpus tuum afflige. Et tunc post confessionem, dignus es qui in decachordo psalterio Deo psallas. Prius enim corporis actiones oportet emendari, ut congruenter divino verbo convenienterque perficiantur, sicque queas ad rerum intelligibilium contemplationem ascendere. Fortassis enim mens quæ superna quærit,

[1] Psal. xci, 16. — [2] Ibid. x, 8. — [3] I Cor. xii, 3. — [4] Psal. xxxii, 2. — [5] Rom. vi, 19.

psalterium dicta est, quod hujus organi structura a superiori parte vim resonantem accipit. Corporis itaque opera velut ex infernis confitentur Deo : quæ vero per mentem annuntiantur mysteria, e supernis occasionem habent, mente velut sonum per spiritum adipiscente. Qui igitur ad omnia præcepta respicit, ex eisque velut concentum ac symphoniam facit, is in decachordo psalterio Deo psallit, quod generalia decem præcepta secundum primam legis traditionem conscripta sunt. « Cantate Domino canticum novum : » hoc est, non in vetustate litteræ, sed in novitate spiritus Deum colite. Qui non corporaliter legem accipit, sed illius novit spiritalem sensum, hic canticum novum cantat. Nam vetus et senescens testamentum pertransiit, novum vero et instauratum canticum doctrinæ Domini nos excepit : quæ juventutem nostram velut aquilæ renovat, ubi corruperimus externum hominem, et renovati fuerimus de die in diem. Sed et qui se ad anteriora extendit, semper se ipso recentior fit. Quare qui se ipso fit semper recentior, recentius canticum Deo canit. Recentius autem ex more dicitur, vel id quod est admirabile, vel id quod recens ortum habuit. Sive igitur incarnationis Domini modum admirabilem et natura omni superiorem narres, recentius ac insolitum canticum concinnis : sive totius mundi per peccatum inveterati regenerationem renovationemque recenseas, ac resurrectionis annuntiaveris mysteria, sic quoque novum ac recens canticum canis.

III. « Bene psallite ei in vociferatione[1]. » Audite præceptum : « Bene psallite, » mente attenta, sincero affectu. « In vociferatione psallite. » Velut boni quidam milites post partam de hostibus victoriam, referte hymnos auctori victoriæ. « Confidite, » inquit, « ego

[1] Psal. xxxii, 3.

» vici mundum[1]. » Quis hominum adversus diabolum bellum gerere possit, nisi ad præsidium potentiæ imperatoris confugientes, illinc per fidem quæ in ipso est, inimicum nostrum feriamus ac sagittis impetamus. « Bene » igitur « psallite in vociferatione. Est autem vociferatio vox quædam confusa cum ii qui in bello se invicem agmine conferto adoriuntur, consonam vocem edunt. Itaque in concentu et in concordia, et in charitatis conjunctione psallite. Quid igitur psallentes dicere oportet ? Nimirum quod « rectum est verbum Domini[2]. » Idcirco rectos prius ad laudationem vocat, quod rectum est etiam illud Domini Verbum, quod erat gloria afficiendum , quod in principio erat apud Deum, et Deus erat. Rectus itaque Pater , rectus Filius , rectus Spiritus sanctus. « Et omnia opera ejus in fide[3]. » Quid est quod dicit ? Opus est cœlum, opus terra, opus mare, aër, inanimata omnia, animata, rationalia, irrationalia. Quomodo igitur in fide omnia ? Quænam in inanimatis fides ? qualis est fides brutorum ? Quænam fides in lapide? rursus quæ fides in cane ? Neque inanimatum, neque brutum in fide est. Hæc tamen sententia nihil excepit ; sed omnia comprehendit, dicens : « Omnia opera » ejus in fide. » Quid igitur est quod dicit ? Sive, inquit, contemplare cœlum ejusque ordinem, fidei dux est, artificem enim per se ipsum ostendit : sive terræ ornatum, rursus quoque hoc pacto augetur tua in Deum fides. Non enim carneis oculis Deum edocti, in ipsum credidimus : sed vi mentis per visibilia invisibilem conspicimus. « Omnia ergo opera ejus in fide. » Sive lapidem consideraveris, habet etiam ipse aliquam potentiæ conditoris demonstrationem, sive formicam, sive culicem, sive apem. Sæpe vel in minimis elucet opificis

[1] Joan. xvi, 33. — [2] Psal. xxxii, 4. — [3] Ibid.

sapientia. Qui enim cœlum expandit, et immensam pelagi vastitatem effudit, ille ipse est, qui tenuissimum etiam apis aculeum veluti fistulam excavavit, ut per id virus effundatur. « Omnia igitur opera ejus » in fide. » Nulla tibi sit incredulitatis occasio. Ne dixeris : hoc temere factum, et illud casu evenit. Nihil inordinatum est, interminatum nihil, nihil frustra factum, neque quidquam rerum fortuito fertur. Neque dicas : malus casus, aut prava hora. Voces ipsæ sunt ineruditorum. « Nonne duo passeres asse væneunt, et » unus ex illis non cadet[1] » sine divina voluntate ? Quot capilli capitis ? unus ex his traditus non est oblivioni. Vides divinum oculum, quomodo nihil minutissimarum rerum inspectionem ejus effugiat. « Diligit » misericordiam et judicium Dominus : misericordia » Domini plena est terra[2]. » Si separatim et secundum se Dei judicium foret : ita ut nobis severe pro meritis eorum quæ egimus, rependeret, quæ spes superesset ? Quis ex omnibus salvus fieret ? Nunc autem « diligit » misericordiam et judicium. » Posteaquam misericordiam velut sibi assidentem et ante regium judicii tronum stantem constituit, ita singulos adducit in judicium. « Si iniquitates observaveris Domine, Domine » quis sustinebit[3]. » Neque misericordia sine judicio, neque judicium sine misericordia. Ante judicium igitur diligit misericordiam, et post misericordiam venit ad judicium. Hæc autem inter se conjuncta sunt : misericordia cum judicio : ne aut misericordia sola mollitiem pariat, aut judicium solum afferat desperationem. Vult tui misereri judex, teque miserationum suarum facere participem : si modo post peccatum repererit te humilem, contritum, prava opera multum deploran-

[1] Matth. x, 19. — [2] Psal. xxxii, 5. — [3] Ibid. cxxix, 3.

tem, ac ea quæ clam facta sunt evulgantem citra pudorem, rogantem fratres tibi ut sint adjumento ad accipiendam medelam. Uno verbo si commiseratione dignum viderit, abunde tibi suam impertietur misericordiam. Si vero cor pœnitere nescium, mentem superbam, animum futuro sæculo non credentem, ac nullum judicii timorem conspexerit, tunc in te judicium diligit. Ita enim bonus ac humanus medicus fomentis prius ac remediis mollibus tumorem sedare conatur : postquam vero viderit molem nihil remittere, atque induratam reniti ; tum demum rejectis oleo ac molliore curandi ratione, ferri usum adhibet. Diligit igitur misericordiam in pœnitentibus : diligit vero in obstinatis judicium. Tale quid Esaias etiam dicit Deo : « Misericordia tua in pondus[1]. » Nam et ille misericordiam cum judicio exhibet ejus, qui libra, et numero ac pondere pro cujusque merito vices rependit.

IV. « Misericordia Domini plena est terra[2]. » Hîc disjuncta est a judicio misericordia. Sola enim misericordia Domini plena est terra, judicio in constitutum tempus reservato. Hîc itaque misericordia est sine judicio : Non enim venit ut judicet mundum, sed ut salvet mundum[3]. Illic vero non est sine misericordia judicium, propterea quod homo a sordibus purus reperiri nequeat, « Si vel unam diem dixerit[4]. » Quare si quis malitiam quotidie grassantem, et fragile hominum genus, habita peccatorum ratione, innumeris mortibus dignum videat, admirabitur divitias bonitatis Dei, patientiæque ipsius, et lenitatis. Sane dum in terra sumus, misericordia opus nobis est. Nam qui in cœlis versantur, digni sunt, qui beati prædicentur, non quorum misereamur. Aut for-

[1] Psal. XXXV, 7. — [2] Ibid. XXXII, 5. — [3] Esai. XXVIII, 17. — [4] Job. XIV, 5. Juxta LXX.


tassis propter condemnationem in nos ob peccatum prolatam terra dicimur nos qui illud a Deo audivimus : « Terra es, et in terram ibis[1]. » Porro repleti sumus Dei miserationibus; cum enim mortui essemus delictis et peccatis, misertus Deus vivificavit nos cum Christo[2]. » Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus » omnis virtus eorum. » Ubi sunt qui spiritum flocci-faciunt? ubi sunt qui illum a potentia creatrice separant? ubi qui ipsum a patris ac filii conjunctione dirimunt ? audiant psalmum dicentem : « Verbo Domini cœli firmati » sunt et spiritu oris ejus omnis virtus eorum. » Neque enim Verbum existimabitur communis hæc locutio esse, quæ ex nominibus ac dictionibus consistit : neque Spiritus vapor in aëra diffusus. Sed et Verbum, quod in principio erat apud Deum, et Spiritus sanctus, qui hanc proprie sortitus est appellationem. Quemadmodum igitur Verbum opifex firmavit cœlum : sic Spiritus qui ex Deo qui a Patre procedit, hoc est, qui ex ore illius est : ut ne ipsum externam quamdam rem aut creaturam esse judices, sed tanquam hypostasim ex Deo habentem glorifices, omnes ejus virtutes simul intulit. Itaque cœlestis omnis virtus Spiritu formata est : hoc est, soliditatem, firmitatemque et constantiam, in sanctitate, et omni virtute sacris potestatibus conveniente, ex Spiritus auxilio habet. Hîc igitur Spiritus oris ejus scriptus est. Inveniemus autem alibi et Verbum oris ipsius dictum, ut intelligatur Salvator ipse et sanctus ejus Spiritus ex Patre. Quoniam igitur Servator Verbum Domini est, et Spiritus sanctus oris ipsius spiritus est, uterque autem in cœlis et eorum virtutibus creandis pariter operam contulit, idcirco dictum est : « Verbo Domini » cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus

[1]Gen. III, 19. — [2] Ephes. II, 5.

» eorum[1]. » Nihil enim sanctitatem adipiscitur, nisi per Spiritus sancti præsentiam. Itaque quod angeli sunt, ab opifice Verbo universorum conditore habent : eis vero sanctitatem Spiritus sanctus impertivit. Non enim infantes creati sunt angeli, deinde paulatim exercitio perfecti, sic facti sunt digni qui Spiritum reciperent, sed in prima constitutione, et una cum substantiæ suæ quasi mixtura infusam habuere sanctitatem. Quapropter etiam ægre ad malitiam convertere se possunt, quippe qui illico sanctimonia, veluti tinctura quadam corroborati sint, firmitatemque in virtute ac constantiam dono Spiritus sancti acceperint.


V. « Congregans sicut utrem aquas maris, ponens » in thesauris abyssos[2]. » Non dixit congregans aquas maris sicut in utre ; sed ut utrem, ita aquas maris congregans. Jam vero considera, quæso, utris naturam, quæ nunc quidem inflatur, cum corium intercluso spiritu distentum est, nunc vero contrahitur, cum flatus ille quo distendebatur secessit. Sic itaque mare aliquando intumescit ac effervescit ventis efferatum ac tumens, aliquando vero rursus tranquillitate in humile contrahitur. Igitur ut utrem, ita contrahit ac deprimit Dominus aquam maris. Invenimus autem in quibusdam exemplaribus, « Congregans velut in utre aquas » maris : « quibus verbis ad veterem historiam deducimur, cum mare rubrum nemine id neque dividente neque continente, ipsum ad se ipsum contractum est, quasi in utre quodam colligatum, divino mandato illud effundi non sinente. « Ponens, » inquit, « in thesauris » abyssos. » Erat sententiæ communi magis congruum dicere : Ponens in abyssis thesauros : hoc est, in mysterio divitias continens suas. Nunc vero velut opes

[1] Psal. XXXII, 6. — [2] Ibid., 7.



quasdam divinis thesauris dignas, abyssos ipsas esse dicit. Numquid ergo judicii divini rationes inenarrabiles et humano captui incomprehensibiles, abyssi dicuntur, cum in sola Dei cognitione repositæ sint rationes, juxta quas singula moderatur? Quod enim lata de singulis judicia abyssus vocata sint, in alio psalmo didicimus, dicente. « judicia tua abyssus multa[1]. » Quapropter si quæris cur vita peccatoris prorogata, justi dies in hoc incolarum loco brevientur : cur injustus secunda utatur fortuna, justus adversa : cur sit puerulus raptus ante ætatis perfectionem : unde bella : cur naufragia, terræ motus, siccitates, pluviæ : cur quæ lethalia sunt hominibus, creata sint : cur hic servus, ille liber : cur alius dives, alius pauper. Atque etiam multum est discriminis in peccatis ac certe factis : hæc enim lenæ vendita, vi in peccato est, illa vero ab initio heram bonam nacta, in virginitate educata est. Cur hæc affecta beneficio sit : illa vero condemnata : et quid sit unicuique horum a judice retribuendum : quibus omnibus tibi in mentem venientibus, cogita Dei judicia abyssos esse nec a quolibet facile comprehendi posse, quod in divinis thesauris conclusa sunt. Sed et credenti data promissio est a Deo, videlicet, Dabo tibi thesauros absconditos et invisibiles[2]. Postquam igitur ea cognitione quæ est facie ad faciem, digni habiti fuerimus, etiam eas quæ in Dei thesauris sunt abyssos intuebimur. Quod si ea quæ in Scriptura de utribus dicta sunt, collegeris, propheticæ sententiæ intelligentiam magis assequeris. Qui igitur de die in diem renovantur, et vinum novum avera vita accipiunt, utres novi esse in Evangelio dicuntur. Qui vero nondum veterem hominem exuerunt, sunt veteres utres, quibus suscipiendi

[1] Psal xxxv, 7. — [2] Esai. xlv, 3.



vini novi facultas concredi non potest[1]. Nemo enim mittit vinum novum in utres veteres, ut ne et vinum effundatur, et illi utres penitus pereant, nullam amplius veniam consecuturi, si bonum ac novum vinum effundant. Novum enim vinum in utres novos est mittendum. Vinum quod novum ac spiritale sit, quodque Spiritu sancto ferveat, ipsam videlicet veritatis intelligentiam nunquam veterascentem, in novum hominem mittere operæ pretium est, qui, quod semper mortificationem Jesu in corpore circumfert, uter novus dici merito potest.

VI. « Timeat Dominum omnis terra : ab eo autem » commoveantur omnes inhabitantes orbem[2]. » Quandoquidem timor Domini initium est sensus[3] : terrena qui sapiunt, per timorem erudiantur. Timor enim velut ad pietatem introducens, necessario adhibetur : caritas vero deinceps succedens, eos quos timor ad erudiendum idoneus concinnavit, perficit. Itaque terræ omni verba isthæc timorem præcipiunt. « Commoveantur autem, » inquit, « ab eo omnes inhabitantes orbem. » Nimirum motus omnis, tum qui ex mente, tum qui ex corporali actione oritur, secundum Dei voluntatem ab ipsis perficiatur. Sic enim intelligo illud, « Commoveantur ab eo. » Exempli gratia, neque oculus moveatur sine Deo, neque manus agitetur sine Deo, nec cor cogitet quæ Deo non placent. Et in summa, a nullo alio moveantur : neque ipsos quidquam moveat, nisi Dei timor. « Quo- » niam ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et » creata sunt[4]. » Duobus præcedentibus duo subdidit : Primum, « Timeat omnis terra, et, commoveantur » omnes inhabitantes orbem : Ipse dixit et facta sunt : » Deinde, « Ipse mandavit, et creata sunt. » Quando

[1] Matth. IX, 27. — [2] Psal. XXXII, 8. — [3] Prov. I, 7. — [4] Psal. XXXII, 9.

compositus homo est ex terreno figmento, et ex inhabitante in corpore anima : id quod e terra formatum est, terra dicitur : anima vero habitationem in corpore sortita, orbem inhabitans vocatur. Itaque congruenter terræ convenienterque editum est : « Ipse » dixit et facta sunt ; » cum illa verba, « Facta sunt, » de nostro figmento e terra constante accipiantur : hæc vero, « creata sunt, » de anima ad Dei imaginem condita intelligantur. Quoniam vero creatio sæpe pro quadam in melius transmutatione sumitur, ut est illud : « Si qua in Christo nova creatura[1]. » item illud : « Ut duos crearet in unum novum hominem[2]. » Fortassis illud, « Facta sunt, » de prima hominis procreatione dicitur : hoc vero, « Creata sunt, » de secunda per Christi gratiam regeneratione. Quantum autem sermoni nudo præstat præceptum Dei, tantum creatio generationi antecellit. « Dominus dissipat consilia gen- » tium, reprobat autem cogitationes populorum [3]. » Expositio est præcedentis, quomodo Deus in se credentes creaverit, et ex eo quod stulta populorum consilia dispersit, quæ super idololatria universaque vanitate habuerunt, et ex eo quod reprobat consilia principum. Possunt autem hæc et ad passionis tempus referri, quando hi quidem putabant se crucifigere regem gloriæ : ille vero per crucis dispensationem genus hominum renovabat. Etenim in resurrectione, ut dissipabatur consilium gentium, Pilati et militum, reliquorumque, quotquot crucis supplicium inferebant : ita consilia principum, pontificum, scribarumque et regum populi reprobabantur. Resurrectio enim omne eorum artificium dissolvit. Quod si in singulis historiis relegeris quæ Deus gessit erga infideles gentes, vim multam juxta corporalem etiam

[1] 1 Cor. v, 17. — [2] Ephes. II, 15. — [3] Psal. XXXII, 10.

intelligentiam in his verbis inesse comperies. Quando enim Joram filius Achaab regnavit in Israël, tunc Rex Syriæ filius Ader multa virtute ac gravi manu, instructo exercitu obsedit Samariam, adeo ut deessent ipsis necessaria, et asini caput quinquaginta siclis argenti, et quarta pars cabi stercoris columbini quinque argenti siclis emeretur. Tunc itaque ut Elyssæi promissio impleretur, dissipata sunt Syriæ consilia, suisque tabernaculis ac cunctis opibus relictis fugerunt, tantam in Samaria rerum copiam relinquentes, ut similæ mensura siclo, et duæ hordei mensuræ siclo uno venirent. Sic igitur Dominus novit gentium consilia dissipare. Quomodo vero reprobet consilia principum, in Achitophele didicimus, quando David oravit, dicens : « Dissipa nunc consilium » Achitophel[1]. » Cum igitur audieris quempiam magna minitantem, jactantemque se tibi omnis generis ærumnas, damna, aut plagas, aut mortem illaturum, respice ad Dominum gentium consilia dissipantem, et populorum cogitationes reprobantem.

VII. « Consilium autem Domini in æternum manet : » cogitationes cordis ejus in generationem et generatio- » nem[2]. » Non vides gentium dogmata, vanam hanc philosophiam, quam subtiles sint et eximii circa dogmatum inventiones, tum in rationalibus contemplationibus, tum in moralibus præceptionibus, et in physicis quibusdam rationibus aliisque epopticis, quæ vocant, dogmatibus? Quomodo dissipata sint omnia, et inutilia facta, una vero Evangelii veritas nunc in mundo vigeat. Multa enim in hominum cordibus volutantur consilia, sed prævaluit Domini consilium. Et quidem necesse est si Dei consilium stabile ac firmum in animis nostris permanere debet, ut prius in nobis cogitationes humanæ dissi-

[1] 2 Reg. XV, 31. — [2] Psal. XXXIII, 11.

pentur. Quemadmodum enim qui in cera scripturus est, ea prius complanata, ita demum quas vult formas imprimit : sic et cor quod divina oracula clare suscepturum est, purum a contrariis cogitationibus reddi oportet « Cogitationes cordis ejus in generationem et generatio- » nem. » Itaque populi electi duo cum sint, duoque eis tradita testamenta; per illud, « Cogitationes cordis ejus » in generationem et generationem, » possunt, generatione bis nominata, duæ quoque cogitationes intelligi. Una quidem secundum quam prius testamentum accepimus : altera vero, quæ novam et salutarem Christi doctrinam nobis largita est. « Beata gens cujus est » Dominus Deus ejus, populus quem elegit in hæreditatem » sibi[1]. » Nemo beatum prædicat Judæorum populum, sed eum populum, qui ex omnibus populis sic electus est, ut optimi quique selecti sint. Sumus enim gens illa nos, quorum est Dominus Deus noster : nos sumus etiam populus, quem elegit in hæreditatem sibi[2]. Gens quidem, quia ex multis gentibus collecti sumus : populus vero, quia in populi abjecti locum advocati sumus. Et quoniam multi sunt vocati, pauci vero electi, beatum dicit non vocatum, sed electum. Beatus namque quem elegit. Quæ autem beatitudinis causa? expectata bonorum æternorum hæreditas. Aut forte quoniam juxta Apostolum, postquam gentium plenitudo intraverit[3], tunc Israël omnis salvabitur, primum beatam prædicat gentium plenitudinem : deinde Israëlem, qui postremo salvabitur. Salvus autem fit non quivis, sed reliquiæ solum, quæ erunt secundum electionem gratiæ[4]. Ideo dicit ; « Populus quem elegit in » hæreditatem sibi. »

VIII. « De cœlo respexit Dominus, vidit omnes filios

[1] 1 Pet. II, 9. — [2] Psal. XXXII, 12. — [3] Rom. XI, 25. — [4] Ibid., 5.

» hominum de præparato habitaculo suo[1]. » Eos qui manent in propria dignitate, et humanæ naturæ officia implent, superne aspicit Dominus : eos vero qui ad extremam malitiam delapsi sunt, aliter intuetur, propterea quod ipse descendit. « Clamor enim, » inquit, « Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est, et peccata » eorum magna valde[3]. Descendens ergo videbo, an » secundum clamorem ipsorum venientem ad me con- » summent[2]. » Et rursus : « Descendit videre civitatem » et turrim, quam ædificaverunt filii hominum[3]. » Hîc vero, « De cœlo respexit Dominus, vidit omnes filios » hominum. » Considera altum spectatorem : considera intuentem res humanas desuper. Quocumque tandem perrexeris, quidquid egeris, sive in tenebris, sive in die, prospicientem Dei oculum habes. « Ex præparato habi- » taculo suo. » Non aperiuntur portæ, non contrahuntur vela, expeditum est habitaculum Dei ad videndum : omnes hominum filios aspicit. Ne unus quidem fugit ipsius conspectum : non tenebræ, non parietes occultant, nihil Dei oculis est impedimento. Qui tantum abest ut unumquemque non inspiciat, ut etiam corda introspiciat, quæ ipsa sine ulla vitii admistione finxit. Deus hominum conditor cor simplex finxit, adeo ut imaginem secundum se servaret. Postea vero immixtis carnis affectionibus, id varium ac valde multiplex effecimus nos : divinam illius speciem, et simplicitatem candoremque corrumpentes. Quamobrem cum cordium sit opifex, propterea etiam omnia nostra opera intelligit. Opera autem dicimus et verba, et cogitationes, et generatim omnem hominis motum. Nam quo animo, quo proposito agamus, utrum ut placeamus hominibus, an ut datis a Deo præceptis obsequamur, solus novit, qui nostra omnia opera intel-

[1] Psal. xxxii, 13, 14. — [2] Gen. xviii, 20. — [3] Ibid. xi, 5.

ligit. Quapropter etiam cujuscumque verbi otiosi rationem reddimus[1]. Atque mercedem ne pro poculo quidem aquæ frigidæ perdimus, propterea quod intelligit Dominus omnia opera nostra.

IX. « Non salvatur rex per multam virtutem[2]. » Non militaris potentiæ copia, non civitatum mœnia, non pedestris phalanx, non equestris potestas, non navalium virium apparatus regi salutem affert. Dominus enim constituit reges ac destituit, et non est potestas nisi a Deo constituta. Servatur igitur rex non per multam virtutem, sed per divinam gratiam. Quare et erga hos vera sunt verba illa, « Gratia salvati estis[3]. » Ita ne agricola quidem per agricolationis diligentiam tantum fructum assequitur, quantum per Deum segetes augentem. « Neque » enim qui plantat, est aliquid, neque qui rigat; sed qui » incrementum dat Deus[4]. » Quod si cor regis in manu Dei[5] : non per armorum potentiam, sed per divinum præsidium servatur. In manu autem Dei non est quilibet, sed qui dignus existit regis appellatione. Definierunt autem quidam regnum esse legitimum dominatum, aut principatum in omnes, sic ut peccato obnoxius non sit. « Et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ. » Gigantem dicit eum, qui naturali et corporali pollet robore. Neque igitur rex ex armis sufficiens ad salutem auxilium habet, neque fortis vir sibi ad omnia sufficere potest. Imbecillitas enim et infirmitas sunt omnia simul humana, si cum vera potentia comparentur. Propterea « Infirma munda elegit Deus, ut confundat fortia[6]. » Et, ex ore infantium et lactentium perfecit laudem, ut destruat inimicum et ultorem[7]. Nam divina gratia in infantibus ac rudibus operans, maxime resplenduit.

[1] Matth. XII, 36. — [2] Psal. XXXII, 16. — [3] Ephes. II, 5. — [4] 1 Cor. III, 7. — [5] Prov. XXI, 1. — [6] 1 Cor. I, 27. — [7] Psal. VIII, 33.

« Fallax equus ad salutem : in multitudine autem virtutis » suæ non salvabitur[1]. » Exclusus est ab usu sanctorum equus. Sed neque Israël dum ei res in bellis ex animi sententia succederent, unquam equestri potentia usus fuisse comperitur, neque quisquam sanctorum privatim usum equorum velut convenientem admisit. At vero Pharao equitatu utitur, et superbus ille Sennacherib de equorum multitudine gloriatur. Quamobrem Pharaonis equum et ascensorem projecit in mare[2] : omnes vero Sennacherib equites dormitaverunt. Unde etiam lata per Moysen de regum officiis lex ita sancit : « Non multipli- » cabit sibi equitatum[3]. In multitudine autem virtutis » suæ non salvabitur. Cum enim, » inquit, « infirmor, » tunc potens sum[4]. » Nam corporearum virium multitudo saluti spiritus obstat.

X. « Ecce oculi Domini super metuentes eum[5]. » Alibi quidem dictum est : « Oculi Domini super justos[6] : » hîc vero, « super metuentes eum. » Ubi nos ad Dominum respexerimus, fuerintque oculi nostri in ipsum intenti, adeo ut dicere possimus : « Ecce sicut oculi servorum ad » manus dominorum suorum; ita oculi nostri ad Domi- » num Deum nostrum[7] : » tunc veluti ad nos inspiciendos oculum Domini attrahimus. « Sperantes in misericor- »diam ipsius. » Humilitatem eorum qui Domino serviunt, ostendit : quomodo in ejus misericordia sperent. Qui enim suis præclare gestis non confidit, nec ex operibus se justificatum iri expectat, is unicam salutis spem in Dei misericordia reponit. Cum enim cogitaverit illud[8] : Ecce Dominus et merces ejus, ut reddat unicuique juxta opus suum, et prava sua opera secum reputaverit, timet

[1] Psal. XXXII, 17. — [2] Exod. XV, 1. — [3] Deut. XVII, 16. — [4] 2 Cor. XII, 10. — [5] Psal. XXXII, 18. — [6] Ibid. XXXIII, 16. — [7] Psal. CXXII, 2. — [8] Esai. XL, 20.

supplicium, et minas formidat. Verum ut ne absorbeatur præ tristitia, bona spe præditus est, dum ad miserationes et benignitatem Dei respicit. Sperat enim animam suam a morte liberandam esse, atque ab ipso in fame pascendam. « Anima autem nostra patiens erit Domino, quo- » niam adjutor et protector noster est [1]. » Ad patientiam hortatur hic sermo : ut si quando ab uno aliquo divexantium nos, opprimamur, tamen a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu, nequaquam secedamus, sed auxilium a Deo expectantes, anima tota res adversas perferamus. « Quoniam in ipso lætabitur cor nostrum, et in nomine » sancto ejus speravimus[2]. » Hoc consonum est cum his quæ in principio psalmi dicta sunt : « Exultate justi in » Domino. » Et, « in ipso lætabitur cor nostrum. » Et mihi videtur Apostolus convenienter his dixisse illud : « In his omnibus superamus propter eum qui dilexit » nos [3]. » Et illud : « Non solum autem, sed et glo- » riantes in tribulationibus [4]. » Nam cum Psalmista dixisset : « Anima nostra patiens est Domino, » ut demonstret quod non coactus, neque ab angustiis pressus patientiam ostentet, sed cum omni gaudio pro nomine Domini suscipiat ærumnas, non solum, inquit, patientes sumus, sed etiam « in ipso lætabitur cor nos- » trum, et in nomine sancto ejus speravimus. » Satis nobis est ad omnes adversariorum evitandos insultus, si nominemur Christiani. Sanctum autem esse Dei nomen dicitur, non utique ex eo quod in syllabis ullam sanctitatis conferendæ vim habeat, sed quod omnis Dei proprietas, et intelligentia eorum quæ præcipue in ipso contemplamur, sancta est et pura. « Fiat Domine misericordia » tua super nos, quemadmodum speravimus in te[5]. »

[1] Psal. XXXII, 20. — [2] Ibid. 20. — [3] Rom. VIII, 37. — [4] Ibid. V, 3. — [5] Psal. XXXII, 22.

Vides quomodo scite ac prudenter oraverit? Proprium affectum, mensuram fecit largitionis miserationum Dei. Tanta, inquit, fiat misericordia tua super nos, quantam in te spem priores conjecimus. Reverti autem in requiem, tota nostra spes est, ut corpore humilitatis nostræ transformato, hoc idem agnoscamus corpori gloriæ Christi conforme effectum.

HOMILIA VII.

IN PSALMUM XXXIII. IPSI DAVID.

Quando immutavit faciem suam coram Abimelech qui dimisit ipsum, et abiit.

I. Psalmi hujus intelligentia nos ad duo argumenta trahit [1]. Quæ enim tum in Nomba civitate sacerdotum, tum in Geth apud Anchus alienigenarum regem a Davide gesta sunt, ea inscriptioni videntur convenire. Nam immutavit faciem suam, cum Abimelech sacerdotem alloqueretur, sic ut occultata fuga, ad regium mandatum exequendum festinare se simulaverit, quando et panes propositionis accepit, et gladium Goliath. Rursus suam immutavit faciem, cum in medio hostium captus, eos inter se loquentes, et se ad vindictam præparantes audivit. « Dixerunt enim, » inquit, « pueri Anchus inter » se [2] : Nonne hic est David Rex terræ? Nonne huic can- » tabant in choro, dicentes : Percussit David in decem » millibus suis, et Saül in millibus suis? » Et timuit,

[1] Vide D. Guillon tom. VII, 175-179. — [2] 1 Reg. XXI, 11.

inquit, David a facie Anchus, ac suam faciem ante illorum oculos immutavit. Quomodo igitur inscriptio nominat Abimelech, historia autem Anchus Gethæorum regem memorat? Talem quamdam rationem ex traditione ad nos usque transmissam tenemus, quod alienigenarum reges commune quidem nomen Abimelech habuerunt, quilibet vero proprium, quo appellabatur. Hunc ad modum et in Romano imperio videre est, Cæsares et Augustos in communi appellari, sed tamen eos alia nomina propria habere. Nomen Pharao est ejusmodi etiam apud Ægyptios. Nam et Pharaonem constat vocari eum, qui tempore Joseph regnavit. Pharao item, qui post quatuor generationes Mosis ætate rex Ægypti fuit : Pharao quoque, qui Salomonis tempore rerum potiebatur. Accepit enim, inquit, filiam Pharaonis. Et qui tempore prophetiæ Jeremiæ vixit, Pharao vocatus est. Sic etiam Abimelech ætate Abrahæ erat, et ætate Isaac : et alius nunc temporibus Davidis dicitur. Et de eo quidem qui tempore Abrahæ erat, dictum est : « Et » dixit Abimelech, et Hochozat pronubus ejus, et Phi- » loch princeps exercitus ejus ad Abraham, dicens [1]. » Et iterum de eo qui tempore Isaac vixit : « Fuit autem » multo tempore ibi. Cum vero prospexisset Abimelech » rex Philistiim per fenestram, vidit Isaac cum Rebecca » ludentem [2]. » Sic igitur et nunc Davidis tempore Abimelech in inscriptione dictus est, communi regni nomine. Verum Anchus nomen traditum ab historia est, quod scilicet ei privatim a nativitate impositum esset. Itaque coram hoc immutavit faciem suam[3], asportatus manibus servorum, et obstrepens ad portas civitatis, distillansque, inquit, salivam suam in barbam : ita ut diceret Anchus ad famulos; Quare adduxistis eum ad me?

[1] Gen. XXI, 22. — [2] Ibid. XXVI, 8. — [3] I Reg. XXI, 13.

Num ego opus habeo comitiali morbo correptis? quippe introduxistis eum, ut morbo comitiali coram me corriperetur. Et sic illinc dimissus, salvum se recepit, inquit, in speluncam Odollam. Igitur tamquan ex magno periculo elapsus, hanc gratiarum actionem rependit suo liberatori Deo. « Benedicam Dominum, inquit, in omni tem» pore[1].» Ereptus ex morte, quasi terminos vitæ sibi ipse præscribit, suamque animam instituit ac format ad accuratius vivendi genus, adeo ut nullo tempore benedictionem intermittat, sed rerum tum magnarum tum parvarum principium referat in Deum. Non existimabo, inquit, diligentia mea quidquam fieri, neque fortuito concursu contingere, sed « in omni tempore benedicam » Dominum, » non in vitæ solum prosperitate, sed in temporibus etiam adversis atque calamitosis. Hinc edoctus Paulus, ait : « Semper gaudete, sine intermissione » orate, in omnibus gratias agite[2]. » Viden quanta fuerit caritas viri? Malorum assiduitatem animo iniquo non ferebat, cum non solum ex patria pulsus, et a cognatis domesticisque sejunctus, ac bonis spoliatus : verum etiam cum hostibus esset per vim traditus, ita ut fere ab eis membratim dilaniaretur; non dixit : Quousque malorum assiduitas, non despondit animum propter afflictionis prorogationem, haud ignorans, « Quod tribulatio patien» tiam operatur patientia autem probationem, probatio » vero spem[3]. » Nam reipsa afflictiones, quasi athletica quædam alimenta ac exercitationes sunt bene præparatis atque instructis : quæ athletam ad paternam gloriam deducunt[4], si quando conviciis impetiti, benedixerimus: blasphemiis lacessiti, obsecraverimus : divexati, egerimus gratias, afflicti : in afflictione gloriati fuerimus. Turpe enim est nos benedicere in rebus secundis, silere vero in

[1] Psal. xxxiii, 2. — [2] 1 Thess. v, 16. — [3] Rom. v, 33. — [4] 1 Cor. iv, 13.

tristibus et adversis. Imo tunc etiam gratias uberiores agere oportet, cum noverimus, quod « Quem diligit Dominus, » castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit[1]. » « Semper laus ejus in ore meo » Videtur propheta id quod fieri non potest, polliceri. Quomodo enim semper laus Dei in ore hominis esse potest? Cum consueta et ad vitæ usum spectantia colloquia facit, in ore laudem Dei non habet. Cum dormit, omnino silebit. Quomodo vero edentis aut bibentis os laudem Dei depromet? Ad hoc respondemus, quoddam etiam esse hominis interni spirituale os atque intelligibile, quo nutritur, dum verbum vitæ recipit, qui est panis, qui de cœlo descendit[2]. De illo ore etiam propheta loquitur : « Os meum aperui, et attraxi spiri» tum[3]. » Hortatur nos etiam Dominus, ut amplum os habeamus, quo copiosius uberiusque alimenta veritatis accipiamus. « Dilata enim, » inquit, « os tuum, et implebo » illud[4]. » Itaque Dei cogitatio semel impressa, et quasi in præcipua animæ parte obsignata, laus Dei appellari potest, semper in anima insidens. Potest autem et juxta apostolicam admonitionem vir probus omnia agere ad Dei gloriam : ita ut actio omnis, omneque verbum, et spiritualis omnis operatio vim laudis obtineat. Sive enim edit justus, sive bibit, omnia in Dei gloriam facit[5]. Eo dormiente, cor vigilat juxta eum, qui in Cantico Canticorum dicit : « Ego dormio, et cor meum vigilat[6]. » Etenim visæ in somnis species sunt non raro diurnarum cogitationum imagines.

II. « In Domino laudabitur anima mea[7]. » Nullus, inquit, meam industriam per quam e periculis incolumis evasi, laudet. Neque enim in potentia hominis, neque in sapientia, sed in Dei gratia salus est. Non glo-

[1] Hebr. xii, 6. — [2] Joan. vi, 33. — [3] Psal. cxviii, 131. — [4] Ibid. lxxx, 11. — [5] 1 Cor. x, 31. — [6] Cant. v, 2. — [7] Psal. xxxiii, 5.

rietur, inquit, dives in divitiis suis, neque sapiens in sapientia sua, neque fortis in fortitudine sua[1] : sed in hoc glorietur qui gloriatur, quod intelligit et cognoscit Dominum Deum suum. Vides quomodo Apostolus adjutores Evangelii laudet? « Qui est conservus et minister vester » in Domino [2]. » Si quis autem ob corporis elegantiam, aut parentum claritudinem laudatur, non in Domino laudatur anima ipsius : sed quisquis talis est, in vanitate constituitur. Neque enim mediæ artes laudem vere merentur : gubernatores, medici, oratores aut architecti, qui urbes, aut pyramides, aut labyrinthos, aut aliam quamdam sumptuosam ac superbam ædificiorum molem extruunt. Ob hæc qui laudantur, non in Domino suam habent animam. Satis est nobis ad omnem dignitatem, tanti Domini servos nominari. Numquid enim qui regi famulatur, se ideo jactabit quod in hoc aut in illo ministerii ordine collocatus est : qui vero dignus habitus est qui Deo serviat, aliunde laudes sibi excogitabit, quasi ad omnem gloriæ splendorisque cumulum appellatio Domini sibi non sufficiat? « In Domino igitur laudabitur anima » mea. Audiant mansueti et lætentur. » Quandoquidem sine prælio, inquit, ex sola faciei immutatione, inimicis per Dei auxilium deceptis, mihi parta salus est, audiant mansueti fieri posse, ut et quiescentes erigant trophæum, et minime pugnantes, victores declarentur : « et » lætentur, » ad mansuetudinem amplectendam meo exemplo confirmati. Hoc enim accepi muneris a Deo, quod mansuetudinem implevi. « Memento Domine » David, et omnis mansuetudinis ejus [3]. » Maxima enim virtutum, mansuetudo est, quapropter et inter beatitudines adnumeratur. « Beati enim, » inquit, « mites, » quoniam ipsi possidebunt terram [4]. » Nam terra illa

[1] Jerem. IX, 23. — [2] Coloss. IV, 7. — [3] Psal. CXXXI, 1. — [4] Matth. V, 4.

cœlestis Jerusalem, spolium non est pugnantium : sed æquanimorum ac mansuetorum virorum hæreditas proponitur. Idem autem valet hoc, « Audiant mansueti, » atque illud, « audiant Christi discipuli. » Fortassis autem prophetice vult miraculum beneficii a Deo in se collati ad nos usque pervenire. Audiant enim qui multis post generationibus futuri sunt discipuli Christi. Siquidem hos nominavit mansuetos, quibus Dominus ait : « Dis» cite a me quia mitis sum et humilis corde [1]. » Qui enim sedatis sunt moribus, et ab omni commotione liberi, adeo ut nulla insit in eorum animis perturbatio, ii mansueti appellantur. Quapropter etiam Moyses supra omnes homines terræ mansuetus fuisse perhibetur [2].

III. « Magnificate Dominum mecum [3]. » Convenientem sibi chorum ad Dominum glorificandum assumit. Nemo turbulentus, nemo perturbatus, nec quisquam qui carnearum affectionum œstro exstimulet animam, mihi adjungatur : sed vos mansueti qui stabilitatem firmitatemque animi consecuti estis, socordiam autem ac soporem ad officia exequenda excussistis, vos magnificate Dominum mecum. Magnificat autem Dominum is, qui magna mente, et elato ac erecto spiritu tentationes pro pietate sustinet. Deinde etiam, qui magno animo et profundissimis contemplationibus magnitudines creationis considerat, ut ex magnitudine creaturarum et pulchritudine, ortus earum auctorem contempletur. Quanto enim quis altius penetrat rationes, quibus condita sunt ac reguntur universa, tanto magis Domini magnificentiam speculatur, et quantum in se est, Dominum magnificat. Quoniam igitur una mens, et unius viri meditatio ne ad breve quidem tempus sufficit ad magnifica opera Dei comprehendenda : omnes simul mansuetos ad

[1] Matth. XI, 29. — [2] Num. XII, 3. — [3] Psal. XXXIII, 4.

hujus actionis societatem assumit. Oportet enim ab externis tumultibus omnino vacare, et omni quiete in abscondito cordis recessu constituta, tum demum veritatis contemplationi animum adjicere. Audis confitentem peccatum, quid dicit? « Turbatus est ab ira oculus » meus [1]. » Non autem ira solum, sed concupiscentia etiam et timiditas, et invidia oculum animæ conturbat. Et in universum, commotiones omnes aciem animi atque perspicacitatem confundunt ac perturbant. Et quemadmodum fieri non potest ut accurate, oculo turbato, deprehendantur visibilia : sic etiam, turbato corde, ad veritatis contemplationem incumbere non possumus. Secedere igitur oportet a mundi rebus, et neque per oculos, neque per aures, neque per alium ullum sensum cogitationes alienas in animam introducere. Quæ enim ex carnis elatione exoriuntur bella, tumultibus continuis et implacabilibus seditionibus interiora complent. « Exqui- » sivi Dominum et exaudivit me[2].» Hæc, inquit, audiant mansueti, quod ego difficili illo tempore cum omnis inimicorum ira moveretur contra me, omnisque manus adversus me armaretur, ego vero nudus et inermis ad omne supplicium perferendum expositus hostibus essem, non tamen tunc confusus sum animo præ timore, non sum a Dei cogitatione avocatus, non salutem meam desperavi, sed « exquisivi Dominum. » Non quæsivi solum simplici quadam et temporaria in Dominum spe, sed exquisivi. Etenim emphasis verbi « exquirere » amplius quiddam significat, quam verbum « quærere ; » quemadmodum etiam perscrutatio plus dicit quam scrutatio. « Defecerunt enim perscrutantes perscrutationes [3]. » Multum igitur otii ac tranquillitatis exhibet hic sermo per illam exquisitionem.

[1] Psal. VI, 8. — [2] Ibid. XXXIII, 5. — [3] Ibid. LXIII, 7.

IV. « Et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. » Tota justi vita in afflictionibus posita est, et arcta atque angusta est via. Et, « multæ tribulationes justorum. » Idcirco et Apostolus ait: « In omnibus afflicti. » Et, « Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare » in regnum Dei [1]. » Liberat autem ex tribulatione sanctos suos Deus, non quod illos citra probationem relinquat, sed quod patientiam ipsis largiatur [2]. Nam si tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem : qui tribulationem detrectat, probatione se ipse privat. Quemadmodum ergo nemo coronatur sine adversario: sic neque probatus quisquam pronuntiari potest, nisi per tribulationes. Ex omnibus igitur tribulationibus meis me eripuit, non quod divexari me non sinat, sed quod cum tentatione exitum etiam præbeat, adeo ut ferre valeam. « Accedite ad eum, et illuminamini, et » facies vestræ non confundentur [3]. » Qui in tenebris et in umbra mortis sedent, eos hortatur ut ad Dominum accedant, ac radiis divinitatis ipsius appropinquent, ut ex appropinquatione per veritatem illustrati, illustrationem ejus per gratiam in se ipsos recipiant. Sicut enim hæc lux sensibilis non omnibus similiter exoritur, sed iis qui habent oculos, vigilantque, et sine ullo impedimento solis præsentia frui possunt: ita etiam justitiæ sol, vera lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, non omnibus splendorem suum largitur, sed iis, qui dignam ipso vitam degunt [4]. Lux enim, inquit, orta est non peccatori, sed justo. Ut enim ortus est sol, sed non vespertilionibus, nec aliis animalibus noctu ad pabulum prodeuntibus: ita quoque lux sua quidem natura splendida est, ac vi illuminandi prædita, non tamen omnes claritatis ejus participes sunt. Sic et « omnis

[1] Act. XIV, 21. — [2] Rom. V, 3. — [3] I Cor. X, 13. — [4] Psal. XCVI, 11.

» qui mala facit, odit lucem, et non venit ad lucem ut » non manifestentur ejus opera. Accedite igitur ad eum » et illuminamini, et facies vestræ non confundentur [1]. » Beatus, qui in die justi judicii Dei, « cum venerit Domi- » nus ad illuminandum abscondita tenebrarum, et mani- » festandum consilia cordium [2], » ausus fuerit illam examinis lucem subire, ac reversus fuerit non pudibundus, ex eo quod conscientiam pravis operibus contaminatam non habeat. Qui enim mala patrarunt, in opprobrium ac confusionem resurgent, in se ipsis turpitudinem et formas peccatorum impressas inspicientes. Et fortassis ea confusio, in qua æternum vivent peccatores, horrenda est magis, quam tènebræ et ignis æternus, cum vestigia admissi in carne peccati in modum indelebilis cujusdam tincturæ semper sint habituri ob oculos: quæ perpetuo in animæ eorum memoria permansura sunt. Paucorum autem est accedere ad veram lucem, ac revelare, et post occultorum revelationem, facie non confusa abire.

V. « Hic pauper clamavit, et Dominus exaudivit » eum[3]. » Non semper laudabilis est paupertas, sed quæ juxta evangelicum consilium ex libera voluntate perficitur. Siquidem multi sunt pauperes, facultates si spectes: at proposito avarissimi sunt : quos non salvat indigentia, sed propositum condemnat. Non igitur qui eget, continuo beatus prædicandus est, sed qui Christi mandatum mundi thesauris antiquius habet. Hos et Dominus beatos dicit, dicens: « Beati pauperes spiritu [4], » non qui, quod ad facultates attinet, pauperes sunt, sed qui paupertatem ex animo selegerunt. Quidquid enim voluntarium non est, beatum dici non oportet. Nam virtus omnis, et hæc maxime, in primis libero arbitrio ceu charactere insignitur. « Hic igitur, » inquit, « pauper clamavit. »

[1] Joan. III, 20. — [2] I Cor. IV, 5. — [3] Psal. XXXII, 7. — [4] Matth. V, 3.

Demonstrativa voce ad pauperem, et esurientem, et sitientem, et nudum secundum Deum, protrahit mentem tuam. « Hic pauper, » tantum non digito ostendens : « Hic Christi discipulus [1]. » Potest et ad Christum hic sermo referri, qui natura dives cum esset, propterea quod omnia bona Patris, ipsius sunt, propter nos pauper factus est, ut nos illius paupertate ditesceremus. Etenim omnem fere actionem quæ nos ad beatitudinem provocat, Dominus ipse auspicatus est, se ipsum proponens exemplum discentibus. Redi ad beatitudines : et singulis expensis, eum invenies operibus doctrinam verbi prævertisse. « Beati mites. » Quomodo igitur didicerimus mansuetudinem? « Discite a me [2], » inquit, « quia mitis sum » et humilis corde. Beati pacifici [3]. » Quis nos docebit pacis bonum? Ipse ille pacificus qui facit pacem, et reconciliat duos in unum novum hominem, qui pacificavit per sanguinem crucis suæ, tum quæ in cœlis, tum quæ in terra sunt. « Beati pauperes [4]. » Ipse est qui pauper fuit, et se ipsum in forma servi exinanivit, ut nos omnes ex ejus plenitudine accipiamus, et gratiam pro gratia[5]. Si quis igitur a sancto et benigno spiritu ductus, in semetipso non elatus, sed sese humilians, ut alios exaltet, spiritu clamet magna rogans, nec quidquam abjectum aut humile loquatur, ex eo quod terrena et mundana quærat, talis viri clamor a Domino exaudietur. Quisnam igitur auditionis finis est? Liberari ex omnibus tribulationibus, adeo ut non sis sauciatus, non frangaris, neque carnis affectui manciperis. Quis igitur modus per quem liberatur pauper? « Castra metabitur angelus Domini in » circuitu timentium eum, et eripiet eos. » Interpretatus est quem dicat pauperem, timentem videlicet Dominum.

[1] 2 Cor. VIII, 9. — [2] Matth. XI, 29.— [3] Ephes. II, 15.— [4] Philipp. II, 7.— [5] Joan. I, 16.

Idcirco qui timet, adhuc in servi ordine est : qui vero charitate perfectus est, jam ad filii dignitatem ascendit. Hinc servus, etiam pauper dicitur, propterea quod nihil habet proprii : filius vero jam dives est, quod bonorum paternorum sit hæres. « Castra igitur metabitur angelus » Domini in circuitu timentium eum. » Assidet angelus cuilibet in Dominum credenti, nisi nos illum operibus pravis abigamus. Quemadmodum enim fumus apes fugat, et fetor columbas expellit : sic angelum vitæ nostræ custodem lacrymabile ac graveolens peccatum abigit. Opera custodiæ angelicæ digna in tua anima si habeas, et mens in veritatis contemplatione dives in te inhabitet, ob divitias præclarorum operum virtutis, Deus necessario stipulatores tibi et custodes constituit, teque angelorum communit custodia. Considera autem quanta sit angelorum natura, quandoquidem exercitui toti et castris frequenti milite refertis angelus unus comparatur. Propter magnitudinem igitur ejus qui te custodit, Dominus castra tibi impertit : propter fortitudinem vero angeli, tutela ipsius ceu muro undelibet te munit. Nam illud, « In circuitu, » hoc ipsum significat. Quemadmodum enim urbium muri in circuitu omni ex parte circumducti, undecumque hostium assultus arcent : ita etiam angelus et præmunit a fronte, et a tergo custodit, nec quidquam utrinque incustoditum relinquit. Ea de causa, « Cadent, a latere » tuo mille, et decem millia a dextris tuis [1], » ad te autem ne plaga quidem cujusquam hostis appropinquabit, quoniam angelis suis mandabit de te.

VI. « Gustate et videte quoniam suavis est Dominus[2]. » Multis in locis observavimus facultates animæ iisdem nominibus atque externa membra appellari. Cum autem Dominus noster panis verus sit, et ejus caro verus cibus ;

[1] Psal. xx, 7. — [2] Ibid. xxxiii, 9.

necesse est voluptatem lætitiæ panis per gustum spiritualem in nobis gigni. Quemadmodum mellis natura non æque sermone, ac ipso gustus sensu exhiberi inexpertis potest : sic neque cœlestis verbi bonitas documentis clare exponi potest, nisi, dogmatibus veritatis diutius examinatis, bonitatem Domini possimus nostra ipsorum experientia apprehendere. « Gustate autem , » inquit non autem impleamini. Nam nunc quidem ex parte cognoscimus[1], et per speculum ac per ænigma videmus veritatem. Veniet autem tempus cum præsens arrhabo, et hic gratiæ gustus ad perfectam fruitionem nobis vertetur. Ut enim ii qui stomacho laborant, nauseantque aversantes cibos, ab hac molesta affectione curantur a medicis, si appetentiam excitent per quemdam ciborum apparatum ; adeo ut sensu per illam condituram irritato, appetentia magis ac magis semper augeatur : ita et in verbo veritatis, ipsa, inquit, experientia ad insatiabilem appetitum vos semper provocabit. Idcirco ait : « Gustate, » ut beati sitis semper esurientes sitientesque justitiam. « Beatus vir qui » sperat in eum[2]. » Qui jugiter verbi desiderio tenetur, in nulla re alia quam in Domino spem reponet. « Timete » Dominum omnes sancti ejus, quoniam non est inopia » timentibus eum[3]. » Nisi timor instituerit vitam nostram, sanctimonia in corpore comparari non potest. « Con- » fige, » inquit, « timore tuo carnes meas [4]. » Quemadmodum enim qui clavis transfixi sunt, membra corporis ad agendum immobilia habent : sic quorum anima divino timore correpta est, ii omnem perturbationem ex peccati affectionibus provenientem vitant. Timenti itaque non est inopia, hoc est, qui per timorem ab omni indecora et absurda actione arcetur, ei nihil deest ad quamlibet virtutem, sed perfectus est, nullo bono humanæ naturæ

[1] 1 Cor. XIII, 12. — [2] Psal. XXXIII, 9. — [3] Ibid. 10. — [4] Ibid. CXVIII, 120.

convenienti destitutus. Ut enim perfectus in corpore non est, cui aliqua pars necessaria desit, sed imperfectus est secundum eam quæ deest partem : ita etiam qui vel unum præceptum aspernatur, propterea quod eo caret, imperfectus est juxta id quod deficit. Contra, qui perfectum timorem suscepit, ac omnia timet circumspecto metu, nihil peccabit, cum nihil contemnat. Inopiam autem non experietur, quoniam perpetuo ei adest timor in omnibus.

VII « Divites eguerunt et esurierunt, inquirentes » autem Dominum non minuentur omni bono[1]. » Hic sermo abundantiæ pecuniariæ inconstantiam edocens, nos etiam ad corporales divitias spernendas ædificet. Nam facile dilabuntur divitiæ, et instar undæ vi ventorum huc illuc solent diffluere. Aut forte etiam divitem dicit populum Israëliticum, quorum est adoptio ac divinus cultus, quorum sunt promissiones, ex quibus sunt patres. Hi itaque ob peccatum in Dominum admissum eguerunt. Qui vero illorum loco inquisierunt Dominum, non minuentur omni bono. Eguerunt autem quodammodo et esurierunt. Postquam enim panem vitæ interfecerunt, venit super ipsos fames panis : et postquam fonti aquæ vivæ struxere insidias, accessit ad illos sitis, ac supplicium sitis ipsos invasit : fames autem non panis sensibilis, neque sitis aquæ, sed fames audiendi verbum Domini. « Eguerunt itaque et esurierunt. » At vero qui ex gentibus Dominum inquirere didicerunt, non minuentur ullo bono. Perfectum omnino bonum Deus ipse est, quo non minuentur quotquot exquirunt ipsum. Non enim mihi quispiam ineruditus, qui perversum de bono ac malo judicium ferat, bonum nominet eum, qui voluptatem temporariam atque una cum corporis corruptione trans-

[1] Psal. XXXIII, 11.

euntem habet. Qui enim corporeas opes et prærogativas corporales in boni ordinem redigit, is reverendum et soli Deo conveniens nomen ad res viles et nullius momenti transfert, et simul in contrarietatem incidet gravissimam. Aut enim dicet Apostolos, propterea quod non inquisierunt Dominum, assecutos non esse corporalia bona : aut si eum inquirentes, talia bona non compararunt, Scripturam ipsam accusabit, qui dicit eos qui Dominum inquirunt, bono nullo destitui. Sed et inquisierunt sancti Dominum, et comprehensione ejus qui inquisitus est, non caruerunt, neque bonis in æterna requie repositis sunt spoliati. Siquidem de illis bonis dici proprie possit illud, « omni bono. » Nam corporeæ voluptates plus molestiæ quam jucunditatis habent. Procreant enim nuptiæ sterilitatem, viduitatem, stupra; agricultura infœcunditatem; mercatura naufragia; divitiæ insidias, deliciæ satietasque et assiduæ voluptates morbos varios ac diversa affectionum genera. Paulus utique et inquirebat Dominum, et nihil ei defuit bonorum. Verum quis corporis molestias, in quibus per totam suam vitam vixit, annumeraret[1]? Ter virgis cæsus est, semel est lapidatus, ter naufragium fecit, noctem ac diem in profundo egit, in itineribus sæpe, in fame et siti, et jejuniis sæpe, in labore et ærumna, in necessitatibus sæpe[2]. Usque ad extremam horam et esuriens homo, et sitiens, et nudus ac colaphis cæsus, quomodo non minuebatur corporalibus bonis? Evehe igitur, quæso, mentem ad id quod vere bonum est, ut et Scripturæ consensionem intelligas, et ne conjicias te in ullam sententiæ ambiguitatem.

VIII. « Venite filii, audite me, timorem Domini docebo » vos[3] » Benevoli magistri vox est, ad disciplinam paterna commiseratione invitantis. Etenim discipulus filius spiri-

[1] 2 Cor. XI, 25. — [2] 1 Ibid. IV, 11. — [3] Psal. XXXIII, 12.

tualis est magistri. Qui enim ab aliquo conformationem pietatis suscipit, is velut informatur ab ipso, et compingitur, perinde ut a prægnante infantes, qui in ea formantur. Unde etiam Paulus totam Galatarum ecclesiam, a prioribus disciplinis dilapsam, et quasi abortivam iterum suscitans, ac denuo in illis Christum formans, filios appellabat : et quoniam collapsos cum dolore et angustia emendabat, spiritu parturire se dixit, ob conceptam de lapsis tristitiam. « Filioli mei, quos iterum » parturio, donec formetur in vobis Christus. Venite » igitur filii audite me[1]. » Quid tandem nos spiritualis noster pater docere vult? « Timorem Domini, » inquit, « docebo vos. » Postquam superius jussit Dominum timere, lucrumque quod ex timore percipitur, ostendit his verbis : « Quoniam non est inopia timentibus eum, » tum demum nobis tradit aliquam divini timoris doctrinam. Nam quod recte valere oporteat, cujuslibet vel idiotæ fuerit dicere : quomodo vero comparanda sanitas sit, illud jam proprium est illius, qui artem medicam novit. Non enim quivis timor bonus est aut salutaris. Imo est etiam quidam hostilis timor, quem deprecatur Propheta, ne ipsius animæ accedat, dicens : « A timore » inimico eripe animam meam[2]. » Inimicus enim timor est, qui nobis parit mortis metum, nobisque, ut personarum dignitates formidemus, suadet. Quomodo enim qui isthæc metuit, poterit tempore martyrii ad mortem usque peccato resistere, ac Domino qui pro nobis mortuus est et resurrexit, debitum exolvere? Et qui a dæmonibus facile perterretur, in se ipso inimicum timorem habet. Et uno verbo, hujusmodi timor perturbatio quædam ex incredulitate prognata videtur esse. Nemo enim qui sibi adesse credit fortem auxiliatorem, timet aliquem eorum,

[1] Gal. IV, 19. — [2] Psal. LXIII, 2.

qui ipsum conturbare conantur. Timor autem qui salutaris est, et timor qui confert sanctitatem, timor qui de industria, et non secundum affectionem animo accidit, vis exponam qualis sit? Ad aliquod peccatum impelli te cum videris, horrendum illud et intolerabile Christi tribunal, quæso, cogita : in quo præsidet quidem judex in alto quodam et sublimi throno, omnis vero creatura ob gloriosum ejus conspectum contremiscens astat; imo vero futurum est ut singuli adducamur, eorum quæ in in vita egerimus examen subituri. Deinde ei qui multa mala per vitam perpetraverit, horribiles quidam ac morosi angeli assident, ignem ex oculis emittentes, ignem spirantes, propter animi acerbitatem, nocti vultu similes, ob faciei tetricitatem et hominum odium. Postea animo tibi fingas barathrum profundum, tenebras impenetrabiles, ignem splendoris expertem, vim quidem urendi in tenebris habentem, sed luce destitutum : subinde vermium quoddam genus venenatum ac carnivorum, edens insatiabiliter, nec unquam exsatiatum, intolerabiles dolores morsibus inducens : postremo supplicium omnium gravissimum, probrum illud et dedecus sempiternum. Hæc time, et hoc timore eruditus, quasi freno quodam a pravis concupiscentiis tuam cohibe animam. Hunc Domini timorem docturum se nos pater ille promisit, non indiscriminatim quidem docturum, sed eos, qui ei auscultare volunt, non eos qui procul lapsi sunt, sed eos, qui propter salutis desiderium accurrunt : non « extraneos a » testamentis[1], » sed eos, qui ex baptismate verbo adoptionis ei conjuncti sunt. Propterea, inquit, venite, hoc est, per bona opera appropinquate ad me, filii, digni habiti, qui per regenerationem filii lucis essetis. Audite vos, qui aures cordis habetis apertas; timorem Domini

[1] Ephes. II, 12.

docebo vos, eum videlicet quem vobis aliquanto ante descripsimus.

IX. « Quis est homo qui vult vitam, diligens dies » videre bonos[1]. » Si quis, inquit, vult vitam, non communem hanc, quam et bruta vivunt, sed eam quæ vere vita est, et morte non dirimitur. Nunc « enim, inquit. « morimini, et vita vestra est abscondita cum Christo in » Deo : cum vero Christus apparuerit, vita nostra; tunc » et vos apparebitis cum ipso in gloria[2]. » Igitur vere vita est Christus, et nostra in ipso conversatio vita vera est. Similiter autem et dies alii sunt boni, quos in promissione proponit Propheta. « Quis est homo qui vult » vitam, diligens dies videre bonos? » Dies enim hujus sæculi, mali sunt : siquidem et hoc sæculum, mensura cum sit mundi, de quo dictum est : « Mundus totus in » maligno positus est[3], » naturæ mundi quem dimetitur, assimilatur. Hi autem dies partes sunt hujus temporis. Quapropter dicit Apostolus : « Redimentes tempus quo- » niam dies mali sunt[4]. » Itemque Jacob : « Dies, » inquit, « annorum meorum pauci et mali sunt[5]. » Itaque nunc in vita non sumus, sed in morte. Idcirco etiam orabat Apostolus, dicens : « Quis me liberabit de corpore » mortis hujus[6]? » Alia autem quædam vita est, ad quam vocant nos isthæc verba; et nunc quidem dies nostri mali sunt, alii vero quidam sunt boni, quos nox non intercidit. Erit enim Deus ipsorum lux sempiterna, eos gloriæ suæ luce illustrans. Ne igitur cum audieris dies bonos, præsentem istam vitam existimes tibi proponi in promissionibus. Nam quos dies sol sensibilis peragit, ii sunt caduci : nihil autem caducum poterit esse conveniens donum corruptionis experti. Etenim si anima

[1] Psal. xxxiii, 13. — [2] Col. iii, 3. — [3] Joan. v, 19. — [4] Ephes. v, 16. — [5] Gen. xlvii, 9. — [6] Rom. vii, 24.

corruptioni nequaquam obnoxia est, nec etiam corruptioni obnoxia fuerint ipsius dona[1]. « Præterit autem » figura hujus mundi[2]. » Quod si lex umbram habet futurorum bonorum, effingas velim animo sabbata quædam jucunda, sancta, ex æternis diebus conflata, nascentes lunas, festa : sed intellige ita, ut legem spiritualem decet. « Prohibe linguam tuam a malo, et labia » tua ne loquantur dolum[3]. » Si vis in diebus esse bonis, si diligis vitam, præceptum vitæ perfice. Qui enim, inquit, diligit me, præcepta mea servabit[4]. Primum autem præceptum est, prohibere linguam a malo, et labia, ne loquantur dolum. Peccatum enim quod per linguam admittitur, omnium fere familiarissimum est, atque multiplicem formam habet. Iratus es? jam lingua præcurrit. Concupiscis? etiam ante omnia linguam habes quasi quamdam lenam et conciliatricem, peccati adjutricem, ac verborum lenocinio proximos subducentem. Quin etiam lingua armorum loco tibi est ad iniquitatem, cum ex corde non loquitur, sed fraudulenta proponit. Et quid opus est verbis persequi omnia linguæ peccata? Vita nostra referta est linguæ delictis. Verba obscena, scurrilitas, stultiloquium, alia non convenientia, obtrectationes, otiosus sermo, perjuria, falsa testimonia, omnia hæc mala, et his adhuc plura, linguæ sunt opificia. Qui vero adversus Dei gloriam os aperiunt, et iniquitatem in excelsum effutiunt, per quid aliud nisi per linguæ instrumentum impietatem perficiunt? Quoniam igitur « ex tuis » verbis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis[5], » prohibe linguam tuam a malo, nec thesauros lingua mendaci efficias vanos. Insuperque prohibe labia tua, ne loquantur dolum : hoc est, totum organum ad sermonis

[1] 1 Cor. VII, 31. — [2] Col. II, 17. — [3] Psal. XXXIII, 14. — [4] Joan. XIV, 23. — [5] Matth. XII, 37.

munus tibi concessum, a prava operatione coërceas. Est autem dolus occultum maleficium, sub officiorum specie proximo illatum.

X. « Declina a malo, et fac bonum. Inquire pacem, « et persequere eam[1]. » Elementariæ sunt hæ admonitiones, et ad pietatem introducunt : quibus edocemur linguam diligenter continere, a dolosis insidiis abstinere, a malo declinare. Non enim perfecto convenit abstinentia mali : sed eum qui recens elementis instituitur, ab illo in malum impetu resilire operæ pretium est, atque a pravæ vitæ consuetudine velut a via mala discedentem, ita demum bonorum operum exercitium aggredi. Enimvero nisi quis prius omnino desciverit ac declinaverit a malo, bonum assequi non potest : sicuti fieri non potest ut quis sanitatem recuperet, nisi depulsus morbus sit : vel ut quis calefiat, nisi plane sedatum sit frigus, neque enim hæc simul consistere possunt. Similiter et qui bonam vitam agere cupit, eum par est ab omni mali consortio recedere. « Inquire « pacem, et persequere eam. » De hac dixit Dominus : « Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, « non quomodo mundus dat pacem, ego do vobis[2]. » Inquire igitur pacem Domini, et persequere eam. Persequeris autem non aliter, quam currens secundum scopum ad bravium supernæ vocationis. Pax enim vera in supernis existit. Etenim quamdiu ad carnem astricti sumus, multis, iisque perturbationem nobis creantibus, sumus conjuncti. Inquire igitur pacem, solutionem videlicet a mundi tumultibus : compara mentem quietam, tranquillum quemdam et imperturbatum animi statum, qui neque cupiditatibus agitetur, neque huc illuc a falsis dogmatibus per verisimilitudinem ad

[1] Psal. XXXIII, 15. — [2] Joan. XIV, 27.

assensum invitantibus, trahatur, Dei ut pacem consequare, quæ omnem exsuperat intellectum, tuumque cor custodit[1]. Qui quærit pacem, Christum inquirit[2]: quia ipse est pax nostra : qui duos in unum novum hominem condidit, faciens pacem, atque per sanguinem crucis suæ, sive quæ in cœlis, sive quæ in terra sunt, pacificans[3].

XI. « Oculi Domini super justos, et aures ejus in « preces eorum[4]. » Quemadmodum sancti corpus sunt Christi, et membra ex parte[5] : et posuit Deus in Ecclesia quosdam quidem ut oculos, quosdam vero ut linguas, alios qui manuum, alios qui pedum vicem obtineant : sic etiam sanctæ virtutes spirituales, et in cœlesti loco diversantes, aliæ dicuntur oculi, quod concreditum eis sit munus nos inspiciendi, aliæ aures, quod nostras preces excipiant. Nunc igitur potentiam quæ nos inspicit, et potentiam quæ preces suscipit, oculos dixit et aures. « Oculi igitur Domini super justos, « et aures ejus in preces eorum. » Quoniam omnis justi actio digna est quæ a Deo inspiciatur, et omne verbum, cum nihil otiose a justo dicatur, actuosum est et efficax, idcirco justum semper conspici et semper exaudiri hæc illa verba docent. « Vultus autem Domini « super facientes mala, ut perdat de terra memoriam « eorum[6]. » Arbitror apertum ac conspicuum Domini ad judicium adventum dici vultum. Quapropter et oculi Domini, velut adhuc eminus nos inspicientis, justum intueri dicuntur; ipse autem vultus dicitur appariturus, ad omnem iniquitatis memoriam de terra delendam. Cave enim cogites Dei vultum corporali specie esse conformatum. Alioquin ita quoque absurdum videbi-

[1] Philip. IV, 7. — [2] Ephes. II, 14. — [3] Colos. I, 10. — [4] Psal. XXXIII, 16. — [5] I Cor. XII, 17. — [6] Psal. XXXIII, 17.

tur quod Scriptura dixit, seorsum quidem oculos esse qui justo affulgeant, seorsum vero vultum, qui in malos intentus sit. Et vero neque oculi sine vultu sunt, neque vultus expers est oculorum[1]. Homo igitur non videbit faciem Domini, et vivet : Angeli vero eorum qui in Ecclesia pusilli sunt, semper vident faciem patris nostri, qui in cœlis est. Quare nunc quidem fieri non potest, ut nos, gloriosæ visionis aspectum, ob carnis debilitatem nos circumdantem, apprehendamus : Angeli vero, quod nullum tale velamentum habent carni nostræ consimile, re nulla impediuntur quominus faciem gloriæ Dei jugiter contemplentur. Quare et nos posteaquam filii facti fuerimus resurrectionis, tunc ea quæ est facie ad faciem cognitione dignabimur. Tunc enim justi conspectum quidem vultus in exultatione consequentur : peccatores vero in judicio; cum futurum sit, ut peccatum omne justa Dei sententia exterminetur.

XII. « Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos, « et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos[2]. » Spiritalis est justorum clamor, in occulto cordis recessu vocem altam edens, qui ad ipsas etiam Dei aures queat pertingere. Qui enim magna petit, apprecaturque cœlestia, is clamat; et preces quæ exaudiantur ad Deum transmittit. Clamaverunt itaque justi; nihil abjectum, nihil terrenum , nihil humile inquisierunt. Propterea vocem ipsorum suscepit Dominus, et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. Tamen non tam eos a rebus adversis liberavit, quam eos eventorum victores effecit. « Prope est Dominus iis qui contrito « sunt corde, et humiles spiritu salvabit[3]. » Sua ipsius bonitate omnibus appropinquat Dominus : nos vero removemus nosmetipsos per peccatum. « Ecce enim, »

[1] Exod. xxxiii, 20. — [2] Psal. xxxiii, 18. — [3] Ibid. 19.

inquit, « qui elongant se abs te, peribunt[1]. » Quapropter Moyses Deo appropinquare dicitur[2], et si quis alius ei similis est, per præclara facinora et actiones bonas Deo prope accedit. Hæc autem verba prophetiam adventus Domini palam continent, consentiuntque cum prioribus. Illic enim dicebatur : « Vultus » Domini super facientes mala : » hoc est, ejus in judicio conspectus ad disperdendam omnem iniquitatem fiet : hîc vero, « Prope est Dominus iis qui contrito » sunt corde. » Domini in carne adventum prænuntiat, appropinquantem jam, et non procul distantem. Atque hujus rei faciat tibi fidem prophetia Esaiæ : « Spi» ritus » enim « Domini super me : propter quod unxit » me : evangelizare pauperibus misit me, sanare contri» tos corde, prædicare captivis remissionem, et cæcis » visum[3]. » Cum enim medicus mitteretur contritis corde, « Prope, » inquit, « Dominus est : » vobis dico qui humiles estis, quique fastum vestrum contrivistis, vos simul lætificaturus, et per gaudium rerum futurarum ad tolerantiam inducturus. Contritio autem cordis, extirpatio est humanarum cogitationum. Qui præsentia contempsit, ac se ipse Dei addixit verbo, mentemque suam ad eas cogitationes quæ hominem superant, ac magis divinæ sunt, appulit, is utique fuerit qui contritum cor habet, quique suum cor sacrificium quod a Domino non despicitur, effecit. « Cor enim contri» tum et humiliatum Deus non despiciet[4]. Prope est » igitur Dominus contritis corde, et humiles spiritu » salvabit. » Qui nihil habet elationis, neque ob ullam rem humanam superbit, hic et contritus est corde, et humilis spiritu. Est quidem humilis et is, qui in peccato ambulat, cum peccatum omnium maxime humi-

[1] Psal. LXXII, 27. — [2] Exod. XXIV, 2.— [3] Esai. LXI, 1. — [4] Psal. L, 19.

lem reddat. Hinc dicimus humiliatam esse et eam, quæ corrupta est, ac virginitatis sanctimoniam amisit. Sic Amnon, inquit, vim Thamar inferens humiliavit ipsam[1]. Quicumque igitur altitudinem ac sublimitatem animi amisere, per peccatum in terram dejecti, et quasi prostrati, non aliter gradientes quam serpentes, decumbunt; cumque iidem nullo modo surrigere se possint, humiliati sunt quidem, non tamen spiritu. Non enim laudabilis est illorum humilitas. Qui vero habent Spiritus sancti gratiam, haud inviti se ipsos humiliant, subjiciuntque inferioribus : quippe qui juxta Apostolum dicant esse se quorumvis qui in Christo sunt servos, et omnium rejectamentum ad hunc usque diem[2]. Et iterum : « Tanquam purgamenta mundi facti sumus[3]. » Qui secundum spiritum humilitate utuntur, sese omnium faciunt postremos, ut primi in regno cœlorum fiant. Hos prædicat quoque beatos Dominus, dicens : « Beati « pauperes spiritu[4]. Multæ tribulationes justorum, et ex « omnibus his liberabit eos Dominus[5]. In omnibus, » inquit, « tribulationem patimur, sed non angustia- » mur[6]. Propterea etiam Dominus ait discipulis suis : « In mundo pressuram habetis, sed confidite, ego vici « mundum[7]. » Quare si quando videris justos in morbis, in corporis detruncationibus, in propriorum amissione, in plagis, in ignominiis, in omni inopia ac rerum necessariarum egestate detineri, memor fueris quod « multæ sunt tribulationes justorum, et quod « ex omnibus his liberabit eos Dominus. » Qui autem dicit justo non convenire tribulationem; nihil aliud dicit nisi athletæ non congruere adversarium. Sed athletæ non decertanti, quæ erunt occasiones corona-

[1] Reg. XIII, 22. — [2] 2 Cor. IV, 5. — [3] 1 Ibid. IV, 13. — [4] Matth. V, 3. — [5] Psal. XXXII, 20. — [6] 2 Ibid. IV, 8. — [7] Joan. XVI, 33.

rum? Jam vero quater in hoc psalmo dicitur, qua ratione eos quos Dominus liberare vult, a tribulatione liberet. Primum enim : « Exquisivi Dominum, et exaudivit me, et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. » Secundo, « Hic pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum, et ex omnibus tribulationibus ejus salvavit eum. » Tertio, « Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos, et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. » Postremo, « Multæ tribulationes justorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus. »

XIII. « Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur[1]. » Num in littera hærere oportet, et ea notione quæ statim auditui nostro illabitur, contentum esse, quod videlicet isthæc justorum ossa, carnis fulcra, non conterentur ob datam sibi a Domino custodiam? Et utrum justi ossa, quamdiu vivet solum, et in vita diversabitur, custodientur a fractura omni illæsa? An justo etiam corporis vinculo exsoluto nulla fracturæ causa futura sit? Atqui experientia didicimus multa ossa justorum, qui sese quibusvis suppliciorum generibus pro dato de Christo testimonio tradidere, contrita atque comminuta fuisse. Jam enim et quorumdam crura confregerunt persecutores, atque manus ac capita clavis sæpe transfixerunt. Et tamen quis contradicens affirmarit eos qui martyrio consummati sunt, non omnium esse justissimos? Sed fortassis quemadmodum homo dicitur, hoc est, anima et mens humana : ita et ipsius membra eodem nomine ac corporis partes vocantur. Nam sæpe interioris hominis membra Scriptura nominat, ut cum dicit : « Sapientis oculi in capite ejus[2], » hoc est, occulta et recondita sapientis pars,

[1] Psal. XXXIII, 21. — [2] Eccl. II, 14.

provida est et circumspecta. Et rursus tum animæ tum carnis oculos similiter dicit, non solum in ea quam attulimus sententia, sed etiam ubi ait, Præceptum Domini lucidum esse, et illuminans oculos[1]. Quid vero oportet dicere de hoc : « Qui habet aures audiendi, « audiat[2] ? » Compertum est enim et perspectum, aliquibus inesse aures meliores præstantioresque, quæ Dei possint verba audire. Ad eos autem qui non habent illas aures, quid dicit? « Surdi audite, et cæci suspi« cite[3]. » Item : « Os meum aperui, et attraxi spi« ritum[4]. » Et, « Dentes, peccatorum contrivisti[5]. » Nam hæc omnia de iis dicta sunt facultatibus, quæ spiritali alimoniæ ac doctrinæ spiritali inserviunt. Tale est et illud : « Ventrem meum doleo[6]. » Et, « Pes justi « non impinget[7]. » Omnia enim talia de interiori homine relata sunt. Jam vero juxta eamdem rationem fuerint etiam quædam hominis interni ossa, quibus colligatio harmoniaque facultatum animæ continetur. Et quemadmodum ossa firmitate propria communiunt carnium teneritudinem : sic et in Ecclesia sunt quidam, qui ob constantiam suam debilium imbecillitates ferre possunt. Et ut inter se connectuntur ossa, cum per nervos et colligationes per artuum commissuras inter se adhærescunt : ita quoque fuerit caritatis et pacis vinculum, concretionem quamdam et conjunctionem spiritualium ossium in Dei Ecclesia efficiens. De ejusmodi ossibus ab harmonia solutis, et velut luxatis, dicit Propheta : « Dissipata sunt ossa nostra secus infernum[8]. » Atque si unquam hæc ossa conturbatio conquassatioque apprehenderit, orans ait : « Sana me Domine, « quoniam conturbata sunt ossa mea[9]. » Ubi vero har-

[1] Psal. XVIII, 9.— [2] Luc. VIII, 8.— [3] Esai. XLII, 18. — [4] Psal. CXVIII, 131. — [5] Ibid. III, 8. — [6] Jerem. IV, 19. — [7] Prov. III, 23. — [8] Psal. CXL, 8. — [9] Ibid. VI, 3.

moniam propriam servaverint, a Domino custodita, ne unum quidem ex his conteretur, sed digna sunt, quæ Deo gloriam referant. « Omnia enim, » inquit, « ossa « mea dicent : Domine, Domine, quis similis tibi[1] ? » Vidisti rationalium ossium naturam ? Fortassis autem Ecclesia possit dicere illud, « Omnia ossa mea dicent, » secundum resurrectionis mysterium. « Hæc enim, » inquit, « dicit Dominus ossibus his : ecce ego fero in « vos spiritum vitæ, et dabo super vos nervos, et redu- « cam super vos carnes, et vivetis, et cognoscetis quod « ego sum Dominus[2]. » Hæc itaque ossa, resumpta vita, resurrectionis eorum auctori gratias persolventia, dicent: « Domine, Domine, quis similis tibi? »

XIV. Accurate adjectum est : « Mors peccatorum » mala[3]. » Nam est quædam mors justorum, natura non mala, sed bona. Qui enim Christo commoriuntur, in bona morte versantur : et qui mortui sunt peccato, bona ac salutari morte mortui sunt. At vero peccatorum mors mala est. Excipit enim illos supplicium, juxta atque divitem purpura et bysso indutum, et singulis diebus splendide epulantem[4]. « Et qui oderunt justum, delin- « quent. » Qui quod in delictis vivunt, odio habent justum : quippe moribus justi tanquam regulæ rectitudine isti ita redarguuntur, melioris scilicet comparatione. Et quoniam in peccatis vivunt, odio prosequuntur justum, propter objurgationum timorem : et quia oderunt, iterum sese peccatis involvunt. Multæ enim sunt causæ, ob quas justus odio habeatur, nimirum illa redarguendi libertas. Odio enim habent redarguentem in portis, et sermonem sanctum abominantur. Ambitio item prioris loci, principatusque cupiditas, multorum odia in præs-

[1] Psal. XXXIV, 10. — [2] Ezechiel XXXVII, 5. — [3] Psal. XXXIII, 22. — [4] Luc. XVI, 19.

tantiores concitarunt. Non nunquam etiam illa ignoratio quæ sit justitiæ ratio, et quis justus. « Mors peccatorum » mala. » Aut etiam vitam omnem, mortem appellat, quod carnem hanc Apostolus mortem vocavit, dicens : « Quis me liberabit de corpore mortis hujus[1]? » Qui autem hoc corpore male utuntur, efficiuntque ut peccato omni inserviat, malam sibi mortem præparant. « Redimet Dominus animas servorum suorum, et non » delinquent omnes qui sperant in eo[2]. » Quandoquidem ii qui ideo creati erant ut Domino servirent, sub inimici servitute detinebantur, illorum animas pretioso suo sanguine redimet. Quapropter nullus eorum qui in ipsum sperant, in delictis versabitur.

HOMILIA VIII.

IN PSALMUM XLIV.

In finem pro iis qui immutabuntur, filiis Core ad intellectum, Canticum pro dilecto.

I. Videtur et hic psalmus ad perficiendam naturam humanam idoneus esse[3], atque iis qui secundum virtutem vivere statuerunt ad propositum finem assequendum utilis. Nam proficientibus opus est doctrina ad perfectionem, quam hic psalmus exhibet, comparandam. Ejus autem inscriptio hæc est, « In finem pro iis » qui immutabuntur. » Tecte autem dixit, « pro homi-

[1] Rom. vii, 24. — [2] Psal. xxxiii, 23. — [3] Vide D. Guillon tom. vii, 175-180.

» nibus. » Nos enim maxime omnium rationalium, varietatibus ac mutationibus diebus singulis ac fere horis subjicimur. Neque enim corpore neque mente iidem nos sumus. Sed corpus quidem nostrum semper fluxum ac dissipationi obnoxium in motu ac mutatione versatur, aut ex parvo majus factum, aut ex perfecto ad minorem molem contractum. Non enim puer qui jam scholam petit, et ad artes ac disciplinas percipiendas idoneus invenitur, idem est ac ille qui nuper natus est infans. Alius autem rursus ab illo est sine dubio ephebus, qui jam juveniles exercitationes experiri potest. Atque ab ephebo alius est vir, et firmitate et magnitudine corporis, et rationis perfectione. Cum autem ad vigorem pervenerit, atque ætatis stabilitatem fuerit consecutus, iterum paulatim minui incipit, diffluente sensim corporis ipsius vigore, atque corporeis viribus decrescentibus; donec præ senectute incurvatus, ultimam virium detractionem perpetiatur. Nos ergo sumus qui mutamur; ac nos homines per hanc vocem hic psalmus sapienter significavit. Non enim mutationem admittunt angeli. Nullus enim inter illos puer est, nullus adolescens, senex nullus : sed in quo statu ab initio creati sunt, in eo permanent; cum eorum substantia simplex et immutabilis conservetur. Nos autem mutamur, secundum corpus quidem, uti ostensum est; secundum animam vero et interiorem hominem, sententias una cum accidentibus rebus semper commutamus. Alii namque sumus dum lætamur, omniaque in vita nobis feliciter succedunt : alii vero calamitosis temporibus, cum in aliquas res adversas inciderimus. Immutamur et in ira, ferino quodam statu assumpto. Immutamur et in concupiscentiis, brutis similes effecti, per vitæ libidinem. Equi in fœminas furentes facti sunt ii, qui amore uxorum proximi insaniunt. Et dolosus quidem

vulpi comparatur, uti Herodes : impudens vero, canis vocatur, ut Nabal Carmelius. Vides varietatem ac immutationis nostræ diversitatem? Admirare igitur eum qui commode convenienterque hanc nobis appellationem aptavit.

II. Quare videtur mihi quidam interpres belle et apposite eamdem sententiam aliis verbis expressisse, dum « pro iis qui immutabuntur, » dixit, « pro liliis. » Florem videlicet cito marcescentem dignum putavit, qui naturæ humanæ fragilitati compararetur. Quoniam autem hæc vox ad futurum tempus inflectitur (dictum est enim : « pro his qui immutabuntur, » tanquam in posterum aliquando mutatio isthæc nobis declaranda sit :) consideremus num resurrectionis doctrinam nobis indicet, in qua mutatio nobis dabitur; immutatio autem in aliquid melius atque spirituale. « Nam seminatur, » inquit, « in corruptione, resurgit in incorruptibilitate[1]. » Perspicis mutationem? « Seminatur in infirmitate, resur- » git in potentia. Seminatur corpus animale, resurgit » corpus spirituale; » quo tempore etiam corporea omnis creatura nobiscum immutabitur. Enimvero cœli quoque « sicut vestimentum veterascent, et sicut oper- » torium mutabit eos Deus, et mutabuntur[2]. » Tunc et sol septuplo major se ipso erit, secundum Esaïam, et erit lunæ magnitudo, quæ nunc solis[3]. Quoniam autem non omnibus eloquia Dei scripta sunt, sed habentibus aures secundum interiorem hominem; inscriptionem posuit, « Pro iis qui immutabuntur, » nimirum, ut arbitror, pro iis qui sui ipsorum curam gerunt, quique per exercitia pietatis semper magis ac magis proficiunt. Hæc est enim optima immutatio, quam largitur altissimi dextera, quam etiam beatus David expertus est tum, cum degus-

[1] 1 Cor. xv, 42. — [2] Psal. ci, 27. — [3] Esai. xxx, 26.

tatis bonis virtutis, ad anteriora se extendit. Quid enim ait? « Et dixi, nunc cœpi : hæc mutatio dexteræ altis- » simi[1]. » Quare qui in virtute progressus facit, nunquam non immutatur. « Cum enim, » inquit, « essem » parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, » cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, » evacuavi quæ erant parvuli[2]. » Et iterum cum vir factus esset, finem agendi non fecit, sed ea « quæ a tergo » sunt obliviscens, et ad ea quæ a fronte sunt enitens, » juxta propositum insequebatur ad bravium supernæ » vocationis[3]. » Immutatio igitur est, cum internus homo de die in diem renovatur. Quoniam vero Propheta nuntiaturus nobis est ea, quæ spectant ad dilectum, qui dispensationem incarnationis pro nobis suscepit, pro iis qui isto digni sunt beneficio, hoc se cantici filiis Core edidisse ait. Canticum enim est, non psalmus : quippe nuda voce, organo non simul sonum edente, cum concinna vocis modulatione emissum est. Canticum autem pro dilecto. Tibine indicabo eum, quem Scriptura dicit dilectum? an etiam prius nosti quam enarrem, Evangelicæ vocis memor? « Hic est Filius meus dilectus » in quo mihi bene complacui, ipsum audite[4]. » Nam dilectus Patri quidem est ut Unigenitus; omni vero creaturæ ut pater benignus et bonus præses. Idem autem est natura et dilectum et bonum. Quapropter recte jam definierunt quidam, bonum esse quod omnia expetunt. Non autem cujuslibet est ad caritatis pervenire perfectionem, et eum agnoscere qui vere est dilectus : sed ejus, qui jam exuit veterem hominem, in desideriis erroris corruptum, induit vero novum, qui renovatur ad agnitionem secundum imaginem conditoris[5]. Etenim qui

[1] Psal. LXXVI, 11. — [2] 1 Cor. XIII, 11. — [3] Philip. III, 13. — [4] Matth. XVII, 5. — [5] Eph. IV, 22.

pecunias diligit, corporumque pulchritudinem perituram impotenter consectatur, et hanc præfert gloriolam, vi diligendi in iis in quibus non decebat, insumpta, is excæcatus est ad vere dilecti contemplationem. Ideo ait: « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex » tota anima tua, et ex tota mente tua[1]. » Verum illud, « ex tota, » nullam in alia partitionem admittit. Quantum enim dilectionis in hæc inferiora insumpseris, tantum tibi necessario deerit a toto. Quapropter pauci ex omnibus, amici Dei appellati sunt, quemadmodum litteris proditum est Moysen fuisse amicum : item Joannem. « Amicus enim, » inquit, « sponsi, stans gaudio gau» det[2] : » hoc est, qui stabilem et immobilem in Christum amorem habet, is dignus est ipsius amicitia. Idcirco etiam discipulis jam perfectis Dominus ait : « Non am» plius vos dico servos, sed amicos : quia servus nescit » quid faciat Dominus ejus[3]. » Perfecti igitur est vere dilectum cognoscere. Et revera soli amici Dei, et inter quos intercedit mutua amicitia, sancti sunt. Nemo autem improborum aut stultorum amicus est; neque enim amicitiæ bonum in pravum affectum cadit : quoniam nihil turpe aut inconcinnum in amicitiæ concordiam ingredi potest. Malum enim non bono solum, sed ipsum etiam sibi ipsi contrarium est. Jam vero ad verba psalmi expendenda progrediamur.

III. « Eructavit cor meum verbum bonum[4]. » Jam quidem nonnulli existimavere isthæc ex persona Patris de Verbo apud ipsum in principio existente dici : quod, inquiunt, velut ex corde et ex ipsis visceribus produxit; atque ex bono corde bonum verbum prodiit. Mihi vero videntur hæc ad Prophetæ personam referenda esse. Nam quæ hanc deinceps sententiam sequuntur, non amplius

[1] Marc. XII, 30. — [2] Joan. III, 29. — [3] Ibid. XV, 15. — [4] Psal. XLIV, 2.

æque planam exhibent nobis de Patre narrationem. Neque enim de sua ipsius lingua Pater dixerit : Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis : speciosus forma præ filiis hominum. Non enim pulchritudinis præstantiam ex humana comparatione mutuatur. Et progressus ait : Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. Non enim dixit, « Unxi te ego Deus, » sed, Unxit te Deus; adeo ut ex hoc constet aliam esse loquentem personam. Quæ igitur hæc est nisi Propheta ipse, qui afflatum Spiritus sancti in se diffusum recepit? « Eructavit » cor meum, » inquit, « verbum bonum. » Cum enim ructus flatus sit occultus, qui, bullis ob sumpti alimenti fervorem erumpentibus, sursum versus difflatur; qui nutritus est pane illo vivente, qui de cœlo descendit, datque vitam mundo, et omni verbo ex ore Dei prodeunte saturatus est, juxta consuetam Scripturæ tropologiam, anima, inquam, sacris enutrita disciplinis, convenientem eduliis ructum emittit. Quapropter cum spiritalis esset, optimusque cibus, Propheta verbum bonum eructat. Bonus enim homo ex bono cordis sui thesauro bonum profert[1]. Quæramus itaque et nos a verbo cibum, ad animarum nostrarum saturitatem. « Justus » enim, » inquit, « comedens implet animam suam[2], » ut pro ratione eorum quibus alimur, non vulgare, sed bonum verbum emittamus. Nam malus homo dogmatis pravis enutritus, ex corde pravum verbum eructat. Non vides qualia eructent ora hæreticorum, quam gravia, quam fetida, magnum quemdam morbum in intimo miserorum illorum pectore indicantia? Nam malus homo ex malo cordis sui thesauro profert malum. Ne igitur pruriens auribus[3], coacerves tibi magistros, qui visceribus tuis morbum inferre valeant, tibique pravorum verbo-

[1] Matth. XII, 35. — [2] Prov. XIII, 25. — [3] 2 Timoth. IV, 3.

rum ructum creare; ob quæ in die judicii condemnationem subiturus sis. « Ex verbis enim tuis, » inquit, » justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis[1]. Dico » ego opera mea regi. » Maxime adducit nos ut Prophetæ personam intelligamus, et hoc verbum : « dico » ego opera mea regi : » hoc est, confitebor judici, et accusatorem antevertam, per operum propriorum delationem. Ipsi enim mandatum accepimus, quod sic habet : « Dic tu primus iniquitates tuas, ut justificeris[2]. Lingua » mea calamus scribæ velociter scribentis. » Quemadmodum calamus instrumentum est scriptorium, quem periti cujusdam manus movet at formandos eorum quæ scribenda sunt caracteres : ita et justi lingua, Spiritu sancto eam movente, in credentium cordibus verba vitæ æternæ inscribit; non atramento tincta, sed Spiritu Dei vivi. Scriba igitur est Spiritus sanctus, quoniam sapiens est, et omnes docens; velociter vero scribens, quia velox est mentis motus. Cogitationes autem nobis inscribit Spiritus, « non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis car- » nalibus[3]. » Cæterum pro ratione latitudinis cordis, plura vel pauciora Spiritus cordibus inscribit : quæ aut manifesta sunt omnibus, aut obscuriora, secundum puritatis præparationem. Ob scriptorum vero celeritatem, jam totus terrarum orbis Evangelio repletus est. Quæ autem sequuntur, ea nobis visum est sumere e proprio principio, nec superioribus connectere, sed sequentibus adjungere. Illud enim, « Speciosus forma, » ad Dominum referri ducimus, persona commutata.

IV. « Speciosus forma præ filiis hominum. Diffusa est » gratia in labiis tuis[4]. » Inducunt autem nos in hanc sententiam et Aquila et Symmachus. Ille quidem cum dixit : « Pulchritudine exornatus es præ filiis homi-

[1] Matth. XII, 37. — [2] Esai. XLIII, 26. — [3] 2 Cor. III, 3. — [4] Psal. XLIV, 3.

» num : » Symmachus vero, « Pulchritudine pulcher es » præ filiis hominum. Speciosum » igitur « forma » Dominum appellat, cum aciem mentis intendisset in ejus divinitatem. Non enim carnis pulchritudinem laudat. « Vidimus enim eum, et non habebat speciem, neque » decorem : sed species ejus inhonorata, deficiens præ » filiis hominum[1]. » Proinde palam est Prophetam, ubi claritatem ejus inspexisset, essetque splendore illinc proficiscente repletus, et præ pulchritudine illa animo perculsus, ad divinum spiritualis pulchritudinis amorem permotum esse : qua animæ humanæ affulgente, omnia quæcumque prius diligebantur, turpia esse videntur atque abominanda. Quapropter etiam Paulus simul ut vidit speciosum illum forma, omnia duxit pro stercoribus, ut Christum lucrifaceret[2]. Qui quidem externi sunt et alieni a verbo veritatis, simplicitate dictionis Scripturarum contempta, Evangelii prædicationem, stultitiam nominant : nos vero qui in cruce Christi gloriamur, quibus manifestata sunt per Spiritum ea, quæ donata sunt nobis a Deo, non in doctis humanæ sapientiæ verbis[3], novimus gratiam eam quæ a Deo in traditis de Christo doctrinis diffusa fuit, divitem esse. Quamobrem brevi tempore in universum prope terrarum orbem illa prædicatio pervenit, propterea quod dives et abundans gratia effusa est in Evangelii præcones, quos etiam Christi labia Scriptura nominavit. Quapropter Evangelii prædicatio in contemptibilibus dictiunculis vim multam habet persuadendi et ad salutem illiciendi. Et anima omnis immobilibus dogmatis subacta est, per gratiam in inconcussa in Christum fide confirmata ; unde ait Apostolus : « Per quem accepimus gratiam et apostolatum, ut obe- » diatur fidei[4]. » Et rursus : « Abundantius illis omni-

[1]Esai. LIII, 3. — [2]Phil. III, 8. — [3]1 Cor. II, 12. — [4]Rom. I, 5.

» bus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei, quæ » est mecum [1]. »

V. « Diffusa est gratia in labiis tuis : propterea benedixit te Deus in æternum. » Scriptum est in Evangelio, quod « mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant » de ore ipsius [2]. » Quamobrem significanter multitudinem gratiæ verborum Domini nostri ostendere volens psalmus, « Diffusa est, » inquit, « gratia in labiis tuis, » ob gratiæ quæ in sermone est exuberantem copiam. « Benedixit te Deus, » inquit, « in æternum. » Palam est autem hæc ad humanitatem referri, quatenus proficit « sapientia, et ætate et gratia [3] : » secundum quam, intelligimus gratiam quoque ceu præclarorum facinorum præmium ei datam fuisse. Hujus autem simile est illud : « Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem, propterea » unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus » tuis. » Cui affine est et illud, Philippensibus a Paulo scriptum : « Humiliavit semetipsum factus obediens usque » ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus » exaltavit illum [4]. » Quare liquet isthæc de Salvatore ut homine dici : aut quoniam Ecclesia corpus est Domini, et ipse caput Ecclesiæ : quemadmodum cœlestis verbi ministros labia esse Christi diximus, uti erat Paulus in se ipso habens Christum loquentem, et si quis illi par virtute est [5] : sic etiam reliqua corporis Christi membra sumus quotquot credidimus. Si quis ergo datam Ecclesiæ benedictionem ad Dominum retulerit, is neutiquam aberraverit. Illud itaque, « Benedixit te Deus, » id est membra tua, et corpus tuum implevit bonis suis « in æter- » num, » hoc est, in infinitum. « Accingere gladio tuo » super femur tuum, potentissime [6]. Specie tua et pul-

[1] 2 Cor. xv, 10. — [2] Luc. iv, 22. — [3] Ibid. ii, 52. — [4] Philip. ii, 8. — [5] 2 Cor. xiii, 3. — [6] Psal. xliv, 4.

» chritudine tua. » Arbitramur itaque illud tropice referri ad vivum sermonem Dei, ut carni conjungatur : qui est « efficax et penetrantior omni gladio ancipiti, et » pertingens usque ad divisionem animæ simul ac spiri- » tus : compagumque et medullarum, et discretor cogi- » tationum et intentionum cordis [1]. » Femur enim, actionis ad generationem pertinentis symbolum est. « Hæ enim, » inquit, « animæ, quæ egressæ sunt de » femore Jacob [2]. » Quemadmodum igitur vita est, et via, et panis, et vitis, et vera lux, atque aliis innumeris modis Dominus noster Jesus Christus nominatur : sic et gladius partem animæ affectui inservientem dividens, et motus concupiscentiæ mortificans. Deinde quia Deus Verbum sese carnis infirmitati conjuncturus erat, pulchre additur, « potentissime; » quippe illud est potentiæ maximæ argumentum, posse Deum in humana natura esse. Nam cœli ac terræ conformatio, et maris et aëris et maximorum elementorum generatio, et si quid supra mundum, aut si quid subtus terram intelligitur, non tam Dei Verbi commendat potentiam, quam incarnationis dispensatio, et illa ad humilitatem et infirmitatem naturæ humanæ demissio. « Specie tua et pulchritudine » tua [3]. » Species a pulchritudine differt. Id enim speciosum dicitur, quod completum fuit idoneo tempore ad usque propriam maturitatem. Exempli causa, illud frumentum speciosum dicitur, quod maturum jam est ad messem : atque is vitis fructus speciosus est, qui per anni tempestatem coctionem propriam ad suam perfectionem comparavit, quique usui aptus existit. Pulchritudo vero concinnitas ea est, quæ in membrorum compositione sita est, efflorescentem ex se gratiam habens. « Accingere » igitur « gladio tuo super femur tuum, potentissime.

[1] Hebr. IV, 12. — [2] Exod. I, 5. — [3] Psal. XLIV, 5.

» Specie tua, » hoc est, in plenitudine temporum : « et » pulchritudine tua, » videlicet divinitate quæ contemplatione et ratione intelligi potest. Illud enim vere pulchrum est, quod humanam omnem intelligentiam et potentiam excedit, quodque mente sola queas contemplari. Noverunt autem ejus pulchritudinem discipuli, quibus privatim parabolas solvebat. Viderunt etiam ipsius pulchritudinem Petrus et filii tonitrui in monte, fulgore suo splendorem solis superantem; atque habiti sunt digni qui gloriosi ejus adventus exordia oculis perciperent. Et, « intende, » inquit, « et prospere procede, et regna. » Hoc est, hominum curam per carnem aggressus, impende diligentiam summam constantemque et nunquam deficientem. Hoc enim viam cursumque præbebit prædicationi, et omnes tuo subjiciet imperio. Neque vero illud nobis insolens esse videatur, quod imperative dictum sit: « Prospere procede, » cum ea quæ optantur, semper hoc modo figurare Scriptura soleat. « Nimirum, « fiat » voluntas tua, » pro, « utinam fiat. » Item, « adveniat » regnum tuum, » pro, « utinam adveniat. »

VI. « Propter veritatem, et mansuetudinem, et justi- » tiam, et deducet te mirabiliter dextera tua[1]. » Rursus hic sermo figuratus est, perinde ac si Dominus mercedis loco accipiat illa, « prospere procedere, et regnare, » nempe, « propter veritatem, et mansuetudinem, et jus- » titiam. » Oportet autem intelligere hoc modo : quoniam res humanæ inversæ sunt mendacio; ut seras veritatem, regna in hominibus peccato subjectis. Tu enim es ipsa veritas. Et, « propter mansuetudinem, » ut omnes exemplo tuo ad clementiam et bonitatem perducantur. Quamobrem etiam Dominus dicebat : « Discite a » me quod mitis sum et humilis corde[2]. » Quin et istam

[1] Psal. XLIV, 5. — [2] Matth. XI, 29.

mansuetudinem factis ipsis ostendit : quippe tacebat conviciis lacessitus; flagris cæsus, perferebat. « Et deducet te mirabiliter dextera tua. » Non columna nubis, non ignis splendor, sed ipsa dextera tua. « Sagittæ tuæ acutæ potentissime[1]. » Acutæ potentis sagittæ sermones sunt appositi ac solertes, qui auditorum pertingunt corda, feriuntque et sauciant animas sensu facili ac prompto præditas. « Verba enim, » inquit, « sapientium, sicut stimuli boum[2]. » Quare et Psalmista a dolosis hominibus ætatis suæ aliquando liberari cupiens, acutas potentis sagittas exquirit, pro linguæ dolosæ remedio. Quærit itidem carbones adesse « desolatorios, » ut quos ob callosam cordis duritiem non tangunt spirituales sagittæ, iis paratum sit supplicium, quod carbones etiam « desolatorios » appellavit. Quicumque enim Deum deseruere, iis carbonum desolatoriorum apparatus necessarius est. Nunc igitur « sagittæ tuæ acutæ. » Quæ fidem amplexatæ sunt animæ, his sauciantur sagittis; et ubi summa in Deum caritate exarserint, pariter ac sponsa dicunt : « Vulnerata caritate ego sum[3]. » Porro verbi pulchritudo, sapientiæque species, ac Dei in ipsius imagine forma inexplicabilis est ac ineffabilis. Beati igitur qui contemplandæ veræ illius pulchritudinis sunt cupidi. Nam velut huic alligati per dilectionem, cœlestemque et plane beatum amantes amorem, propinquorum obliviscuntur et amicorum : item domus obliviscuntur et opum omnium; imo etiam corporalem edendi et bibendi necessitatem obliti, soli divino ac puro amori affixi sunt. Intelligere autem possis « sagittas acutas, » eos etiam, qui ad disseminandum in universo orbe Evangelium missi sunt; qui, quod exacuissent sese, operibus justitiæ fulgebant, et subtiliter

[1] Psal. XLIV, 6. — [2] Eccl. XII, 11. — [3] Cant. II, 5.

in discentium animos irrepebant. Nam hæ sagittæ quaquaversum præmissæ, populos ut se submitterent Christo, præparabant. Videtur autem mihi isthæc sententia aptius per hyperbaton restitui, adeo ut is sit sensus : « Intende, » prospere procede, et regna, et deducet te mirabiliter » dextera tua, et populi sub te cadent; » propterea quod « sagittæ tuæ acutæ sunt in corde inimicorum regis. » Nullus Deo adversarius, aut arrogans, aut superbus subjicit se Deo, sed qui fidei obtemperavere. Sagittæ autem, eorum qui regis aliquando inimici erant cordibus illapsæ, ipsos ad veritatis desiderium trahunt, ipsos trahunt ad Dominum, ut inimici Dei existentes, ei per doctrinam reconcilientur.

VII. « Sedes tua Deus in sæculum sæculi; virga recti- » tudinis, virga regni tui [1]. Dilexisti justitiam et odisti » iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo » lætitiæ præ consortibus tuis [2]. » Posteaquam ad naturam humanam intentus, multis verbis de ea disseruit, nunc orationem ad altitudinem gloriæ Unigeniti reducit. « Sedes tua Deus, » inquit, « in sæculum sæculi : » hoc est, regnum tuum ultra sæcula se porrigit, estque omni intelligentia antiquius. Et pulchre post populorum obedientiam, regni Dei magnificentiam celebrat. « Virga « rectitudinis virga regni tui. » Quapropter et ei propriam reddidit appellationem, ipsum clare appellans Deum. « Sedes tua Deus. » Castigatrix est virga Dei : quæ dum castigat, recta, non perversa judicia profert. Quamobrem virga rectitudinis virga regni ipsius nuncupata est. « Si enim dereliquerint filii ejus legem meam, » et in judiciis meis non ambulaverint; visitabo in virga » iniquitates ipsorum [3]. » Vides justum Dei judicium? non in quoslibet utitur, sed in peccatores. Hæc autem et

[1] Psal. XLIV, 7. — [2] Ibid. 8. — [3] Ibid. LXXXVIII, 31.

consolationis virga dicitur. « Virga enim tua, » inquit, » et baculus tuus, ipsa me consolata sunt[2]. » Est et hæc virga contritionis : « Reges eos in virga ferrea, tanquam » vas figuli confringes eos[1]. » Confringuntur autem terrea ac lutea, gratia eorum qui reguntur; quemadmodum etiam traduntur « in interitum carnis, ut spiritus salvus » sit[2]. »

VIII. « Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo læti- » tiæ, præ consortibus tuis. » Quoniam par erat ut typicum chrisma typicos tum pontifices tum reges adumbraret, caro Domini vero chrismate inuncta est, ipso sancti Spiritus in eam adventu : quod lætitiæ oleum appellatum est. Unctus est autem « præ consortibus suis : » hoc est, præ omnibus hominibus qui Christi sunt participes. Nam illis quidem aliqua tribuebatur Spiritus communicatio; at vero Spiritus sanctus in Dei filium descendens, ut ait Joannes, super ipsum mansit[3]. Recte autem Spiritus oleum lætitiæ nominatur, cum unus ex fructibus quos sanctus Spiritus producit, gaudium sit. Quoniam vero mixtus est de Servatore sermo, propter divinitatis naturam et incarnationis dispensationem, rursus ad Dei humanitatem respiciens, ait : « Dilexisti justitiam, et » odisti iniquitatem, » perinde quasi diceret : Reliqui quidem homines labore exercitioque et attentione plerumque virtutis habitum assequuntur, abhorrentque a vitiis, tibi vero naturalis quædam est cum bono conjunctio ac necessitudo, alienatioque ab iniquitate. Quin etiam nobis, si volumus, difficile non est amorem justitiæ, et iniquitatis odium suscipere. Omnem enim facultatem rationali animæ utiliter dedit Deus, ut amoris, ita quoque odii : ut ratione directi diligamus quidem virtutem, odio vero habeamus iniquitatem. Licet enim ali-

[1] Psal. xxii, 4. — [2] Ibid. ii, 9. — [3] 1 Cor. v, 5. — [4] Joan. i, 32.

quando etiam laudabiliter odio uti. « Nonne eos qui » oderant te, Domine, odio habui, et super inimicos » tuos tabescebam? perfecto odio oderam illos[1]. »

IX. « Myrrha et gutta et casia a vestimentis tuis a » domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te Filiæ » regum in honore tuo[2]. » Propheticus sermo paulatim ordine descendens, ac prius ea omnia quæ ad incarnationis dipensationem attinent, prosecutus, accepta contemplatione a Spiritu qui ei occulta revelabat, venit ad passionem. « Myrrha enim, » inquit, « et gutta et casia » a vestimentis tuis. » Quod quidem myrrha symbolum sit sepulturæ, etiam Evangelista Joannes nos docuit, qui dicat eum a Joseph ab Arimathæa cum myrrha et aloë sepultum esse. Gutta vero etiam ipsa myrrhæ species est tenuissima. Postquam enim contusum est aroma, quidquid in eo est liquidi, in guttam separatur; quod crassius superest, myrrha appellatur. Itaque Christi bonus odor myrrham quidem spirat, ob passionem : guttam vero, quod non immobilis nec otiosus aut inefficax permanserit tribus illis diebus ac noctibus, sed in infernum descenderit ob resurrectionis dispensationem, ut omnia quæ ad se spectabant expleret. Casiam tandem spirat, quod casia cortex est tenuissimus, et bene olens, lignosum obtendens calamum. Fortassis igitur crucis passionem gratia universæ creaturæ susceptam alte nobis ac sapienter per casiæ nomen innuit Scriptura. Habes ergo myrrham ob sepulturam, guttam ob descensum ad inferos, (quandoquidem gutta omnis deorsum fertur) casiam vero, ob carnis in ligno dispensationem. Ex hac autem causa « delectaverunt, » inquit, « te filiæ regum in honore » tuo. » Quæ vero fuerint filiæ regum nisi generosæ magnæque et regiæ animæ? quæ propter hanc ad

[1] Psal. CXXXVIII, 21, 22. — [2] Ibid. XLIV, 9, 10.

humana demissionem Christum cognoscentes, ipsum delectaverunt in honore, in vera fide et caritate perfecta, gloriam divinitati ejus dantes. Ait autem hæc aromata non parce adesse Christi vestimentis (hæc est sermonum parabola et dogmatum apparatus) sed a totis ædificiis afferri. Domos enim dicit ædificia maxima, eaque ex ebore constructa : divitem illam Christi erga mundum dilectionem edocente, opinor, propheta. « Astitit « regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata » varietate. » De Ecclesia jam verba facit, de qua in Cantico didicimus, quod una sit perfecta Christi columba, quæ eos qui bonis operibus conspicui sunt, ad dextram Christi sedem admittit, segregans ipsos a pravis, « sicut pastor segregat oves ab hædis[1]. » Astat igitur Regina, anima videlicet sponsali verbo copulata, peccati imperio haud subjecta, sed regni Christi particeps, a dextris Salvatoris in vestitu deaurato; hoc est, in spiritualibus dogmatibus, iisque intertextis ac variegatis : quippe quæ venuste et religiose se ipsa exornet. Quoniam autem non unius speciei sunt dogmata, sed diversa variaque, morales ac naturales et mysticos sermones complectentia, idcirco Scriptura dicit sponsæ vestitum variegatum esse.

X. « Audi filia et vide, et inclina aurem tuam, et obli» viscere populum tuum, et domum patris tui[2]. Et con» cupiscet rex decorem tuum : quoniam ipse est Dominus » tuus, et adorabunt eum[3]. » Exhortatur Ecclesiam ad audienda servandaque præcepta, eamque sibi ipsa appellatione asciscit in familiaritatem, illam appellans filiam; quasi eam sibi pro filia per caritatem adoptasset. « Audi » filia et vide. » Docet hoc verbo, vide, Ecclesiam habere mentem ad contemplationem exercitatam. Considera,

[1] Matth. xxv, 32. — [2] Psal. xliv, 11. — [3] Ibid. 12.

inquit, res creatas, atque intuitu ordinis illarum adjuta, ita demum ad ipsiusmet creatoris contemplationem ascende. Deinde altum superbiæ collum inflectens; « inclina, » inquit, « aurem tuam. » Ne curras ad externas fabulas, sed humilem sermonis Evangelici vocem suscipe : inclina aurem tuam ad hanc doctrinam, ut obliviscare pravarum illarum consuetudinum atque paternorum documentorum. Quapropter obliviscere populum tuum et domum patris tui. « Omnis » enim « qui facit peccatum, ex diabolo natus est [1]. » Abjice, inquit, dæmonum doctrinas, obliviscere sacrificiorum, nocturnæ choreæ, fabularum ad stuprum et omnem libidinem inflammantium. Idcirco te mei ipsius filiam vocavi, ut eum parentem oderis, qui te prius ad perditionem genuerat. Etenim si per oblivionem, maculas pravorum documentorum deleveris, tuo proprio decore assumpto, desiderabilis apparebis sponso et regi. « Quo» niam ipse est Dominus tuus, et adorabunt ipsum. » Necessitatem obedientiæ declarat, his verbis. « Ipse est » Dominus tuus. Adorabunt autem ipsum, » nempe omnes res creatæ. Nam « in nomine Jesu Christi omne » genu flectetur, cœlestium, terrestrium et infernorum[2]. » Et filia Tyri in muneribus, vultum tuum deprecabuntur » divites plebis [3]. » Videtur idololatria in Chananæa regione immodicis studiis exculta fuisse. Metropolis autem Chanaan Tyrus. Ecclesiam igitur ad obedientiam exhortans sermo, etiam filia, inquit, Tyri veniet aliquando cum muneribus. « Et vultum tuum adorabunt » divites plebis in muneribus. » Non dixit, « te adorabunt » in muneribus, » sed « vultum tuum. » Ecclesia enim non adoratur, sed caput Ecclesiæ Christus, quem Scriptura « vultum » appellavit.

[1] Joan. III, 8. — [2] Philip. II, 10. — [3] Psal. XLIV, 13.

XI. « Omnis gloria filiæ regis ab intus, in fimbriis » aureis circumamicta, variegata : afferentur regi virgines » post eam[1]. » Postquam purgata est ab antiquis nequitiæ doctrinis, utpote documento obsecuta, et oblita populi sui et domus patris sui, narrat quæ ipsam spectant Spiritus sanctus. Et quoniam reconditam munditiam illius vidit: « Omnis, » inquit, « gloria filiæ regis, » id est, sponsæ Christi, quæ tandem per adoptionem filia regis effecta sit, « intus est. » Hortantur hæc verba, ut ad intima ecclesiasticæ gloriæ arcana penetremus, quod sponsæ pulchritudo intus existat. Qui enim se adornat Patri in abscondito videnti[2], precaturque, et omnia peragit, non ut videatur ab hominibus, sed ut soli Deo innotescat, is perinde ac regis filia gloriam omnem intrinsecus habet. Quin etiam fimbriæ aureæ quibus tota circumamicta est ac variegata, intus sunt. Nihil quæras in externo auro et corporali varietate : sed amictum quemdam intellige, qui dignus sit qui eum qui secundum conditoris imaginem est exornet, ut ait Apostolus : « Expoliantes veterem hominem, et induentes novum, » qui renovatur ad agnitionem secundum Creatoris ima» ginem[3]. » Et, qui induit « viscera misericordiæ, beni» gnitatem, humilitatem, patientiam, mansuetudi» nem[4], » is intrinsecus amictus est, et secundum interiorem hominem ornatus. Sed et Paulus admonet, ut induamus Dominum Jesum[5], non secundum externum hominem, sed ut mentem nostram Dei memoria circumtegat. Arbitror autem spiritalem prætexi vestem, cum actio doctrinæ verbo comes adjungitur. Quemadmodum enim corporalis vestis texitur, cum subtegmen innectitur stamini : ita ubi verbum præcessit, si modo actiones con-

[1] Psal. XLIV, 14, 15. — [2] Matth. VI, 6. — [3] Coloss. III, 9. — [4] Ibid. 12.— [5] Rom. XIII, 14.

sentaneæ subjungantur, venustissimus amictus animæ confici potest, cujus scilicet vita ex præscripto virtutis acta, sermone et opere compleatur. Fimbriæ autem pendent a vestitu, spirituales et hæ ipsæ; ob idque aureæ esse dicuntur. Quoniam sane verbum majus est opere, idcirco est velut fimbria quædam a textura ad actionem redundans. Sequuntur autem Domini sponsam animæ quædam, quæ seminibus alienarum doctrinarum haud susceptis, adducentur regi, sequentes sponsam. Sed et audiant quæ virginitatem Domino voverunt, quod virgines regi adducentur, virgines, inquam, quæ proximæ sunt Ecclesiæ quæ post ipsam sequuntur, nec aberrant ab ecclesiastica disciplina. « Adducentur autem virgines » in lætitia et exultatione, ducentur in templum regis[1]. » Non quæ coactæ virginitatem subierunt, non quæ ex tristitia aut necessitate castam vitam sunt amplexæ: sed quæ in lætitia et exultatione ob præclarum hoc facinus gaudent, hæ adducentur regi, ducenturque non in vulgarem locum, « sed in templum regis. » Nam vasa sacra, quæ non inquinavit humanus usus, in sancta sanctorum introducentur, eisque licebit ad adyta accedere, ubi profani pedes non ambulabunt. Quanta autem res sit in templum regis adduci, Propheta ipse ostendit, pro se ipso orans ac dicens: « Unam petii a Domino, hanc requiram, » ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ; » ut videam voluptatem Domini, et visitem templum » ejus[2]. »

XII. « Pro patribus tuis nati sunt filii tui. Constitues » eos principes super omnem terram[3]. » Quandoquidem supra præceptum est ei ut oblivisceretur populi et domus patris; in obedientiæ remunerationem nunc pro patribus accipit filios tantis dignitatibus insignitos, ut constituan-

[1] Psal. XLIV, 16. — [2] Ibid. XXVI, 4. — [3] Ibid. XLIV, 17.

tur « principes super omnem terram. » Qui sunt igitur Ecclesiæ filii? nimirum Evangelii filii, qui orbi universo imperarunt. « In omnem enim, » inquit, « terram exi» vit sonus eorum [1]: » Et, « sedebunt super duodecim » thronos, et judicabunt duodecim tribus Israël [2]. » Si quis autem sponsæ patres intelligat Patriarchas, ita quoque intellecta sententia ab Apostolis aliena non est. Nam pro illis nati sunt ei filii per Christum, facientes opera Abrahæ, et ideo æque honorati ac ipsi, quod eadem egerunt quæ illi, ob quæ honoribus magnis dignati sunt Patres. Principes vero universæ terræ sunt sancti, ob suam cum bono necessitudinem, cum ipsa boni natura eis principatum tribuat, sicut Jacobo potestatem in ipsum Esaü præbuit. « Fias » enim, inquit, « Dominus fratris » tui [3]. » Quicumque igitur honore patribus pares facti sunt, atque per virtutis exercitationem omnibus præstiterunt, et filii sponsæ Christi sunt, et a propria matre principes super omnem terram constituuntur. Velim autem consideres quanta sit Reginæ potestas, sic ut creet ac præficiat principes super omnem terram. « Memor ero » nominis tui in omni generatione et generatione. Prop» terea populi confitebuntur tibi in sæculum et in sæcu» lum sæculi[4]. » Post omnia tanquam ex Ecclesiæ persona dictum est illud, « Memor ero nominis tui in omni gene» ratione et generatione. » Quæ autem est hæc Ecclesiæ memoria? confessio populorum.

[1] Psal. xviii, 5.— [2] Matth. xix, 28.— [3] Gen. xxvii. 29.— [4] Psal. xliv, 18.

HOMILIA IX.

IN PSALMUM XLV.

In finem pro Filiis Core : pro arcanis Psalmus.

I. Prophetiam de rebus quæ in fine eventuræ sunt, continere mihi videtur hic psalmus. Quem finem intuitus etiam Paulus dicit: « Deinde finis, cum tradiderit regnum » Deo et Patri [1]. » Aut quoniam actiones nostræ deducunt nos ad finem, unaquæque ad proprium sibi ipsi; idcirco bona quidem ad beatitudinem, mala vero ad æternam damnationem : et quoniam consilia a Spiritu in hoc psalmo tradita, obtemperantes ad bonum finem deducunt; hac de causa inscriptus est, « in finem, » quod ejus documenta ad beatum humanæ vitæ finem referantur. « Pro filiis Core. » Filiis autem Core dictus est et hic psalmus, quos Spiritus sanctus ideo non dividit, quod velut una anima et una voce cum omni inter se concordia sermones Propheticos emiserunt, nihil quidquam alio præter alios vaticinante, sed Prophetico dono æqualiter eis concesso, ob æqualem ipsorum inter se in bona affectum. Cæterum « pro arcanis » dictus est Psalmus, est, « pro occultis, et reconditis in mysterio. » Postquam id autem singulas hujus psalmi sententias attigeris, verborum arcana docebere; ac disces non cujusvis esse mysteria divina contemplari, sed ejus solius, qui implendi promissi organum concinnum fieri possit, sic ut psalterii loco anima illius moveatur ab operante in ipsa Spiritu

[1] 1 Cor. xv, 24.

sancto. « Deus noster refugium et virtus, adjutor in tri- » bulationibus quæ invenerunt nos nimis[1]. » Auxilio multo opus est homini omni, ob insitam ei natura infirmitatem : siquidem multæ ei molestiæ ærumnæque accidunt. Dum igitur de omnibus calamitatibus refugium quærit, quasi ad tutum locum aufugiens, vel ad acutum quemdam verticem forti muro circumseptum sese recipiens, propter hostium incursum ; ita demum ad Deum confugit, ratus hanc solam sibi requiem esse, si in ipso permaneat. Refugium itaque ad Deum patere, in confesso est apud omnes : sed, quod ad salvantis electionem attinet, non parum erroris confusionisque invexit inimicus. Etenim dum insidiatur velut hostis, rursus quibus insidiatus est, eos deceptos inducit ut ad se ceu custodem confugiant. Quare duplex eis malum imminet : quippe aut per vim capiuntur, aut ex fraude pereunt. Eam ob rem ad dæmones perfugiunt increduli et ad idola, veri Dei cognitione ex illata sibi a diabolo confusione spoliati. Sed et qui Deum agnoscunt, in ferendo de rebus judicio errant, dum inscite utilia postulant, ac quædam petunt ut bona, eis sæpe non conducibilia, alia vero ut mala declinant, quæ sibi aliquando multum allatura erant emolumenti. Exempli causa : ægrotat quis ? morbi molestiam fugiens, rogat sanitatem. Amisit pecunias ? ob hanc jacturam maximo angitur dolore. Erit enim utilis sæpenumero vel morbus, cum videlicet peccantem refrenabit. Et nocua est sanitas tum cum ea fruenti fit peccati occasio. Sic et pecuniæ quibusdam jam ad libidinem inservierunt : paupertas vero plurimos ad vitia magnopere propendentes repressit. Neque igitur refugias quæ non oportet : nec confugias ad quem non oportet. Unum porro vitandum tibi est, peccatum videlicet, et unicum

[1] Psal. XLV, 2.

ex malis refugium tibi sit Deus. Ne confidite principibus, ne efferamini animo in incerto divitiarum : ne superbiatis ob corporis vires, ne humanæ gloriæ prosequamini splendorem. Nihil horum ducit ad salutem ; temporaria omnia, omnia fallacia : refugium unicum Deus. « Maledictus homo qui spem ponit in homine [1], » aut in aliqua re humana.

II. « Deus » igitur « noster refugium et virtus » illi, qui potest dicere : « Omnia possum in eo qui me » confortat » Christo[2]. Virtus est Deus. Multorum quidem est dicere : « Deus noster refugium. » Et, « Domine refugium factus es nobis[3] : » id vero eodem ac Propheta animo dicere, perquam paucorum est. Pauci enim sunt qui humana non mirentur, sed toti pendeant ex Deo, ipsumque spirent, ac in ipso omnem spem ac fiduciam habeant. Et sane arguunt nos res ipsæ ; cum in afflictionibus ad quælibet potius quam ad Deum recurramus. Ægrotat filius? mox tu conjectis quoquoversum oculis, magum requiris, vel quempiam qui vanos caracteres collo innocentium puerorum circumponat : vel postremum, eo qui servare potest neglecto, ad medicum devenis, et ad medicamenta. Insomnium si te sollicitat, curris ad conjectorem : si timueris inimicum, aliquem hominem adjutorem attendis. Et in summa, convinceris in quacumque necessitate, verbo quidem Deum refugium nominare, sed reipsa ex inutilibus vanisque rebus auxilium tibi accersere. Est autem justo verum auxilium Deus. Quemadmodum enim imperator forti militum manu instructus, ad opem parti oppressæ ferendam semper paratus est : ita Deus adjutor noster est et auxiliator cuilibet contra diaboli insidias pugnanti, emittens administra-

[1] Hier. xvii, 5. — [2] Philip. iv, 13. — [3] Psal. lxxxix, 1.

torios spiritus ad indigentium salutem. Invenit autem afflictio omnem justum, ob vitæ institutam rationem. Qui enim declinat latam ac spatiosam viam, ambulat autem angustam et arctam viam, is a tribulationibus invenitur. Rem ad vivum expressit Propheta, cum dixit : « In tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis. » Nos enim ceu animata animalia deprehendunt tribulationes, quæ patientiam producunt[1], et per patientiam probationem, et per probationem spem. Unde et Apostolus ait : « Per multas tribulationes oportet » nos intrare in regnum Dei[2]. » Et, « Multæ tribula- » tiones justorum[3]. » Sed qui generose et intrepide tribulationis tentationem sustinuerit, dicet : « In his » omnibus superamus propter eum qui dilexit nos[4]. » Ac tantum abest ut animum despondeat, ac torpeat in tribulationibus; ut etiam gloriandi occasionem ex malorum magnitudine desumat, dicens : « Non solum autem, » sed et gloriamur in tribulationibus[5]. »

III. « Propterea non timebimus dum turbatur terra, et » transferuntur montes in corda marium[6]. » Magnam firmitatem fiduciæ in Christum ostendit Propheta : nimirum, etiamsi omnia sursum deorsum provolvantur, etiamsi terra turbata invertatur, etiamsi montes, propria sede relicta, transferantur in medium mare, » non timebimus : » quod Deum habeamus refugium virtutemque et adjutorem in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis. Cujusnam cor impavidum adeo? Cujusnam cogitationes adeo sunt imperturbatæ, ut illius animus in tanta confusione sit ad Deum intentus, ac propter repositam in ipso spem ex nullo rerum eventu perturbetur? Nos vero hominis iram non sustinemus ; aut

[1] Rom. v, 3. — [2] Act. xiv, 21. — [3] Psal. xxxiii, 20. — [4] Rom. viii, 37. — [5] Ibid. v, 3. — [6] Psal. xlv, 5.

impetente nos cane, aut alio quovis animali, non ad Deum respicimus adjutorem nostrum in tribulationibus : sed stupefacti ad nos ipsos convertimur. « Sonuerunt » et turbatæ sunt aquæ eorum. » Dixit telluris conturbationem ac montium translationem : maris quoque commotionem dicit et eversionem, montibus in medium pelagus ruentibus. « Sonuerunt et turbatæ sunt aquæ » eorum, » marium videlicet. Ampliorem autem perturbationem excitant in aquis montes ipsi, si in mari firmi non sunt, sed propria agitatione multum aquis afferant commotionis. Cum igitur terra turbatur, et aquæ marium edent sonum, et ex profundo ebullient, cum montes transferuntur et perturbationem multam sustinent, per exuperantem Domini potentiam : tunc, inquit, cor imperturbatum permanet, quod tutas firmasque in Deo spes habeat. « Turbati sunt montes in » fortitudine ejus[1]. » Potes etiam dicti hujus sensum per metaphoram exponere, « montes » appellans eos, qui ob suam magnitudinem insolescunt, Dei vero fortitudinem ignorant, et extollunt sese contra Dei scientiam : qui tamen postmodum ab iis qui cum virtute et sapientia verbum sapientiæ prædicant, superantur vincunturque, et suæ ipsorum inopiæ facti conscii, timent Dominum, ac se ejus potentiæ submittunt. Aut fortassis et principes sæculi hujus et patres sapientiæ periturae, « montes » dicuntur et ipsi, qui turbati sunt in Christi fortitudine, quam in crucis certamine contra eum qui imperium mortis habebat, ostendit. Exutus enim veluti generosus quispiam athleta, principatus ac potestates superavit, ac ostentavit palam, triumphans de illis in ligno[2].

IV. « Fluminis impetus lætificant civitatem Dei[3]. »

[1] Psal. XLV, 4. — [2] Coloss. II, 15. — [3] Psal. XLV, 5.

Marinæ quidem aquæ vehementer a ventis perturbatæ sonuerunt et turbatæ sunt : sed fluminis impetus sine strepitu procedentes, et quotquot digni sunt qui eos recipiant, iis leniter allabentes, lætificant civitatem Dei. Et nunc justus bibit aquam vivam, atque postea copiosius bibet, cum civitati Dei ascriptus fuerit. Atqui nunc quidem per speculum et in ænigmate bibit, ob exiguam divinarum contemplationum perceptionem : tunc vero simul restagnantem fluvium excepturus est, qui totam Dei civitatem lætitia inundare possit. Quis autem fuerit fluvius iste Dei, nisi Spiritus sanctus, qui dignis illabitur, secundum fidem eorum qui in Christum crediderunt? « Qui enim, » inquit, « credit in me, » flumina de ventre ejus fluent[1]. » Et rursus : « Si » quis biberit ex aqua quam ego do, fiet in eo fons » aquæ salientis in vitam æternam[2]. » Hic itaque fluvius omnem simul Dei civitatem lætificat, nempe cœtum eorum, qui suam in cœlis conversationem habent ; aut omnem creaturam intellectu præditam, a virtutibus cœlestibus usque ad animas humanas, civitatem intelligi oportet, Spiritus sancti inundatione lætificatam. Etenim nonnulli ita civitatem definiunt, ut dicant stabilem esse congregationem, secundum legem administratam. Tradita autem definitio civitatis, etiam illi quæ sursum est Jerusalem cœlesti civitati congruit. Nam et illic est primogenitorum descriptorum in cœlis congregatio, atque ea ob immutabilem vitæ sanctorum rationem stabilis ac firma est, et ex lege cœlesti gubernatur. Illius itaque civitatis ordinem ac ornatum omnem perdiscere humanæ naturæ non est. Illa enim sunt, « quæ oculus non vidit, neque auris audivit, neque in cor » hominis ascenderunt : quæ præparavit Deus iis qui

[1] Joan. VII, 38. — [2] Ibid. IV, 13.

» diligunt illum[1] ; » præterquam quod ibi reperitur innumera Angelorum multitudo, sanctorumque conventus, et Ecclesia primogenitorum descriptorum in cœlis. De illa dicit David : « Gloriosa dicta sunt de te, civi- » tas Dei[2]. » Civitati illi per Esaiam pollicetur Deus : Ponam te exultationem æternam, lætitiam generationum generationibus, et non erit contritio, neque miseria in terminis tuis, sed salutare vocabuntur muri tui[3]. Erectis igitur animæ oculis, ut res supernas decet, quære quæ sunt civitatis Dei. Quid porro beatitudine illa dignum a quoquam excogitari possit, quam lætificat quidem Dei fluvius, cujus vero artifex est et opifex Deus ipse? « Sanctificavit tabernaculum suum altissimus. » Fortassis carnem dicit deiferam, ex conjunctione cum Deo sanctificatam. Ex quo intelliges tabernaculum altissimi, ipsum Dei adventum, qui est per carnem.

V. « Deus in medio ejus, et non commovebitur. Adju- » vabit eam Deus mane diluculo[4]. » Et quoniam Deus in medio civitatis est, eam stabilitate donabit, primo lucis ortu opem ei afferens. Sive igitur illi quæ sursum est Jerusalem, sive Ecclesiæ quæ infra est, civitatis nomen aptatum fuerit, sanctificavit in ea tabernaculum suum altissimus. Atque per hoc tabernaculum in quo inhabitavit Deus, in medio ipsius fuit, id ei largiens ut non commoveatur. In medio autem civitatis est Deus, æquales undelibet emittens radios suæ providentiæ ad usque fines orbis. Sic Dei enim justitia conservatur, quandoquidem omnibus eamdem bonitatis mensuram dispertit. « Adjuvabit eam Deus mane diluculo. » Sensibilis sol matutinum quidem tempus apud nos efficit, postquam supra nostrum horizontem eminuerit : matutinum vero sol justitiæ in anima perficit, ortu lucis spiritualis produ-

[1] Cor. II, 9. — [2] Psal. LXXXVI, 3. — [3] Esa. LX, 15 et 18. — [4] Psal. XLV, 6

cens diem in eo qui ipsum suscepit. In nocte enim sumus nos homines per hoc ignorantiæ tempus. Postquam igitur, nostra mente expassa, susceperimus gloriæ splendorem, et sempiterna illa luce illustrati fuerimus, tunc « adjuvabit eam Deus mane diluculo[1]. » Ubi facti fuerimus filii lucis, noxque apud nos progressa fuerit, dies vero appropinquaverit, tunc Dei auxilio digni efficimur. Adjuvat igitur Deus civitatem, per proprium exortum et adventum, matutinam ei lucem inducens. Ecce enim homo, inquit, oriens nomen ei[2]. Quibus igitur exorta fuerit lux spiritualis, discussis ignorantiæ improbitatisque tenebris, iis tempus matutinum accedit. Quoniam ergo lux in mundum venit, ut qui ambulat in ea, non offendat, ejus auxilium tempus matutinum affert. Vel forte quoniam multo mane erat resurrectio, adjuvabit Deus civitatem mane diluculo, quippe qui tertia resurrectionis die matutina victoriam a morte reportarit.

VI. « Conturbatæ sunt gentes, inclinata sunt regna : » dedit vocem suam altissimus, commota est terra[3]. » Cogita civitatem aliquam esse, cui insidiæ struantur ab oppugnantibus eam hostibus, quam interim obsideant gentes multæ et reges, qui singularum nationum sceptra sortiti sint : deinde ducem aliquem robore invictum derepente conspici ad ferendum huic civitati auxilium, qui, soluta obsidione, gentium dissipet dispergatque multitudinem, ac reges ipsos in fugam vertat, si solum eos cum potentia inclamet, eorumque corda vocis firmitate perterreat. Quantam igitur verisimile est turbationem excitari, dum gentes fugantur, et reges in fugam vertuntur? qualem quoque clamorem confusum, et sonitum perpetuum ex tumultuosa illorum fuga edi? Nonne credere par est locum omnem iis qui præ

[1] Rom. XIII, 12. — [2] Zach. VI, 12. — [3] Psal. XLV, 7.

timore fugati sunt, repleri? adeo ut ubique in urbibus aut vicis eos excipientibus excitetur commotio. Talem igitur opem civitati Dei a Salvatore dandam esse ostendit, dum dicit : « Conturbatæ sunt gentes, inclinata » sunt regna, dedit vocem suam altissimus, commota » est terra. Dominus virtutum nobiscum, susceptor » noster Deus Jacob[1]. » Vidit incarnatum Deum : vidit ex sancta virgine genitum Emmanuel : quod si quis interpretetur, sonat « Nobiscum Deus[2] ; » et hac de causa Prophetice exclamat : « Dominus virtutum nobis» cum; » ostendens hunc esse qui sanctis Prophetis apparuit atque Patriarchis. « Susceptor noster, » inquit, non alius Deus præter eum qui traditus est a Prophetis; sed Deus Jacob qui in oraculo ad servum suum edito locutus est : « Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, « et Deus Jacob[3]. »

VII. « Venite et videte opera Dei, quæ posuit pro» digia super terram, auferens bella usque ad fines » terræ[4]. » Eos qui procul sunt a verbo veritatis, Scriptura invitat ut ad eam per cognitionem propius accedant, dicens : « Venite et videte. » Quemadmodum enim in corporeis oculis, intervalla magna obscuram reddunt eorum quæ sub conspectum cadunt comprehensionem; contra accessio intuentium, conspicuam reddit rerum visendarum agnitionem : sic etiam in mentis contemplatione, qui se per opera Deo non conjungit, nec appropinquat, opera illius puris mentis oculis videre non potest. Idcirco « venite, » appropinquate prius : deinde « videte opera Domini, » prodigiosa sane et mirabilia; quibus perculsas gentes, easque antea hostiles et seditiosas, ad quietem transtulit. « Venite filii, audite me[5]. »

[1] Psal. XLV, 8. — [2] Matth. I, 23. — [3] Exod. III, 6. — [4] Psal. XLV, 9, 10. — [5] Ibid. XXXIII, 12.

Item, « Venite omnes qui laboratis, et onerati estis[1]. » Paterna vox est, expassis ulnis ad se invitantis eos qui hactenus rebelles fuere. Qui igitur audierit vocationem, appropinquaveritque et imperanti adhæserit, is eum visurus est qui cuncta per crucem pacificavit, « sive quæ » in terra sunt, sive quæ in cœlis[2]. Arcum conteret, et » confringet arma, et scuta comburet igni. » Vides pacificum animum Domini virtutum, quod invisibiles legionum angelicarum potestates secum habeat? Vides fortitudinem simul et humanitatem summi ducis virtutum? qui sane Dominus cum sit virtutum, ac omnes legionum angelicarum turmas habeat, nusquam tamen ullum vulnerat adversariorum, neminem prosternit, attingit neminem : sed arcus conterit et arma, ac scuta comburit in igne. Arcum quidem conterit, ut non amplius ignita tela per eos emittantur : confringet autem arma, quibus cominus pugnatur, ut qui prope sunt, insidiis petiti, vulnera recipere nequaquam possint. « Et scuta com- » buret igni, » adversarios spolians suis munimentis, atque inimicorum gratia omnia faciens.

VIII. « Vacate et videte, quoniam ego sum Deus[3]. » Quamdiu quidem alienis a Deo rebus vacamus, Dei notitiam suscipere non possumus. Quis enim de mundi rebus sollicitus, ac immergens sese carnis occupationibus, queat verbis Dei attendere, atque tot ac tantis rebus accurate diligenterque speculandis par esse? Non vides delapsum in spinas verbum spinis suffocari? Spinæ autem sunt carnis voluptates et divitiæ et gloria et eæ quæ ad vitam pertinent curæ. Cæterum ab his omnibus alienatum esse oportebit eum, qui Dei cognitionem desiderat; et ubi vacaverit ab affectibus, ita demum Dei recipere cognitionem. Quomodo enim animam a mentis evaga-

[1] Matth. xi, 28. — [2] 2 Coloss. i. — [3] Psal. xlv, 11.

tionibus se præoccupantibus oppressam ingredietur Dei cognitio? Atqui et Pharao novit proprium esse vacantis, Deum inquirere, et hac de causa exprobrat Israëli : « Vacatis, otiosi estis, et dicitis : Domino Deo nostro vota » faciemus.[1] » Et quidem ea vacatio bona utilisque est vacanti, quæ ad salutares doctrinas recipiendas quietem affert : otium vero Atheniensium malum erat, qui « ad » nihil aliud vacabant nisi ad dicendum aut audiendum » aliquid novi[2]. » Quod otium etiam nunc imitantur nonnulli, dum abutuntur otio, ut semper novum aliquod dogma comminiscantur. Tale otium amicum est immundis ac pravis spiritibus. « Cum exierit, inquit, immundus » spiritus ab homine, dicit : revertar in locum unde exivi. » Et veniens invenit domum illam vacantem et scopis » mundatam.[3] » Absit igitur ut nos per otium aditum adversario præbeamus ; imo interiorem nostram domum occupatam teneamus, adeo ut prius in nobis ipsis Christum per Spiritum excipiamus hospitio. Postquam igitur iis qui hactenus turbabantur ab hostibus, pacem largitus est, tunc dicit : vacate a distrahentibus vos inimicis, ut in quiete verba veritatis contemplari possitis. Quapropter etiam Dominus ait : « Omnis qui non renuntiat omnibus « quæ possidet, non potest meus esse discipulus[4]. » Vacare igitur oportet ab operibus nuptialibus, ut vacemus precationi : vacare a divitiarum studio, ab hujus gloriolæ cupiditate, ab usu voluptatum, ab invidia et omni in nostrum proximum malignitate, ut, obtinente tranquillitatem anima nostra, et nullo affectu eam conturbante, illustratio Dei tanquam in aliquo speculo pura expersque tenebrarum efficiatur. « Exaltabor in » gentibus, exaltabor in terra. » Palam hæc de sua passione dicit Dominus, quemadmodum in Evangelio

[1] Exod. v, 17. — [2] Act. xvii, 21. — [3] Matth. xii, 43. — [4] Luc. xiv, 33.

scriptum est : « Et ego cum exaltatus fuero, omnes tra-» ham ad me ipsum [1]. Et sicut Moyses exaltavit serpen-» tem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis in » terra [2]. » Quoniam igitur pro gentibus erat in crucem exaltandus, et pro universa terra susceptarus illam exaltationem, propterea dicit : « Exaltabor in gentibus, » exaltabor in terra. Dominus virtutum nobiscum, sus-» ceptor noster Deus Jacob [3]. » Exultans ob Dei auxilium, bis vocem eamdem protulit : « Dominus virtutum » nobiscum; » quasi insultaret ac insiliret hosti, ob perfectam quam in animarum nostrarum Salvatorem habebat fiduciam, ut nihil ab eo passurus. « Si enim » Deus pro nobis, quis contra nos [4]. » Qui Jacob dedit victoriam, ac post luctam ipsum Israël designavit [5], hic est susceptor noster, ipse pro nobis pugnat. Nos autem quiescamus, quod « ipse est pax nostra, qui » fecit utraque unum, ut duos condat in unum novum » hominem [6]. »

HOMILIA X.

IN PSALMUM XLVIII.

In finem Filiis core. Psalmus.

I. Nonnulli [7] ex iis etiam qui externi sunt, de humano fine sibi aliquid animo finxerunt, ac in varias de fine sententias abiere. Alii enim finem scientiam esse statuerunt, alii practicam operationem, alii diversum vitæ vel corporis usum : alii belluini cum essent, voluptatem

[1] Joan. XII, 32. — [2] Joan. III, 14. — [3] Psal. XLV, 12. — [4] Rom. VIII, 31. — [5] Gen. XXXII, 28. — [6] Ephes. II, 24. — [7] Vide D. Guillon tom. VII, 181-182.

finem esse affirmarunt. Nobis finis cujus gratia omnia peragimus, et ad quem festinamus, beatum illud est vitæ institutum in futuro sæculo. Hoc autem completur tum, cum a Deo regimur. Nam hoc fine ne excogitari quidem quidquam præstantius possit a rationali natura. Atque nos ad hanc vitæ rationem excitat Apostolus : « Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri. » Quod idem etiam proponit in Prophetia Sophonias ex Dei persona, dicens : « Quia judicium meum in congre- » gationes gentium : ut suscipiam reges, ut effundam » super eos indignationem meam : in igne enim zeli mei » consumetur omnis terra : quia tunc convertam super » populos multos linguam in generationem ejus ; ut » invocent omnes nomen Domini, ut serviant ei sub » jugo uno.[1] » Ad hunc igitur finem utilitatem psalmorum puto referri, eorum, qui hanc habent inscriptionem. Quin etiam ii qui inscripsere, « ad victoriam, » aut « epinicium, » aut « victori, » huic sententiæ adstipulantur. Etenim quoniam « absorpta est mors in victoria[3], » et consumpta est ab eo qui dixit : « Ego vici mundum[3] ; » et quoniam omnia victa sunt a Christo, et in nomine ejus genu omne flectetur, cœlestium, et terrestrium et infernorum[4], jure ac merito Spiritus sanctus ea quæ nobis proponuntur, in odis triumphalibus præcinit. » Audite » hæc omnes gentes, auribus percipite omnes qui » habitatis orbem : quique terrigenæ et filii hominum, simul » in unum dives et pauper[5]. » Maximum sane auditorium est ejus, qui gentes omnes, et omnes quotquot orbem habitationibus explent, ad psalmum audiendum convocat. Trahit autem, opinor, et terrigenas, et filios hominum, et divites et pauperes, eosque alto hoc

[1] Soph. III, 8. — [2] 1 Cor. XV, 54. — [3] Joan. XVI, 33. — [4] Philip. II, 10. — [5] Psal. XLVIII, 2, 3.

præconio ad audiendum convocat. Quæ specula usque adeo super omnem terram eminet, ut e sublimi gentes omnes videat, ac totum orbem oculis collustret? Quis adeo vocalis præco, ut inclamet quod a tot auribus simul audiatur? Quis locus ad concionem venientes queat excipere? Quantus autem doctor, et quali sapientia præditus, ut documenta inveniat consessu tanto digna? Expecta parumper, et ea quæ sequuntur, promissis indigna non esse edisces. Siquidem concionator, et qui omnes præconio cogit, Paracletus est, ille Spiritus veritatis, per Prophetas et Apostolos eos congregans qui salutem consecuturi erant : quorum quia « in omnem ter- » ram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba » eorum [1], » idcirco dicit : « Audite omnes gentes, et » omnes qui habitatis orbem. » Quapropter et Ecclesia ex omnibus collecta est conditionibus, ut nemo qui exors sit utilitatis relinquatur. Etenim congregationes tres sunt vocatorum, quibus omne hominum genus comprehenditur; gentes et habitantes orbem; terrigenæ et filii hominum, divites et pauperes. Quem igitur extra auditorium reliquit? Alieni a fide, per gentes vocati sunt. Qui manent in Ecclesia ii sunt, qui habitant orbem. Terrigenæ sunt qui terrena sapiunt, et carnis placita sequuntur. Filii hominum sunt qui quodam modo rationem curant exercentque, (nam ratio propria hominis est.) Divitum ac pauperum proprietas per se cognoscitur : illi quidem superabundant rerum necessariarum possessione, hi vero in earumdem inopia degunt. Cum autem medicus animarum « non venerit, ut justos vocet, » sed peccatores ad pœnitentiam [2] : » quod in qualibet conjugatione reprehensioni obnoxium erat atque damnationi, id primum in vocatione posuit. Deteriores enim

[1] Psal. XVIII, 15. — [2] Luc. V, 32.

sunt gentes quam qui habitant orbem : sed tamen præpositæ sunt in vocatione, ut qui male habent, priores a medico percipiant utilitatem. Rursus terrigenæ ante filios hominum recensiti sunt, et divites ante pauperes. Desperatus ordo, et qui difficulter salutem consequitur, ante vocatus est quam pauperes. Hujusmodi enim est benignitas medici : prius opem fert imbecillioribus. Simul autem pacis etiam conciliatrix est communitas vocationis, adeo ut qui hactenus inter se in moribus dissenserant, ob hunc conventum mutuæ assuescant caritati. Agnoscat enim dives se cum paupere præconio pari vocatum esse. « Simul in unum » enim, inquit, « dives et pauper. » Posteaquam foris reliqueris eam qua inferiores superas præstantiam, et eam quæ ex divitiis oritur elationem; ita demum ingredere in Ecclesiam Dei. Neque igitur dives pauperem despiciat; neque pauper formidet locupletum potentiam : neque filii hominum terrigenas parvipendant, nec rursus ab illis sese abalienent terrigenæ. Imo gentes cum iis qui habitant orbem, consuetudine conjungantur : et qui orbem habitant, peregrinos a testamentis per caritatem suscipiant.

II. « Os meum loquetur sapientiam, et meditatio » cordis mei prudentiam[1]. » Quoniam secundum Apostolum, « corde creditur ad justitiam, ore autem confessio » fit ad salutem[2], » et utraque dum efficiuntur, perfectionem declarant; propterea sermo utraque simul complexus est, tum oris actionem, tum cordis meditationem. Etenim si bonum in corde prius non fuerit repositum, quomodo thesaurum per os proferet qui non possidet illum in occulto? qui vero bona cordis habet, ea si verbo non divulget; dicetur illi : « Sapientia absconsa, et the- » saurus invisus, quæ utilitas in utrisque[3]? » Idcirco ut

[1] Psal. XLVIII, 4. — [2] Rom. X, 10. — [3] Eccli. XX, 32.

ad aliorum utilitatem os meum loquatur sapientiam : ita ad nostrum ipsorum profectum cor prudentiam meditetur. « Inclinabo in parabolam aurem meam, aperiam in psalterio propositionem meam[1]. » Adhuc Propheta suam ipsius personam commendat, ut ne ipsius sermones tanquam ex invento humano prolati contemnerentur. Quæ, inquit, a Spiritu doceor, ea vobis annuntio, nihil dicens quod meum sit, aut humanum : sed quia auditor sum factus propositionum Spiritûs, in mysterio tradentis nobis ipsam Dei sapientiam, aperio vobis et manifestam facio propositionem, aperio autem non aliter quam per psalterium. Est autem psalterium instrumentum musicum, sonos concinne reddens ad vocis modulationem. Rationale igitur psalterium tum maxime aperitur, cum actiones sermonibus consentaneæ redduntur ac concordes. Et ille est spirituale psalterium, qui fecit et docuit. Hic in psalmis aperit propositionem, documentorum possibilitatem suo ipsius exemplo proponens. Tanquam igitur nullius rei inconcinnæ aut rationi dissentaneæ sibi in vita conscius, ita confidenter sermones sequentes profert. « Cur timebo in die mala, iniquitas calcanei mei non circumdabit me[2]. » Malam diem, judicii diem dicit, de qua dictum est. « Dies Domini immedicabilis[3] » in omnes gentes : in qua, ait Propheta, unumquemque circumdabunt consilia sua[4]. Tunc itaque, quia nihil a me iniqui in vitæ via patratum est, malam non timebo diem. Nam peccatorum vestigia non me circumsistent, neque circumdabunt, tacita accusatione me objurgantia. Nullus enim alius accusator tui sistetur, quam ipsa facta, cum sua quæque forma astantia. Adulterium, furtum, stuprum, cum nocte, cum modo, cum proprietatibus id designantibus, et in summa,

[1] Psal. XLVIII, 5. — [2] Ibid. 6. — [3] Esai. XIII, 9. — [4] Osee VII, 2.

unumquodque peccatum cum proprio charactere producetur, claram afferens recordationem. Me igitur vestigia peccatorum non circumdabunt : quippe quia inclinavi in parabolam aurem meam, et aperui in psalterio propositionem meam.

III. « Qui confidunt in virtute sua, et in multitudine » divitiarum suarum gloriantur[1]. » Ad duas personas Prophetæ sermo est, et ad terrigenas, et ad divites. Illos enim alloquitur, sic ut existimationem quam de se ipsis ob potentiam conceperant, evertat: hos vero, sic ut destruat ipsorum ob opum copiam elationem. Vos, inquit, qui in vestra virtute confiditis, (hi enim sunt terrigenæ, qui in corporis viribus spem ponunt, et humanam naturam sufficientem esse putant, ad strenue perficienda quæ vult) : et vos, inquit, qui in incerto divitiarum fiduciam habuistis, audite : pretio redemptionis vobis opus est, ut asseramini in libertatem, qua spoliati fuistis, vi diaboli victi, qui captivos vos retinens, non prius a sua tyrannide abire liberos sinet, quam condigno aliquo redemptionis pretio adductus, permutare vos velit. Proinde redemptionis pretium non ejusdem generis esse oportet cum iis qui detinentur, sed modo mensuraque longe præstantius, si futurum est ut lubens captivos servitute liberet. Quamobrem frater vos nequaquam redimere valet. Nullus enim homo persuadere diabolo possit, ut eum qui sibi subjectus semel est, ex potestate sua eximat : qui scilicet ne pro suis quidem peccatis Deo queat piaculare sacrificium offerre. Quomodo igitur poterit id pro alio efficere? Quid rursus tanti pretii in hoc sæculo possederit, ut id cum anima quæ pretiosa est natura, idonee possit commutari, siquidem ad creatoris imaginem facta est. Qualis autem labor præsentis sæculi esse possit pro futuro sæculo

[1] Psal. XLVIII, 7.

viaticum sufficiens humanæ naturæ? Hactenus quidem hæc simplicius intelleximus. Etiamsi quis in hac vita magnopere potens sibi esse videatur, etiamsi divitiarum copia stipatus sit, eum sermo docet hanc illam existimationem deponere, atque humiliatum esse sub potenti Dei manu[1]: et neque in ea quam animo concipit potentia fidere, neque in opum multitudine gloriari. Imo possumus etiam mentem paulo altius erigere, et eos qui in sua potentia confidunt, ac de suarum divitiarum copia gloriantur, de animæ facultatibus intelligere, utpote quæ ne ipsa quidem per se sibi sufficiens sit ad salutem. Nam etiamsi quis perfectus sit in filiis hominum, si Dei sapientia absit, pro nihilo reputabitur. Quod si quispiam sibi copiam contemplationum ex mundana sapientia comparaverit, et quasdam cognitionis divitias sortitus sit, omnem audiat rei veritatem: nempe, animam omnem humanam succubuisse malo servitutis jugo communis omnium inimici, et ea quam a creatore acceperat libertate privatam, captivam ductam esse per peccatum. Jam vero captivo omni opus est redemptionis pretio ad libertatem recuperandam. Neque igitur frater fratrem suum potest redimere, neque ullus seipsum, quod redemptorem eo qui captivus est, et jam servit, oportet esse longe præstantiorem. Sed et ne ullo quidem modo eam facultatem habet homo erga Deum, ut pro peccatore eum placet, cum et ipse peccati sit reus. « Omnes enim peccaverunt, » et egent gloria Dei. Justificati gratis per gratiam ipsius » per redemptionnem quæ est in Christo Jesu Domino » nostro[2]. »

IV. « Non dabit ergo Deo placationem suam, et pretium redemptionis animæ suæ[3]. » Neque igitur fratrem in redemptionem quære, sed aliquem qui tuam excedat

[1] Pet. v, 6. — [2] Rom. III, 23. — [3] Psal. XLVIII, 8, 9.

naturam : neque hominem nudum, sed hominem Deum Jesum Christum, qui solus pro nobis omnibus Deo dare potest placationem, quod eum « proposuit Deus propitia- » tionem per fidem in sanguine ipsius [1]. » Frater erat Israël Moses, et tamen ipsum redimere non potuit. Quomodo igitur homo aliquis e vulgo liberabit ? Quamobrem illud quidem pronuntiat : « Frater non redimit : » hoc vero cum gravitate per interrogationem subdit, « Redimet » homo » Non enim a peccato populum liberavit Moses, sed Dei ob peccatum commotionem avertit [2]. Hic etiam ne dare quidem potuit placationem pro se ipso, cum esset in peccato. Nam post tot ac tanta prodigia ac signa quæ viderat, vocem illam dubitationem præ se ferentem emisit : « Audite me increduli. Numquid ex » petra hac educemus aquam vobis [3] ? » Quapropter et Dominus ob hoc verbum « dixit ad Moysen et Aaron : » Quia non credidistis mihi ut sanctificaretis me coram » filiis Israël, ob hoc non introducetis vos hanc congre- » gationem in terram quam dedi eis [4]. » Non igitur pro se ipso dabit Deo placationem. Quid enim tanti potest homo invenire, ut det pro redemptione animæ suæ ? Sed unum inventum est, pro omnibus simul hominibus sufficientissimum, quod in pretium redemptionis animæ nostræ datum est, sanctus ille ac pretiosus sanguis Domini nostri Jesu Christi, quem pro nobis omnibus effudit : quamobrem pretio etiam empti sumus. Itaque si frater non redimit, redimet homo? Si vero redimere nos non potest homo : qui redemit nos, homo non est. Ne igitur propterea quod in similitudine carnis peccati nobiscum diversatus est, hominem solum existimes Dominum nostrum, divinitatis potentiam ignorans : cui opus non erat Deo dare « placationem suam , » neque propriam redi-

[1] Rom. III, 25. — [2] Exod. XXXII. — [3] Num. XX, 10. — [4] Ibid. 12.

mere animam, quia « peccatum non fecit, nec inventus » est dolus in ore ejus[1]. » Nemo igitur se ipse redimere potest, nisi veniat qui captivitatem populi convertat, non cum pretiis, neque cum donis, sicut in Esaïa scriptum est, sed in suo sanguine[2]. Hic autem cum non essemus fratres, sed essemus inimici facti ob peccata, neque ipse homo nudus, sed Deus, post libertatem quam nobis largitur, etiam nos fratres suos appellat. « Narrabo enim, » inquit, « nomen tuum fratribus meis[3]. » Itaque qui redemit nos, si naturam quidem ipsius perpendas, neque frater, neque homo est : si vero ipsius ad nos demissionem ex gratia factam, et nos fratres nominat, et ad humanitatem descendit : « qui non dabit Deo placationem suam, » sed totius mundi. Non enim indiget placatione, sed ipse propitiatio est. « Talis enim decebat ut esset nobis Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cœlis factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi ignorantiis[4]. » Postea dicit : « Et laboravit in æternum, et » vivet in finem. » Ipsa per se vita, ipsa virtus et indefessa natura laboravit in hoc sæculo, quando « fatigatus » ex itinere, sedebat supra fontem[5]. »

V. « Qui non videbit interitum, cum viderit sapientes » morientes[6]. » Non dabit enim Pater, ut Sanctus suus videat corruptionem[7] tum, cum morientur qui sapientiam desinentem jactant. Quod si etiam de justis quoque hominibus hæc verba accipere volueris, reminiscere Job dicentis : « Homo nascitur ad laborem[8]; » et rursus Apostoli : « Abundantius illis omnibus laboravi[9]. » Item,

[1] I Pet. II, 22. — [2] Esai. LII. — [3] Psal. XXI, 23. — [4] Heb. VII, 26. — [5] Joan. IV, 6. — [6] Psal. XLVIII, 10. — [7] XV, 10 et Act. II, 31. — [8] Job. V, 7. — [9] I Cor. XV, 10.

« in laboribus abundantius [1]. » Qui igitur in hoc sæculo laboravit, hic vivet in finem : qui vero in deliciis ac omni intemperantia degit, ob mollitiem indutus purpuram et byssum [2], et epulans quotidie splendide, laboresque ob virtutem perferendos fugiens, is neque in hoc sæculo laboravit, neque vivet in futuro : sed eminus vitam videbit, in camini flamma cruciatus. Qui vero innumeris certaminibus pro virtute desudarit, quique, ut eam assequeretur, laboribus pluribus tentatus fuerit, victurus est in finem, velut ille ipse qui multum laboravit in afflictionibus Lazarus, velut ille ipse qui in certaminibus contra adversarium defessus est Jobus. « Ibi » enim, » inquit, « requieverunt fessi [3]. » Quapropter etiam Dominus eos qui laborant ac onerati sunt, ad requiem invitat [4]. Quomodo igitur qui in bonis operibus laborant, dicuntur onerati? quia « euntes ibant » et flebant, mittentes semina sua : venientes autem » venient cum exultatione, portantes manipulos suos[5] » fructibus plenos, qui pro ratione eorum quæ sata fuere, ipsis redditi sunt. Onerati itaque dicuntur, qui quod « seminarunt in benedictionibus, de benedictionibus et » metunt [6], » et cum lætitia sempiterna manipulos spiritualium fructuum sibi ipsis reponunt. Qui ergo redemptus est per Deum, qui pro eo dedit placationem, is quidem in hoc sæculo laboravit, postea vero vivet in finem. Hic etiam « non videbit interitum, cum viderit sapientes » morientes. » Qui angustam et laboriosam viam præ plana ac molli elegerit, in tempore visitationis Dei, cum adducentur ad æternam pœnam ii qui, ut non crediderunt verbis Dei, ita post vani sui cordis desideria ambulaverunt, hic non videbit æternum interitum, afflic-

[1] 2 Cor. XI, 23. — [2] Luc. XVI, 19. — [3] Job. III, 17. — [4] Matth. XI, 28. — [5] Ps. CXXV, 6. — [6] 2 Cor. IX, 6.

tionem videlicet illam perpetuo duraturam. Sapientes autem dicit aut in astutia exercitatos, de quibus ait Hieremias : « Sapientes sunt, ut faciant mala, bene au- » tem facere nesciunt [1] : » aut sapientes dicit etiam pereuntium principum hujus sæculi discipulos, qui « dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt[2]. » Nam « Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum[3]. » Et quia hæc sapientia stultos facit, ideo Deus perditurum se esse dicit sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobaturum. Persuasiones igitur hujus scientiæ falso nominatæ, iis qui eas exceperint, mortis causam afferunt : quam mortem non videbit qui redemptus est ab eo, cui visum est in prædicationis stultitia credentes salvare.

VI. « Simul insipiens et stultus peribunt, et relin- » quent alienis divitias suas : et sepulcra eorum domus » illorum in æternum. Tabernacula eorum in proge- » niem et progeniem, vocaverunt nomina sua in terris[4]. » In superioribus uno generali nomine sapientes vocavit, quos nunc dividens insipientes dicit et stultos. Palam est ipsum eos sapientes vocasse, hoc nomine ex eorum opinione usum. Quemadmodum et nominat Deos, qui dii non sunt natura, errantium secutus consuetudinem : ita quoque sapientes, insipientes et stultos dixit. Insipientem igitur a stulto cogitatione licet distinguere. Siquidem insipiens est qui prudentia privatus, in communibus ac humanis rebus perspicax non est. Sic etiam consuetudo prudentes vocat eos, qui in vitæ negotiis, utile et noxium discernunt : juxta quod dictum est et in Evangelio : « Quia filii hujus sæculi prudentiores filiis » lucis in generatione sua sunt[5]. » Non enim prudentio-

[1] Hier. IV, 22. — [2] Rom. I, 22. — [3] I Cor. III, 19. — [4] Psal. XLVIII, 10, 11, 12. — [5] Luc. XVI, 8.

res sunt simpliciter, sed ad degendam hanc in carne vitam. Rursus et villici illi iniquitatis prudentes dicuntur, quod prudenter vitam suam instituant. Prudentes quoque sunt serpentes secundum hanc significationem, quippe qui sibi ipsis parent latibula, atque in periculis omni modo plagas capitis evitent. Stultus autem is dicitur, qui non habet ea, quæ sunt hominis præcipua. Hæc autem sunt, Dei Patris notitia, et Verbi quod erat in principio apud Deum doctrina a majoribus accepta, et a sancto Spiritu procedens illustratio[1] : quam mentem habent, qui possunt cum Paulo dicere : « Nos autem » mentem Christi habemus[2]. » Attamen his vocibus vicissim ac promiscue uti solet Scriptura, utpote quæ impium vocet insipientem, videlicet loco illo, « Dixit » insipiens in corde suo, non est Deus[3]. » Et iterum id quod vitæ nocet, stultum nominat; quemadmodum Apostolus de iis qui in concupiscentias stultas et noxias incidunt. Hoc utique pacto insipiens et stultus deferuntur ad unum communem finem, perditionem videlicet[4]. Possit etiam quis dicere, insipientem quidem appellatum esse eum, qui more vivit gentium : stultum vero eum, qui more judaïco secundum nudam legis observationem vitam degit. Huic enim insipienti dixit Deus, ob eam quæ in ipso erat impietatem : « Insipiens, hac nocte » tuam animam auferunt a te[5]. » Israël autem qui secundum carnem est, vocatus est stultus, juxta Prophetam dicentem : « Et erat Ephraïm quasi columba stulta : » Ægyptum invocabat, et ad Assyrios ibat[6]. » His igitur per suam ipsorum inscitiam simul contritis, alieni nos divitiarum suarum hæredes efficimur. Nostra enim sunt præcepta, nostri Patriarchæ, nostri sunt qui a sæculo

[1] Joan. I, 2. — [2] I Cor. II, 16. — [3] Psal. XIII, 1. — [4] Rom. I, 31. — [5] Luc. XII, 20. — [6] Ose. VII, 11.

justi fuere. Suas nobis divitias reliquerunt qui in sua insipientia periere. Horum autem domus, insipientis et stulti, sepulcra sunt in æternum. Quorum enim vita mortuis operibus ex omni peccato scaturientibus repleta est, horum domus sepulcra sunt in æternum. Qui enim mortuus est per peccata, non domum habitat, sed sepulcrum, cum anima ejus mortua sit. Nam domum habitat morum integer ac simplex Jacob, de quo scriptum est, quod erat « homo sincerus ac bonus habitans do-» mum[1] : » sepulcrum vero habitat is, qui omnino malus est, atque ne pœnitentiæ quidem fundamentum de mortuis operibus jacit : sed similis sepulcro dealbato efficitur[2], quod quidem forinsecus conspicuum est, intrinsecus vero mortuorum ossibus cunctisque sordibus refertum est. Quamobrem talis dum loquitur, non os aperit verbo Dei, sed sepulcrum habet apertum, suum scilicet guttur. Si quis igitur in Christum credens, actiones edit fidei non consentaneas, is propterea quod prava attenderit dogmata, Scripturæque perverterit sensum, in petra sibi ipse sepulcrum incidit.


VII. « Tabernacula eorum in progeniem et proge-» niem, » hoc est, sepulcra domus eorum sunt in æternum. Deinde explanans de quibus intelligat sepulcris, ut se de corporibus sermonem habere ostendat, in quibus animæ per nequitiam mortuæ inhabitant, adjunxit ipsis, « Tabernacula eorum in progeniem et progeniem : » quippe ex consuetudine, humana corpora semper tabernacula appellantur. Hi autem vocant quoque nomina sua in terris. Non enim impii nomen scribitur in libro viventium, neque numeratur cum Ecclesia primogenitorum qui numerantur in cœlis : sed, quod transitoriam hanc et brevem vitam tabernaculis æternis prætulerunt,

[1] Gen. xv, 27. — [2] Matth. xxiii, 27.

nomina ipsorum in terra permanent. Non vides eos qui ædificant in urbibus fora ac gymnasia, extruunt mœnia, aquæductus construunt, quomodo eorum nomina his terrenis indita sint ædificiis? Jam vero nonnulli, nomine suo armentis etiam equorum imposito, induxere in animum, ut in longum vitæ tempus sua ipsorum memoria extenderetur. Quin etiam magnificentia in sepulcris ostensa, monumentis nomina sua insculpserunt. Hi sunt qui terrena sapiunt, et præsentem gloriam ac hominum recordationem sibi ad felicitatem satis esse existimant. Quod si quem etiam videris eorum, qui ob falsi nominis scientiam superbiunt, et pravis quibusdam dogmatibus assentiuntur, ac loco nominis Christiani, ab uno aliquo hæresiarcha sibi nomen asciscunt, puta a Marcione, aut Valentino, aut ab aliquo eorum qui ex ignotis nunc conspicui sunt: velim noveris hos quoque sua nomina vocasse in terris, ut qui hominibus corruptis ac plane terrenis addixerint.


VIII. « Et homo cum in honore esset, non intellexit: » comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus » est illis. Hæc via illorum scandalum ipsis: et postea » in ore suo complacebunt[1]. » Magna res homo, et pretiosum quiddam vir misericors, dignitatem excellentiamque in naturali sua constructione habens. Quid enim aliud ex iis quæ in terra sunt, ad conditoris imaginem factum est? Cui principatus et potestas in omnia animalia tum terrestria[2], tum aquatilia, tum aërea concessa est[3]? Est quidem paulo inferior angelis dignitate[4], ob suam cum terrestri corpore conjunctionem: quippe hominem fecit de terra[5], « et ministros suos flammam » ignis[6]. » At certe vis intelligendi et cognoscendi

[1] Psal. XLVIII, 13, 14. — [2] Gen. I, 27. — [3] Ibid. 28. — [4] Psal. VIII, 6. — [5] Gen. II, 7. — [6] Hebr. I, 7.



conditorem et opificem suum inest etiam in hominibus. » Insufflavit enim in faciem[1], » hoc est, aliquam gratiæ propriæ partem in hominem immisit, ut simile per simile cognoscat. Attamen cum in tanto esset honore, ex eo quod ad conditoris imaginem conditus esset, magis sole, magis stellarum choreis honoratus : ecquod enim cœlorum imago Dei altissimi dictum est? Qualem etiam imaginem conditoris sui servat sol? quid luna? quid reliquæ stellæ? corpora inanimata quidem et ex materia constantia ac solum pellucida sortitæ, in quibus nusquam mens est, non voluntarii motus, non liberum arbitrium; sed serviunt incumbenti necessitati, per quam semper modis immutabilibus circa eadem versantur : homo, inquam, magis his honoratus, non intellexit : sed, quod eum sequi, et conditori similis fieri neglexit, servus effectus cupiditatum carnis, « comparatus est jumentis » insipientibus, et similis factus est illis. » Nunc quidem tanquam equus amore furens fœminarum, adhinnit proximi sui uxori[2] : nunc vero tanquam lupus rapax alienis insidias struit[3] : interdum ob adhibitum adversus fratrem dolum, versutiæ vulpis assimilatur[4]. Est autem cumulus stultitiæ et dementiæ plane belluinæ, eum qui conditus est ad creatoris imaginem, neque primam suam constitutionem percipere, neque tot ac tanta pro se dispensata mysteria intelligere velle, et ne ex illis quidem dignitatem suam cognoscere : sed immemorem esse, quod abjecta rei cœlestis imagine, rei terrenæ imaginem sumpserit. Atque ut ne in peccato permaneat, propter eum : « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis[5], » et usque adeo se ipsum depressit, ut factus sit « obediens » usque ad mortem, mortem autem crucis[6]. » Primæ

[1] Gen. II, 7. — [2] Hier. v, 8. — [3] Ezechiel. XXII, 27. — [4] Ezech. XIII, 4. — [5] Joan. I, 14. — [6] Philip. II, 8.



tuæ originis si memor non es, ex persoluto pro te pretio qualemcumque dignitatis tuæ notionem accipe ; ad pretium illud quo commutatus es respice, tuamque agnosce dignitatem. Emptus es pretiosissimo Christi sanguine. Peccati ne fias servus. Intellige tuam præstantiam, ut ne jumentis insipientibus assimileris. « Hæc via eorum, » scandalum ipsis. » Qui res nostras moderatur Deus, obsistit nobis per malitiæ viam incedentibus, offendicula et impedimenta objiciens, ut a vita rationis experte resilientes, postea in nostro ore complaceamus, ubi « corde » quidem crediderimus ad justitiam, ore vero confessi » fuerimus ad salutem [1]. » Persequebatur Paulus, devastabat Ecclesiam Christi [2], suum ad nequitiam cursum acceleravit : deinde in ore suo complacuit, cum annuntiaret in Synagogis quod hic est Christus [3].

IX. « Sicut oves in inferno posuit, mors depascet « eos [4]. » Quicumque autem belluini sunt ac comparati fuere stolidis pecoribus, velut oves neque intellectum neque defendendi se facultatem habentes, is qui ad captivitatem rapit, cum inimicus sit, jam in suam ipsius arcem conjecit, ac morti tradidit pascendos. Depascebat enim mors ab Adam ad usque Moysis administrationem [5], donec venit verus pastor, qui suam animam pro ovibus posuit [6], sicque eas secum excitatas, et ex inferni carcere ad resurrectionis matutinum eductas, rectis tradidit, hoc est, sanctis suis angelis, eas ut pascerent. « Et dominabuntur eorum recti in matutino. » Cuilibet enim fidelium est angelus adjunctus, qui dignus est, qui diversantem in cœlis Patrem videat. Hi igitur recti eis ex amarissima servitute liberatis dominabuntur, et dominabuntur ipsis constitutis in matutino, hoc est,

[1] Rom. x, 10. — [2] Act. viii, 3. — [3] Id. ix, 22. — [4] Psal. xlviii, 15. — [5] Rom. v, 14. — [6] Joan. x, 15.

ad lucis exortum accedentibus. Considera omnem verborum Scripturæ seriem : « Homo cum in honore esset, « non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus. » Qui ex sua conditione habet dignitatem, et propter inhabitans in ipso peccatum, non cognoscit seipsum, is jumentis comparatus est. Deinde quod a verbo Dei sese abalienavit, effectum brutum, velut ovem pastore destitutam inimicus abripuit, posuitque in inferno, et morti tradidit pascendum. Quapropter inde exemptus, et a maligno pastore liberatus, ait : « Dominus pascit « me [1], » et non amplius mors, sed vita : non amplius casus, sed resurrectio : non amplius mendacium, sed veritas. « Et auxilium eorum veterascet in inferno. » Aut loquitur de morte, quæ cum omni suo præsidio eos quos pascebat, detinere non potuit, propter illum a quo destructus est is qui mortis habebat imperium [2]; quorum omne auxilium vetus et infirmum est, tuncque redarguetur auxilium hominum eorum, qui mente decepti, ob divitias gloriamque et potestatem se ipsi multum efferunt : « In inferno veterascet » tum, cum fuerit eorum imbecillitas deprehensa : aut forte auxilium justorum quos redemit Dominus, in inferno protendetur. Nondum enim acceperant promissiones, quod Deus de nobis melius quid providerat; ne ii qui præiverant, sine nobis consummarentur [3]. « Verumtamen Deus redimet ani« mam meam de manu inferi, cum acceperit me [4]. » Palam prædicit Domini ad inferos descensum, qui una cum aliis ipsius etiam Prophetæ animam liberabit, ut ne illic remaneat.

X. « Ne timueris, cum dives factus fuerit homo, vel « cum multiplicata fuerit gloria domus ejus [5]. » Ne timue-

[1] Psal. XXII, 1. — [2] Hebr. II, 14. — [3] Id. XI, 40. — [4] Psal. XLVIII, 16. — [5] Id. 17.

ris, inquit, cum dives factus fuerit homo. Necessaria est et hæc prædicatio iis qui orbem habitant, terrigenisque ac filiis hominum, divitibusque simul et pauperibus : « Ne timueris, cum dives factus fuerit homo. » Cum videris, inquit, injustum ditescentem, justum vero egentem, ne timeas apud temetipsum, ne consterneris animo, tanquam si nusquam sit providentia Dei, quæ res humanas inspiciat. Aut est quidem fortassis inspectio divina, sed ea nequaquam ad terrestrem locum pertingit, adeo ut res quoque nostras intueatur. Etenim si esset providentia, unicuique distribueret propria, sic ut divites quidem essent justi, qui divitiis uti scirent : pauperes vero essent mali, quibus divitiæ instrumentum forent suæ ipsorum iniquitatis. Cum igitur multi sint inter gentes atque terrigenas, qui talia sentiunt, quique propter apparentem inæqualitatem distributionis rerum ad vitam pertinentium, mundum citra providentiam regi suspicantur, hos compellat sermo, ineruditum ipsorum motum coërcens : quos ipso etiam initio ad audienda dogmata invitabat. Aut etiam privatim ad solam pauperis personam orationem convertit, dicens : « Ne timeas, cum dives factus fuerit homo. » Hi enim vel maxime indigent consolatione, ne potentiores reformident. Nulla enim, inquit, utilitas est diviti morienti, cum non queat secum auferre divitias, qui scilicet id ex earum possessione lucratus sit solum, quod ipsius anima in hac vita ab adulatoribus beata prædicata sit. Verum cum moritur, non assumet, inquit, omnem hanc opulentiam : vix indumentum accipiet, quo pudenda ejus tegantur, idque, si visum fuerit famulis ipsum amicientibus. Bene cum eo actum fuerit, si exiguam terram sortiatur, eamque ipsi a funeris curatoribus datam ob commiserationem : qui ei isthæc præs-

tant, ob communis humanæ naturæ reverentiam, non ei hæc largientes, sed humanam naturam honore afficientes. Proinde ne sis pusillo animo circa præsentia : sed expecta beatam illam et perpetuam vitam. Tunc enim videbis paupertatem, et ignominiam, et deliciarum privationem ei qui justus est bene cedere. Et ne conturberis nunc propter ea quæ putantur bona, tanquam injuste sint divisa. Audies enim quomodo dicetur diviti quidem : « Recepisti bona tua in vita tua[1] : » pauperi vero, quod acceperit mala in vita sua. Quapropter ut hic jure ac merito reperit consolationem, ita ille dolore cruciatur. « Confitebitur tibi cum bene« feceris ei[2]. » Loquitur de homine terreno, et qui bona esse existimat solas vitæ hujus prærogativas, opes, sanitatemque et potentiam. De hoc isto dicit, quod Deo confitebitur, cum fuerit affectus beneficiis, in adversis autem omnem proferat blasphemiam. Nam relicto paupere, Deum jam alloquitur in redarguendis divitiis etiam hoc adhibens, quod dives in sola opulentia Deo agat gratias, nec amplius idem permaneat, ubi res aliquæ tristiores acciderint. Tale enim est etiam illud diaboli in criminis loco objectum Jobo, quod Job non gratis colat Dominum, sed divitias mercedem pietatis obtineat[3], et reliqua. Idcirco etiam ad ostendendam viri virtutem, eum iis quæ possidebat privavit Deus, ut in omnibus gratus hominis in Deum animus innotesceret.

XI. « Introibis usque in progenies patrum ipsius[4]. » Arbitror eum hoc de peccatore dicere, quod tantum cognoscit Deum, quantum patrum ipsius consuetudo tradidit; propria vero sapiendi facultate nihil amplius acquirit, neque parat sibi quidquam ad veritatis agnitionem. Tantum igitur, inquit, accedis tu, Deus, et

[1] Luc. XVI, 25. — [2] Psal. XLVIII, 19. — [3] Job. I, 9. — [4] Psal. XLVIII, 20.

tanta ei de te inest intelligentia, quanta in generatione patrum ipsius extitit. Et hîc animum valde inertem et terrenum, ac carni addictum exhibet, ejus qui in divitiis deliciisque volutatur, ac mentem habet hujus vitæ curis suffocatam. « Quapropter usque in æternum « non videbit lumen. » Qui enim se cæcis doctoribus ducendos commiserint, semetipsos lucis usu privaverunt. Quin et talem quemdam sensum habet illud : « Introibis « usque in progenies patrum ipsius : » hoc est, eos qui in mala vita et dogmatibus paternis quidem, sed a pietate alienis deprehensi sunt, non ulcisceris modo, sed auctores etiam pravorum dogmatum inquiris. Atque hoc est quod dicitur : « Introibis usque in progenies patrum « ipsius. » Non enim solum qui prave de Deo sentit, reus est : sed etiam qui aliis ad hanc perditionem præivit. Ejusmodi autem sunt et qui majorum malignitatem suscepere : quæ, quod diutina consuetudine corroborata est, elui vix potest. « Usque in æternum non « videbit lumen. » Mittuntur enim in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium; idque justo Dei judicio patiuntur, cum in hac vita inter mala patranda oderint lumen. « Homo cum in honore esset, « non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, « et similis factus est illis[1]. » Miserabilis vox. Homo paulo angelis inferior, de quo et Salomon ait : magnum quiddam est homo, et res pretiosa vir misericors : hic ipse, eo quod propriam non percepit dignitatem, sed carnis cupiditatibus succubuit, « comparatus est « jumentis insipientibus, et similis factus est illis. »

[1] Psal. XLVIII, 21.

HOMILIA XI.

IN PSALMUM LIX.

I. Cum[1] vestram ad audiendum alacritatem, mearumque virium debilitatem intueor, similitudo pueri cujuspiam animum subit : qui quidem jam robustior est, necdum tamen a lacte depulsus fuit, sed maternam mamillam præ infirmitate exsiccatam divexat : cui mater, etiamsi siccos lactis fontes habere se sentiat, quia tamen trahitur et ab ipso vellicatur, mammam porrigit, non ut nutriat infantem, sed ut ipsum ejulantem sedet. Et quidem tametsi vires nostræ longa hac ac varia corporis ægritudine exaruerunt, nihilominus tamen præsto sunt vobis, non ministraturæ delicias eximias, sed quod utcumque vobis satisfacere possit : quippe amoris vestri magnitudini satis est, si vel sola voce desiderium in me vestrum leniatur. Salutetur igitur Dei ecclesia, ac dicere discat quod modo legebamus : « Da « nobis auxilium de tribulatione : et vana salus homi- « nis[2]. » Quare fortassis ne causari quidem infirmitatem sinit psalmi sententia : siquidem afflictio, non debilitatis prætextus auxilium opemque conciliat. Qui ergo sunt repulsi ob peccata, ac deinde Dei misericordia rursus admissi, iis fuerit opportunum dicere : « Deus « repulisti nos, et destruxisti nos : iratus es, et miser- « tus es nostri[3]. » Vel potius quoniam de psalmi sententia incidit sermo : age, expositionem ejus aliquatenus attingamus.

[1] Vide D. Guillon tom. VII, 181. — [2] Psal. LIX, 13. — [3] Ibid. 3.

II. Historia præsentis psalmi, ad verbum quidem secundum inscriptionem, nusquam hoc tempore in traditis divinitus historiis invenitur. Attamen aliqua huic non imparia ab iis qui diligenter inquirunt, in secundo regnorum libro reperientur, in quo scriptum est : « Et » percussit David Adrazar filium Raab, regem Soba, » cum iret ipse ad imponendam manum suam super flu- » men Euphratem. Et cepit David de rebus ejus mille » currus, et septem millia equitum, et viginti millia » virorum peditum. Et dissolvit David omnes currus : et » dereliquit ex eis centum currus[1]. » Et paulo post dicit : » Et regnavit David super Israël, et erat David faciens » judicium et justitiam, et Joab filius Sarviæ super exerci- » tum erat. » Nec multo post : « Et miserunt filii Ammon, » et mercede conduxerunt Syriam Rhoob, et Syriam » Soba viginti millia hominum : et vidit Joab quod esset » ad se contraria facies prælii ; et elegit ex omnibus » filiis Israël, et struxerunt aciem ex adverso Syriæ : et » viderunt servi Adrazar, quod ceciderunt ante Israël, » et transfugerunt ad Israël, et servierunt eis [2]. » Inscriptionem psalmi huic fragmento historiæ reperimus convenire, nisi quod tituli hujus inscriptio id tempus spectat, quo David ob res bello fortiter gestas, multo clarissimus erat ac illustrissimus. Quare par fuerit quærere, qua ratione a luctu et lamentis ordiatur, cum ipsum ob præclara facinora perlætum esse oporteret ac valde hilarem. Aliæ enim sunt festum diem agentium voces, aliæ tristium. Epinicia autem argumentum sunt communis celebritatis non militibus solum, sed etiam agricolis et mercatoribus et artificibus, et omnibus qui bonorum pacis participes fiunt. Quomodo igitur « Deus repulisti » nos, et destruxisti nos ? » Atqui eos effecerat victores.

[1] 2 Reg. VIII, 3 et seq. — [2] Id. X, 6.

Quomodo autem destruxit, quos adeo locupletavit, tradens ipsis arma, et currus, et equos, et subditos, ac regionem vectigalem, Arabiam omnem, Phœnicem, Mesopotamiam? Num vitium aliquod ingrati animi verba isthæc præ se ferant, scire operæ pretium est. Qui enim prius Adrazar regem Soba evertit, eique currus mille eripuit, et septem millia equitum, et viginti millia peditum, quique rursus Syriæ regem lapso suppetias ferentem redegit in servitutem, fecitque vectigalem, ac in uno temporis momento viginti duo millia ipsius occidit, et tertia victoria filios Ammon qui aciem instruxerant juxta civitatis portam, per Joab exercitus ducem devicit, qui viribus suis in duas partes divisis, aliis quidem occurrit a fronte, alios vero a tergo adortus subegit; quomodo post ejusmodi strenua facta, adeo tristia ac mœsta profert, dicens: « Deus repulisti nos, et destruxisti » nos : iratus es, et misertus es nostri? » Porro tempus quidem inscriptionis tituli, illud erat, quo egregia facinora perpetravit : vis vero eorum quæ scripta sunt, ad finem refertur; eum autem finem dicit, qui in sæculorum consummatione eventurus est. Quapropter et iis qui immutabuntur, scriptum psalmum esse dicit. Potest autem id intelligi de omni omnino hominum genere, quod ad omnes hujus psalmi utilitas perveniat. Qui enim immutantur, et qui immutabuntur, ii sunt qui neque eumdem corporis habitum servant, neque in eadem semper persistunt sententia : sed qui ut corpore alii efficiuntur juxta ætatum vicissitudines, ita mente pro casuum varietatibus permutantur. Alii namque sumus pueri, alii puberes, alii viri jam facti, ac consenescentes iterum omnino immutamur. Et alii quidem sumus in lætiore rerum statu : alii vero ex aliis efficimur, asperiore temporum casu usi, alii dum ægrotamus, alii dum

valemus : alii in nuptiis, alii in luctu. Aut quoniam dictum non est, « iis qui immutantur, » sed « iis qui » immutabuntur, » voxque speciem prophetiæ præ se fert, quod futuri sit temporis; convenientius fuerit, ut immutandos intelligamus eos, qui, relicta vana patrum suorum consuetudine, ex Evangelii disciplina vitam suam erant instituturi. Itaque non illius ætatis Judæis hic psalmus scriptus est, sed in nobis immutandis, qui Deorum multitudinem in pietatem, ac idolorum errorem in conditoris nostri cognitionem mutavimus : qui pro repugnante levi voluptate, consentientem legi temperantiam elegimus : qui pro tibiis et choris ac ebrietate psalmum jejuniumque et precationem nobis vindicavimus. Proinde qui hunc psalmum dixerit scriptum nobis esse, a veritatis scopo haud aberrabit. Ideo et nostra sunt oracula divina, et ab Ecclesia Dei, tanquam dona divinitus missa, in singulis conventibus leguntur, velut alimentum quoddam animarum, quod a spiritu subministretur. Sed et hic psalmus scriptus est ut in columna inscribatur, hoc est, non negligenter et perfunctorie audiatur; neque quemadmodum cito delentur quæ in materia se facile corrumpente scribuntur : sic in tuo animo isthæc ad breve tempus memoriæ insculpas; deinde ipsa confundi ac obliterari sinas, sed in tua anima ceu in columna incisa sint, id est, immutabiliter ac firmiter per omne tempus in memoria insideant. Quod si nos repulerit Judæus, velut a scriptis alienos; per hæc quæ scripta sunt, ipsum afficiamus pudore : sic ut ostendamus mixtam vocationem esse, quæ distantia colligit, et ea quæ procul absunt convocat, ac per fidem in Christum efficit multos unum. « Meus est, » inquit, « Galaad, et meus » est Manasses[1]. » Et Ephraïm dixit, et Judam assumpsit,

[1] Psal. LIX, 9.

et annumeravit Moab. Quin et in Idumæam ascensurum se minatur, ac omnium simul subjectionem annuntiat : « Mihi alienigenæ subditi sunt[1]. »

III. « Deus » igitur, « repulisti nos. » Eos qui semetipsos a te elongant, pro ratione delictorum repulisti. Destruxisti iniquitatis nostræ congeriem, ob infirmitatem nobis benefaciens. Iratus es, cum natura essemus iræ filii, spem non habentes, et ne Deum quidem in mundo agnoscentes. Misertus es nostri tum, cum Unigenitum tuum pro nostris peccatis propitiationem proposuisti, ut in ejus sanguine inveniremus redemptionem. Quæ utique non agnovissemus beneficio tuo nobis contigisse, nisi nos « vino compunctionis[2] » potasses. Vinum autem appellat sermonem, quo obduratum cor ad sensum deducitur. « Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a » facie arcus[3]. » Moses quidem Israëlitarum postes ovillo sanguine obsignavit [4]; tu vero nobis dedisti significationem, sanguinem ipsum incontaminati agni, qui pro mundi peccato immolatus est. Et Ezechiel in frontes facierum signum datum esse dicit : « Ambulate enim, » inquit, « post ipsum, et percutite, ne peperceritis, » neque misereamini : seniorem, et juvenem, et infan- » tem, et virginem, et mulieres interficite ad interne- » cionem : ad omnes vero in quibus est signum, ne appro- » pinquetis[5]. » Deus locutus est in sancto suo, lætabor, » et partibor Sicimam[6]. » Sicima peculiare prædium, Josepho a Jacobo datum[7], figura ac typus est testamenti, quod Israëli soli traditum esse videtur. Itaque peculiare illud testamentum hæreditatemque populi adducam in divisionem, ac cum cæteris communicabo. Postquam ergo testamentum inter omnes distributum fuerit, et

[1] Psal. LIX, 10. — [2] Ibid. 5. — [3] Ibid. 6. — [4] Exod. XII, 7. — [5] Ezech. IX 5. — [6] Psal. LIX, 8. — [7] Gen. XLVIII, 22.

illius utilitas omnibus beneficio a Deo affectis facta fuerit communis, tunc etiam convallis tabernaculorum metietur : hoc est, totus terrarum orbis habitaculis per singula loca quasi quibusdam sortibus dividetur. Tunc demum distantia conjunget is, qui « pacificat sive quæ in terris, » sive quæ in cœlis sunt[1] : Et medium parietem maceriæ » solvens, utraque unum faciet[2]. »

IV. « Meus est Galaad, et meus est Manasses. » Galaad Manassæ est soboles; ut Patriarcharum seriem ostendat ex Deo descendentem, ex quibus Christus est secundum carnem. « Et Ephraim susceptio capitis mei. » Juda rex meus[3]. » Abscissas partes connectit per concordiam. « Moab spei lebes, » aut, « lebes lavacri, » ait alius quidam interpres : aut, « lebes securitatis; » hoc est, vilis et ábjectus homo, cui cum minis interdictum est, ne in Domini Ecclesiam ingrediatur. Non enim intrabit Moabites et Ammonites usque ad tertiam, et usque ad decimam generationem, et usque ad æternum tempus. Quoniam tamen baptisma remissionem habet peccatorum, ac debitoribus affert securitatem; idcirco, factam per baptismum redemptionem et conjunctionem cum Deo ostendens, « Moab, » inquit, « lebes est lava- » cri, » aut, « lebes securitatis. » Omnes igitur « alieni- » genæ » subditi sunt, utpote qui se Christi jugo submiserint : quare in Idumæam suum extendet calceamentum. Divinitatis autem calceamentum caro est Dei gestatrix, per quam ad homines accessit. Ob hanc spem, Propheta beatum prædicans tempus adventus Domini, ait : « Quis deducet me in civitatem munitionis[4]. » Fortassis Ecclesiam dicit, quæ quidem civitas est, quod sit cœtus qui legibus regitur : « civitas » vero « munitio- » nis, » ob fidei munimentum. Unde interpres quidam

[1] Coloss. I, 20. — [2] Ephes. II, 14. — [3] Psal. LIX 10. — [4] Ibid. 11.

significantissime reddidit : « in civitatem circummunitam. » Quis igitur dabit mihi, ut magnum illud spectaculum conspiciam, Deum inter homines diversantem? Illud est, quod a Domino dictum fuit : « Multi Prophetæ et justi cupierunt videre, quæ videtis, et non viderunt[1]. »

V. « Da nobis auxilium de tribulatione[2]. » Auxilium ne quæramus a robore, ne a bona corporis habitudine : ne ab ullo eorum, qui clari et illustres ab hominibus habentur, opem consequi velimus. Non in pecuniarum exuperantia, non in potentiæ fastu, non in gloriæ sublimitate sita victoria est : sed ex summa tribulatione largitur Dominus auxilium iis qui ipsum inquirunt. Talis erat et Paulus, qui in suis gloriabatur tribulationibus[3]. Quare dicere poterat, « cum infirmor, tunc potens sum[4]. » « Da nobis » igitur, « Domine, auxilium de tribulatione; » cum « tribulatio patientiam operetur, patientia probationem, probatio spem : spes autem non confundat[5]. » Vides quo tribulatio te subvehat? ad spem quæ non confundit. Ægrotas? gaude, quia « quem diligit Dominus, castigat[6]. » Pauper es? lætare, quia lazari bona te excipient. Ignominia afficeris propter Christi nomen? beatus es, quia tuum dedecus in angeli gloriam vertetur. Nobis, fratres, tentationis tempore persuadeamus, ut ne ad humanas spes confugiamus, nec inde nobis quæramus auxilia : sed in lacrymis, et suspiriis, et sedula obsecratione, et intentis vigiliis preces peragamus. Hic enim e tribulatione præsidium accipit, qui opem humanam ut vanam aspernatur, ac spe nititur illius, qui nos salvos facere potest, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Matth. XIII, 17. — [2] Psal. LIX, 13. — [3] Rom. V, 3. — [4] 2 Cor. XII, 10. — [5] Rom. V, 3. — [6] Heb. XII, 6.

HOMILIA XII.

IN PSALMUM LXI.

In finem pro Idithum, psalmus Davidi.

I. Psalmos duos novimus, quibus inscriptio est, pro Idithum, tricesimum octavum, et hunc quem habemus in manibus. Et arbitramur quidem a Davide compositum opus esse, datum vero Idithum pro utilitate ipsius, ad corrigendas animæ affectiones, et ad concinnandam coram populo melodiam, per quam et Deus afficiebatur gloria, et mores eorum qui harmoniam audiebant emendabantur. Erat enim et Idithum ipse sacrorum psalmorum cantor, ut nobis testatur Paralipomenon historia, dicens : « Et cum ipsis Æman et Idithum, et tubæ et » cymbala ad resonandum, et organa canticorum Dei[1]. » Et paulo post ait : « Statuit David Rex, et principes » exercitus ad opera filios Asaph et Æman et Idithum, » sonos edentes in citharis, et in nablis et in tympanis[2]. » Itaque de patientia psalmus uterque plurimum tractat, per quam ut sedatur animi indignatio, ita, omni superbia exterminata, humilitas acquiritur. Fieri enim non potest, ut is qui infimo ultimoque loco erga omnes haberi non vult, queat unquam aut dum conviciis impetitur, iræ dominari, aut dum afflictatur, per patientiam tentationes superare. Qui enim ad summam humilitatem pervenit, is cum in conviciis suam vilitatem majorem prior agnoscat, ob verba ignominiosa animo non com-

[1] 1 Paral. xvi, 41 et 42. — [2] Id. xxv, 1.

movebitur. Sed si appelletur pauper, novit se ipsum pauperem esse, et omnium indigum, ac quotidiano Domini stipendio opus habere : si vero vocatur ignobilis et obscurus, prius sibi in suo corde conscius est, procreatum esse se ex luto. Quapropter illic quidem ait, « Dixi : » custodiam vias meas, » peccatorisque conjurationem narrat, et propriam patientiam. « Cum enim, » inquit, « consisteret peccator adversum me, obmutui et humi» liatus sum, et silui a bonis[1]. » Postea progrediens, ait : « Verumtamen omnia vanitas, omnis homo vivens : » deinde, « thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea. » At in præsenti psalmo dubitanter orditur, velut ad animam suam loquens, tanquam si isthæc ex prius dictis consequerentur. Etenim ne anima sensui carnis subdita, ad iras et tristitias provocetur : Cur, inquit, affectionum malarum servam facio animam, cui corporis affectionumque ejus principatus a Deo qui eam condidit, concreditus est? Oportet itaque imperare affectibus, et servire Deo. Fieri enim non potest, ut ipsa et a peccato et a Deo regatur : sed ut malitiæ oportet eam dominari, ita Domino universorum subjectam esse. Quare Propheta insurgens in eum, qui tentationes inducit, multamque malorum turbam ei excitat, et suum studium in id confert, ut spiritus celsitatem redigat in servitutem, ac ipsum carni subjiciat, velut redarguens vanam illius adversum se versutiam, hæc dicit : Quid me servire cogis iis quibus fas non est? Mihi Dominus est, agnosco verum regem.

II. « Nonne Deo subjecta erit anima mea? ab ipso » enim salutare meum[2]. » Causam dixit cur subjici studeat : quoniam a Deo salutare est. Proprium enim opificis est, opificiorum suorum incolumitatem curare. Vel,

[1] Psal. XXXVIII, 1. — [2] Psal. LXI, 2.

» ab ipso salutare est; » quoniam prophetice prævidens futuram esse gratiam incarnationis Domini, hæc dicit : nimirum Deo servire oportere, et ipsum diligere, qui beneficium tantum prior contulerit in hominum genus, ut ne proprio quidem filio pepercerit, sed pro nobis omnibus illum tradiderit [1]. Mos est enim Scripturæ, ut Christum Dei, salutare appellet; sicut alicubi etiam Smeon ait : « Nunc dimittis servum tuum Domine : » quia viderunt oculi mei salutare tuum [2]. » Subjiciamur igitur Deo, quod salutare ab ipso est. Quid autem sit salutare, explicat. Non nuda quædam est operatio, aliquam nobis beneficentiam afferens, qua ab infirmitate liberemur, bonaque corporis habitudine utamur. Sed quid est salutare? « Etenim ipse Deus meus, et Salvator » meus, susceptor meus, non movebor multum [3]. » Filius qui ex Deo est, Deus noster est. Idem etiam salvator est generis humani, debilitatem nostram fulciens, ac commotionem ex tentationibus animis nostris advenientem corrigens. « Non movebor multum. » Humano more confitetur commotionem. « Multum. » Fieri enim non potest ut in hominis natura commotio nulla excitetur a tentationibus. Dum igitur parva et pauca peccata committimus, leniter quodammodo commovemur, velut plantæ quæ a leni aura agitantur : ubi vero plura majoraque fuerint mala; pro ratione incrementi peccatorum, etiam commotio augeri solet. Et alii quidem multum commoventur : alii vero usque adeo, ut etiam radicitus eversi dejiciantur, cum spirituales nequitiæ quasi radices animæ, quibus per fidem in Deum subnixa erat, omni turbine violentius abruperint. Ego itaque, inquit, commotus quidem sum ut homo, sed multum non commovebor, quoniam suffulcior dextera manu Salvatoris.

[1] Rom. VIII, 32.— [2] Luc. II, 29. — [3] Psal. LXI, 3.

III. « Quousque irruitis in hominem, interficitis universi vos, tanquam parieti inclinato et maceriæ depulsæ[1]? » Rursus adversus pravos diaboli ministros pugnat hic sermo, immodicas quæ ab ipsis struuntur insidias accusans. Nimirum homines animal debile sunt; vos autem irruitis, primo assultu non contenti : sed et secundum et tertium infertis, donec sic animam ejus qui in vos inciderit, subvertatis, ita ut parieti inclinato et maceriæ dirutæ fiat consimilis. Paries autem quamdiu quidem situm rectum conservat, firmus manet; ubi vero inclinatus fuerit, ipsum dissolutum cadere omnino necesse est. Nam pondera ex uno constantia post inclinationem eriguntur : sed ea quæ ex pluribus componuntur, postquam inclinationem ad unam partem perpessa fuerint, denuo erigi non possunt. Ostendit igitur sermo, naturam hominis cum composita sit, inclinatam quidem fuisse a peccato, sed ipsam penitus solvi oportere, ut ab artifice qui eam ab initio ædificavit rursus reparata, statum accipiat tutum, indissolubilemque, et insidiis alterius casus inaccessum. « Dei agricultura, inquit, « Dei ædificatio estis[2]. » Ædificationem istam concussit inimicus, at fracturas in ea factas opifex instauravit. Sic necessarius quidem est casus, propter peccatum : sed magna est resurrectio, ob immortalitatem. « Veruntamen pretium meum cogitaverunt repellere, cucurrerunt in siti, ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant[3]. » Pretium hominis est sanguis Christi : « Pretio enim, » inquit, « empti estis, nolite fieri servi hominum[4]. » Hoc igitur pretium inutile reddere cogitaverunt milites hujus maligni, semel liberatos rursus in servitutem adducentes. « Cucurrerunt in siti. » Concitationem ac vehementiam insidiarum dæmonum

[1] Psal. LXI, 4. — [2] 1 Cor. III, 9. — [3] Psal. LXI, 5. — [4] 1 Cor. VII, 23.

enuntiat : quippe adversum nos currunt, interitum nostrum sitientes. « Ore suo benedicebant, et corde suo » maledicebant. » Multi sunt qui pravas comprobant actiones; et dicacem quidem lepidum dicunt, eum vero qui obscena verba profert, politicum : amarulentum et iracundum, non contemnendum dicunt : laudant parcum et illiberalem ut œconomicum, prodigum tanquam liberalem, scortatorem et lascivum, ut virum genio indulgentem, et animi solutioris : denique vitium omne specioso nomine virtutis adjacentis appellant. Tales ore quidem benedicunt, corde vero maledicunt. Nam verbis bene ominatis omnem execrationem vitæ illorum ingerunt, ipsosque æternæ damnationis reos per ea quæ approbant, constituunt. Rursus alloquitur animam, ejus erga Deum obedientiam adaugens. « Verumtamen, » inquit, « Deo subjecta esto anima mea, quoniam ab ipso » patientia mea. » Indicat tentationum magnitudinem, et illud Apostoli dicit, quod non sinet tentari nos supra id quod sustinere possumus[1]. « Ab ipso » enim « patien- » tia mea. »

IV. « In Deo salutare meum, et gloria mea : Deus » auxilii mei, et spes mea in Deo est[2]. » Beatus qui ob nullam vitæ rem quantumvis sublimem exultat, sed suam gloriam Deum habet : qui in Christo gloriatur, ac secundum Apostolum dicere potest : « Mihi autem absit » gloriari, nisi in cruce Christi[3]. » Nunc vero multi de corpore gloriantur, qui sese in gymnicis exercuere certaminibus, aut omnino ob ætatis florem vigent : multi itidem efferuntur de bellica fortitudine, qui etiam tribulium cædem virtutem esse ducunt. Enim vero rerum in bellis bene gestarum præmia, ac trophæa ab imperatore et a civitatibus erecta, pro cædis magnitudine fiunt. Alii

[1] 1 Cor. x. — [2] Psal. LXI, 8. — [3] Gal. VI, 14.

gloriantur ob ductos circum civitates muros : alii ob aquæductuum structuras, et magnorum gymnasiorum ædificia. Ille opes suas in bestiarios insumens, et vanis populorum acclamationibus exultans, laudibus inflatur, ac magnifice de se sentit tum, cum gloriam in sua turpitudine collocat : qui etiam in patentibus urbis locis suum peccatum tabulis inscriptum ostentat. Effertur alius ob divitias : alius, quod rhetor sit callidus, et invincibilis, aut mundanæ sapientiæ peritus. Quorum omnium gloriæ misereri par fuerit, et beatos prædicare eos, qui Deum suam ipsorum gloriam constituunt. Etenim si quis sese magnopere jactat, quod servus sit regis, atque in magno honore apud eum habeatur : quantum convenit gloriari te apud temetipsum, quod regis magni servus es, ab ipso accitus ad summam familiaritatem, promissionis spiritu accepto : ut in ipso obsignatus, Dei filius efficiare? Cum autem sinceræ in Deum spei utilitatem in semetipso agnosceret Propheta, populum ad parem secum æmulationem invitat, dicens : « Sperate in eo omnis congre- » gatio populorum, effundite coram illo corda vestra [1]. » Fieri non potest, ut divinæ gratiæ capaces reddamur, nisi malitiæ affectiones, quæ animas nostras occupaverant, expulerimus. Novi ego medicos, qui non prius salutaria medicamenta tradebant, quam materiam morbidam per vomitum evacuassent : quam intemperantes illi ex malo victu sibi pepererant. Sed et in vas graveolenti quopiam liquore imbutum, nisi fuerit elotum, unguentum non infunditur. Ea ergo quæ prius inerant, effundi oportet, ut quæ immittuntur, recipi possint. « Verumtamen vani filii hominum [2]. » Novit non omnes suum sequi monitum, neque spem in Deum suscipere : sed spem reponere in hujus vitæ vanitatibus.

[1] Psal. LXI, 9. — [2] Ibid. 10.

Idcirco ait : « Verumtamen vani filii hominum, menda-» ces filii hominum. » Cur vani? quia mendaces. Ubinam maxime mendacium eorum deprehenditur? « In » stateris, » inquit, « ad fraudandum factis. » De qualibus stateris loquitur? Numquid enim omnes homines utuntur stateris? num omnes lanæ venditores sunt, aut macellarii; aut aurum aut argentum tractant, aut omnino in hisce materiis operam et studium ponunt, quas mercatores cum stateris ac ponderibus solent divendere? Atqui multa sunt genera operariorum, qui ad operas suas stateris nihil opus habent. Multi enim nauticam exercent artem : multi etiam circa forum et magistratus occupantur, apud quos quidem est mendacium, nec tamen per stateras dolus perficitur. Quid igitur est quod dicit? quod in unoquoque nostrum intus statera quædam a nostro conditore constructa sit, in qua rerum naturam discernere ac judicare queat. « Posui ante tuam » faciem vitam et mortem, bonum et malum[1], » duas naturas sibi invicem oppositas : expende ipsas in tuo ipsius tribunali : pondera diligenter quid sit tibi conducibilius, utrum temporariam eligere voluptatem, et per eam accipere æternam mortem : an in virtutis exercitio afflictionem eligere, et illius ope delicias æternas consequi? Mendaces igitur sunt homines, corrupta habentes animæ judicia : quorum etiam miseretur Propheta, dicens : « Væ, qui dicunt tenebras lucem, et lucem » tenebras : qui dicunt amarum dulce; et dulce, ama-» rum[2]. » Mihi, inquit, præsto sunt præsentia : quis vero novit futura? male ponderas, cum mala bonis præferas, vana veris ducas potiora, temporalia æternis anteponas, voluptatem fluxam pro lætitia perpetua ac perpeti eligas. « Mendaces ergo filii hominum in stateris ad

[1] Deut. xxx, 15. — [2] Isai. v, 20.

» fraudandum adhibitis. » Injuria afficiunt maxime quidem se ipsos, deinde vero proximos : quippe et sibi ipsis in suis actionibus male consulunt, et aliis sunt exemplo malo. Non licebit tibi dicere in die judicii, non noveram bonum. Proponuntur tibi tuæ ipsius lances, bonum ac malum sufficienter discernentes. Nam corporis pondera ex trutinæ momentis æstimamus : sed quæ in vita eligenda sunt, libero animæ arbitrio secernimus : quod et stateram nominavit, quippe quia æqualem ad utrumque inclinationem recipere potest.

V. « Nolite sperare in iniquitate, et rapinas nolite » concupiscere[1]. » Superius dixit : « Sperate in eo omnis » congregatio populorum. » Vidit morem geri tarde segniterque, et pronuntiavit : « Verumtamen vani filii » hominum. » Rursus vetat ne speremus in iniquitate. Qui coactas ex iniquitate divitias, sufficiens sibi adjumentum ad robur et potentiam esse judicat, assimilis est ægroto, qui in morbi gravitate habitudinem bonam constituit. « Nolite sperare in iniquitate. » Hæc impedimento tibi est ad omnem actionem. « Et super rapinam nolite » concupiscere : » aliena ne concupiscamus, admonet. « Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. » Si videris quempiam prædivitem, ne vitam ipsius beatam prædicaveris. Si undelibet, et ex uberibus fontibus tibi affluant divitiæ, ne in earum copia acquiescas. « Divitiæ si » affluant. » Admirare vocem. Fluxa est divitiarum natura, torrente citius præterlabitur possessores, alios aliter solet mutare. Quemadmodum fluvius ab alto labens, iis quidem qui ad ripam astant appropinquat ; sed simul ut contigit, statim secedit : ita etiam divitiarum instabilitas velocissimam lubricamque præsentiam habet, alios ex aliis permutare solita. Hodie hujus est

[1] Psal. LXI, 11.

ager, cras alterius, et paulo post alius. Respice ad civitatis domos; quot jam nomina ex quo extructæ sunt, accepere, aliter ab alio possessore appellatæ. Quin etiam aurum semper e manibus ejus quem penes est, elabens, ad alterum transit, et ab illo ad alium. Comprehensam manu aquam facilius possis continere, quam divitias tibi constanter servare. Quare recte dictum est : « Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. » Ne iis sis animo deditus : sed de ipsis commodum cape, non illas velut unum quodpiam bonum impensius diligens, aut admirans, sed earum famulatum tanquam instrumentum quoddam admittens. Deinde his dictis omnibus sententiam subdit, non ex suis ipsius verbis adornatam, sed quam ab ipso Deo audivit. « Semel enim, « inquit, « locutus est Deus, duo hæc audivi [1]. » Nec quemquam hoc dictum quasi paradoxum perturbet, quomodo Deus quidem semel locutus sit; Propheta vero duo audiverit. Fieri enim potest ut quis semel locutus sit, et inter semel loquendum dicta sint multa. Nam homo quispiam semel cum aliquo congressus, de multis disseruit; ita qui ipsius verba audivit, potest dicere : Semel quidem me allocutus est, sed de multis sermonem habuit. Hoc est, quod modo dictum fuit : mihi quidem semel apparuit Deus, sed res duæ sunt, quas dixit : Non ait : unum locutus est Deus, et tamen hæc duo audivi; sic enim sermo quodammodo secum pugnare videretur. Quæ igitur erant duo hæc quæ audivit? « Potestas Dei est, et tua » Domine misericordia [1]. » Deus, inquit, potens in judicio, et idem misericors. Neque igitur sperate in iniquitate, neque divitiis addicti estote, neque amplectamini vanitatem, neque animi judicium corruptum circumferte. Dominum nostrum potentem esse cum non igno-

[1] Psal. LXI, 12.

retis, timete ejus fortitudinem, nec tamen desperetis de ipsius benignitate. Et quidem bonus est timor, ut ne quid admittamus iniqui : spes vero misericordiæ bona est, ut ne qui semel in peccatum prolapsus est, se ipse per desperationem perdat. Nam Dei est potestas, et ab ipso est misericordia. « Quia tu reddes unicuique juxta opera » sua[1]. » Etenim « qua mensura mensi fueritis, remetie» tur vobis[2]. » Afflixisti fratrem? par expecta. Rapuisti inferiorum facultates; pugnis pauperes cæcidisti; per convicia incussisti pudorem, calumniatus es, mentitus es, alienis nuptiis parasti insidias, pejerasti, terminos patrum transposuisti, orphanorum invasisti possessiones, viduas oppressisti, bonis promissis prætulisti præsentem voluptatem? vicem his dignam expecta. Qualia enim unusquisque seminat, talia et metet [3]. Cæterum si quid etiam boni abs te perpetratum est, remunerationem præstolare illo longe majorem : « quia tu reddes unicui» que juxta opera sua. » Hujus sententiæ si per omnem tuam vitam memineris, multa poteris vitare peccata : in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum, Amen.

[1] Psal. LXI, 13. — [2] Matth. VII, 2. — [3] Gal. VI, 7.

HOMILIA XIII.

IN PSALMUM CXIV.

I. Jamdudum occupato hoc sacro martyrum templo[1], a media nocte ad hanc usque meridiem Deum martyrum, dum adventus noster expectaretur, hymnis placare perrexistis. Itaque vobis parata merces est, qui martyrum honorem, Deique cultum et somno et quieti prætuleritis. Quod si opus est ut nostram ipsorum defensionem suscipiamus, causam cur moras interposuerimus, vosque deseruerimus diutius, dicturi sumus : quod alteram huic parem Dei ecclesiam, non mediocri intervallo a vobis disjunctam, administrantes, istud diei spatium in id insumpserimus. Cum igitur tribuerit Dominus, ut et apud illos impleverim ministerium, nec sim a vestra caritate frustratus, mecum largitori beneficio gratias agite, qui hanc quam videtis corporis nostri debilitatem invisibili sua potentia levavit. Porro ne diutius detentis vobis simus molesti; ubi pauca ex eo psalmo quem vos canentes deprehendimus, disseruerimus, ac verbo consolatorio pro nostris viribus paverimus vestras animas : singulos ad habendam corporis curam dimittemus. Quid igitur erat quod a vobis canebatur? « Dilexi, » inquit, « quoniam exaudiet » Dominus vocem orationis meæ[2]. » Non cujusvis est dicere : « Dilexi, » sed ejus, qui jam perfectus est, ac servitutis timorem transgreditur, atque adoptionis spiritum adeptus est. Et quidem cum dixit : « Dilexi, » non apposuit, « quem, » sed subaudimus, « Deum universo» rum. » Quod enim proprie amabile est, hoc Deus est;

[1] Vide D. Guillon, tom. VII, 182-185. — [2] Psal. CXIV, 1.

quandoquidem amabile id esse definiunt, quod omnia expetunt. Bonum autem est Deus, et primum, et bonorum perfectissimum. Ipsum igitur dilexi, Deum, eorum quæ desiderari possunt, supremum; atque pro eo has afflictationes cum gaudio amplexus sum. Quæ autem sint hæ, paulo post recenset. Nimirum commemorat dolores mortis, inferni pericula, tribulationem, dolorem : quæ omnia ob Dei amorem, et ob spem repositam iis qui ærumnas afflictionesque pro pietate sustinent, ei amabilia videbantur. Non enim, inquit, præter voluntatem, neque vi, neque necessitate hæc pertuli certamina, sed amore quodam et affectu hosce labores suscepi, ut possim dicere : « Quoniam propter te mortificamur tota die[1]. » Atque hæc videntur idem valere ac Apostoli verba, et eodem affectu ab eo proferri atque ab Apostolo : « Quis nos » separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? » an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? » an gladius[2]? » Dilexi igitur hæc omnia, quod scirem me sub spectatore et præmiorum largitore Domino universorum, pro pietate pericula subire : « Quoniam exau» diet Dominus vocem orationis meæ. » Sic enim et quilibet nostrum præceptorum difficultates superare potest, cum suum vitæ institutum universorum Deo velut spectatori patefacit.

II. « Quia inclinavit aurem suam mihi[3]. » Inclinavit, inquit, non ut corpoream quamdam de Deo notionem accipias, quasi habeat aures, easque ad submissam vocem inclinet : quod nos erga illos qui exili voce loquuntur, efficimus, aures nostras admoventes, ut ex illa proximitate id quod dicitur, sensu percipiamus : sed inclinavit, ait, ut suam ipsius detegeret infirmitatem. Quandoquidem ad me humi jacentem ob suam erga homines

[1] Psal. XLIII, 22. — [2] Rom. VIII, 35. — [3] Psal. CXIV, 2.

benevolentiam descendit : velut cum benignus medicus, si quis ægrotus præ multa infirmitate clare loqui non queat, ea quæ sunt ægrotanti necessaria, ex propinquo, suis auribus admotis, ediscit. « Inclinavit » itaque « aurem suam mihi. » Utique auditus divinus voce non indiget ad percipiendum, siquidem petita etiam in cordis motu cognoscere valet. Nonne scis ex auditu, quod Moses nihil loquens, sed tacitis suis suspiriis Dominum interpellans, a Domino audiebatur, dicente : « Quid » clamas ad me[1]? » Novit Deus vel sanguinem justi audire, cui nec lingua inest, nec vox aërem permeans. Quinetiam operum justorum præsentia clamor magnus apud Deum est. « Et in diebus meis invocabo. » Nos equidem cum una die oravimus, vel per unam horam brevi aliqua tristitia ob peccata fuimus affecti, securi vivimus tanquam si quidpiam quod iniquitatem nostram compensaret a nobis patratum esset. Sed hic sanctus confessionem quæ omne vitæ suæ tempus admetiri possit, editurum se affirmat : « omnibus enim, » inquit, « diebus meis invocabo. » Deinde ut ne Deum ab ipso propterea invocatum fuisse existimes, quod in hac vita rebus secundis uteretur, eique prospere succederent omnia; narrat calamitatum magnitudinem, in quibus constitutus nequaquam nominis Dei oblitus est. « Cir» cumdederunt me » enim, inquit, « inquit, « dolores » mortis, pericula inferni invenerunt me[2]. » Hi quidem dolores proprie usurpantur ad significandos puerperii dolores, cum venter ad tumorem usque distentus, foras fœtum impellit : deinde vero partes genitales pressæ, et circum fœtum distentionibus contractionibusque nervorum dilatatæ, acutissimos dolores et acerbos cruciatus parturientibus creant. Transtulit autem dolores partus ad

[1] Exod. XIV, 15. — [2] Psal. CXIV, 3.

ipsos etiam mortis dolores, qui in animæ et corporis divisione animal obsident. Ait igitur se nihil mediocre passum esse, imo se ipsos quoque mortis dolores expertum fuisse, atque in periculum descensus inferni deductum. Num igitur hæc sola de quibus gloriatur, pertulit, cum alioqui isthæc sæpe nec voluntaria quidem sint? Nihil autem coactum laudabile est. At vide hujus athletæ magnanimitatem. Postquam enim « circumdederunt me » dolores mortis, » et « pericula inferni invenerunt me, » tantum abfuit ut his tentationibus succubuerim; ut etiam me ipse sponte tentaminibus multo pluribus objecerim. Afflictionem et dolorem ut volens mihi ipse excogitavi, ita non invitus ab eis apprehensus sum. Siquidem in superioribus « pericula inferni invenerunt me; » hîc vero « tribulationem et dolorem inveni. » Cum enim illic adversus ea quæ mihi a tentatore illata sunt, firmus ac constans inventus essem : adjeci, ut meæ in Deum caritatis copiam ostenderem, afflictioni afflictionem, et dolori dolorem : non quod meis viribus obstiterim hisce molestiis, sed quod nomen Domini invocaverim. Tale est et illud Apostoli, dicentis ; « In his omnibus plusquam » victores sumus per eum qui dilexit nos[1]. » Vincit quidem qui ab his quæ necessario accidunt, non frangitur : sed plusquam victor est, qui sua etiam sponte et voluntate dolores ad demonstrandam patientiam sibi accersit. Qui letale aliquod peccatum admiserit, dicat : « Circum- » dederunt me dolores mortis. Omnis enim, » inquit, « qui facit peccatum, ex diabolo natus est[2]. » Cum igitur, inquit, peccatum patrarem, et in mortis utero gestarer, tunc etiam ab inferni periculis inventus sum. Quomodo ergo sanavi me ipsum? propterea quod « tri- » bulationem et dolorem inveni » per pœnitentiam.

[1] Rom. VIII, 37. — [2] I Joan. III, 8.

Enimvero talem pœnitentiæ cruciatum, qui peccati magnitudini conveniret, mihi ipse excogitavi, et sic nomen Domini ausus sum invocare. Quæ autem erant quæ dixi? « O Domine libera animam meam. » In hac detineor captivitate, tu pro me pretium da redemptionis, et libera animam meam.

III. « Misericors Dominus et justus[1]. » Scriptura ubique Dei miserationibus justitiam conjungit : quippe docet nos, neque Dei misericordiam judicio carere, neque judicium expers esse misericordiæ. Sed et dum miseretur, iis qui digni sunt, suas cum judicio miserationes admetitur : atque dum judicat, habita infirmitatis nostræ ratione infert judicium, benignitate magis, quam par pari referendo plectens nos. « Et Deus noster miseretur. » Misericordia affectio est erga eos qui præter meritum depressi sunt, ab iis qui miseratione moventur proficiscens. Misereamur eum, qui ex magnis divitiis in extremam incidit paupertatem : eum, qui ex optima corporis habitudine ad summam redactus est debilitatem : eum, qui ob pulchritudinem ac elegantiam corporis prægestiebat, sed a fœdissimis ac turpissimis morbis corruptus est. Quoniam igitur et nos in paradiso degentes, eramus aliquando clari ac spectabiles, et tamen ob ejectionem, inglorii et abjecti evasimus, « Deus noster miseretur, » dum quales nos ex qualibus facti simus, videt. Quapropter et Adamum hac misericordiæ voce revocabat, dicens : « Adam ubi es[2]? » Non enim edoceri quærebat omnium gnarus, sed intelligere ipsum volebat, qualis ex quali factus esset. « Ubi es? » quasi dicat : in quam ruinam ex tanta sublimitate incidisti?

IV. « Custodiens parvulos Dominus; humiliatus sum, » et salvum me fecit[3]. » Sive naturali ratione id accipias;

[1] Psal. cxiv, 5.— [2] Gen. iii, 9. — [3] Psal. cxiv, 6.

non consisteret humana natura, si ii qui sunt prorsus parvuli et adhuc infantes, a Domino non custodirentur. Quomodo enim qui in utero gestantur, nutriri aut moveri possent, cum in spatiis adeo angustis, in quibus nullo modo se convertere ac versare liceat, diversentur, sed in tenebrosis et humidis locis vivant, neque respirare, neque hominum vitam vivere valentes, sed instar piscium fluidis innatantes, nisi Dei custodia servarentur? Quomodo rursus ad insolitum hunc locum elapsi, et post uteri calorem aëre refrigerati, vel ad breve tempus persisterent, nisi a Deo conservarentur? « Custodiens ergo parvulos Dominus, humiliatus sum, et servavit me. » Aut etiam sic verba isthæc intelligere poteris : quandoquidem conversus sum, et factus sum ut parvulus, ac regnum cœlorum velut puer suscepi, meque ipse per innocentiam ad puerorum humilitatem demisi, « custodiens parvulos » Dominus, » quoniam « humiliatus sum, servavit me. »

V. « Convertere anima mea in requiem tuam, quia » Dominus benefecit tibi [1]. » Sibi ipsi verba consolatoria proponit bonus athleta, similiter ac Paulus, dicens : « Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem » servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ [2]. » Hæc quoque sibi dicit Propheta : quoniam vitæ hujus cursum satis longum explesti, « Convertere » de cætero « in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. » Siquidem iis qui legitime in hac vita decertarunt, sempiterna requies proposita est, quæ non ex operum debito tribuitur, sed ex Dei munificentissimi gratia, iis qui in ipso spem habuere, datur. Deinde priusquam bona illic reposita enarret, quomodo a mundi molestiis liberatus sit, recensens, pro iis gratias agit animarum liberatori, qui ex varia et inevitabili cupiditatum servitute ipsum

[1] Psal. cxiv, 6. — [2] 2 Timoth. iv, 7

exemit. Quæ autem sunt hæc? « Quia eripuit animam » meam de morte, oculos meos a lacrymis, et pedes » meos a lapsu[1]. » Rerum præsentium comparatione futuram describit requiem. Hîc enim, inquit, circumdederunt me dolores mortis : illic vero eripuit animam meam a morte. Hîc oculi lacrymantur ex afflictione : illic vero non amplius lacrymæ tenebras pupillis effundunt eorum, qui contemplatione pulchritudinis majestatis Dei oblectantur. « Abstulit enim Deus omnem lacry» mam ab omni facie[2]. » Hîc magnum est cadendi periculum : quapropter et Paulus aiebat : « Qui se existimat » stare, videat ne cadat[3]. » Illic autem firmi sunt gressus : vita immutabilis : non amplius periculum est in peccatum prolabendi. Neque enim carnis est rebellio : neque mulier mutuam ad peccatum confert operam. Nam non est masculus et fœmina in resurrectione, sed una quædam vita est ac simplex : siquidem qui in regione vivorum habitant, suo ipsorum Domino placent. Mundus hic et ipse interiturus est, et morientium est locus. Quoniam enim visibilium substantia composita est, et quidquid compositum est, dissolvi solet, nos qui in mundo existimus, cum mundi partes simus, necessario naturæ universi efficimur consortes. Quare ante etiam quam anima per mortem a corpore separetur, morimur sæpe homines. Neque vero dictum hoc tibi videatur paradoxum, sed rei ipsius considera veritatem. Quippe natura comparatum est, ut homo in tribus annorum hebdomadibus tres ætatis ac vitæ vicissitudines ac mutationes sustineat, eoque per singulas hebdomades terminus proprius præterita circumscribit, et manifestam exhibet permutationem. Terminatur dentitione ætas pueri circa primam hebdomadem. Præfinitum tempus pueri qui jam ad disci-

[1] Psal. CXIV, 8. — [2] Isai. XXV, 8. — [3] I Cor. X, 12.

plinas idoneus est, ad pubertatem usque extenditur. Pubes anno vicesimo primo completus, cum scilicet prima lanugine genas vestire et adumbrare incœperit, sensim desinit, adolescente jam in virum transeunte. Cum igitur videris virum qui per ætatem crescere et augeri destiterit jamque firma sit ratiocinatione, nec ullum juventutis vestigium præ se ferat; an non ea quæ præterita sunt, in ipso mortua esse existimabis? Senex rursus in aliam formam et in alium animi affectum conversus, manifeste alius est, si cum prioribus comparetur. Quare vita hominum non solum cum ætas mutatur, sed etiam cum animæ in peccatum labuntur, per multas mortes suapte natura expletur. Ubi vero non est commutatio neque corporis neque animæ, (neque enim est rationis eversio, aut sententiæ permutatio, si adversitas nulla mentis constantiam ac tranquillitatem aufert,) illa est vere viventium regio, quippe qui sibi ipsis semper sint consimiles : in qua universorum Deo maxime complaciturum se pollicetur Propheta, cum nihil externum impediturum sit, quominus scopum veræ et æqualis cum angelis servitutis assequatur. « Contendimus, » inquit, « sive præsentes in corpore, sive a corpore pere- » grinantes, placere illi[1]. » Viventium illa est regio, in qua non est nox, non est somnus mortis imago : in qua non est cibus, non est potus, infirmitatis nostræ fulcimenta, non est morbus, non sunt dolores, non medicina, non fora, non mercaturæ, non artes, non pecuniæ malorum origo, bellorum causa, inimicitiæ radix : sed est regio viventium, non morientium per peccatum, sed veram vitam viventium in Christo Jesu, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum, Amen.

[1] 2 Cor. v, 9.

S. BASILII

CÆSAREÆ CAPPADOCIÆ

ARCHIEPISCOPI,

COMMENTARIA IN ESAIAM PROPHETAM.

PROOEMIUM.

I. « Orate ne fiat fuga vestra hyeme vel sabbato [1]. « Advertendum [2] est Deum non fecisse hyemen aut sabbatum reprehensibile, scriptum est enim : « Æstatem et ver » tu finxisti ea [3]. » Verum in hyeme sumus, cum carnis cupiditates imperium obtinent in nobis. Itaque sic intelligendum est dictum illud evangelicum, nimirum ut non fiat fuga nostra, cum vitia in nobis dominantur, aut cum per inertiam vitam nostram traducimus. Nam id nobis significat per sabbatum, ut benedictionem illam consequamur : « Beatus servus ille, quem cum vene- » rit Dominus, invenerit vigilantem [4]. Estote prudentes » sicut serpentes [5] : « forsitan ob id, quod prudenter ac sapienter detrahat senectutem. Etenim ubi jam exuenda est pellis, in locum angustum, quique undique corpus prorsus obstringat, immittit seipsum, atque ad eum

[1] Matth. xxiv, 20. — [2] Vide D. Guillon tom. vii, 185-188. — [3] Psal. lxxiii, 17. — [4] Matth. xxiv, 46. — [5] Id. x, 16.

modum transmittens sese, senectam exuit. Forsan igitur et nos vult hic sermo per arctam et strictam viam ingredientes exuere veterem hominem, ac novum induere, ut nostra quoque, velut aquilæ, juventa renovetur. Magna quidem atque adeo prima dos, quæque animam summe purgatam requirat, divini afflatus esse capacem ad prophetandum mysteria Dei. Proxima vero secundum illam, et ipsa quidem non mediocrem aut vulgarem diligentiam desiderans, audire quid sibi velint ea quæ dicuntur a Spiritu, nec aberrare a dictorum sententia, sed recta ad illam deduci via a Spiritu, quo auctore scripta est prophetia, gubernaturque intellectus eorum, qui cognitionis donum acceperunt. Unde et Dominus addidit, dicens : « Qui habet aures ad audiendum, » audiat [1]. » Præterea propheta quoque Joel : « Quis » sapiens, et intelliget hæc? intelligens et cognoscet » ea [2]? » Et Apostolus eo loco quo de charismatibus loquitur, quoddam esse donum ait prophetiam : quoddam discretionem spirituum. Nam qui sese dignum exhibet instrumentum, per quod Spiritus operetur, is propheta est. Porro qui vim eorum quæ denuntiantur prudenter percipit, is donum habet discernendorum spirituum. Quapropter et Corinthiis præscribens : « Prophetæ » autem, » inquit, « duo aut tres dicant, et cæteri » dijudicent [3]. »

II. Est autem donum hoc adeo magnum, ut Dominus comminetur sese ablaturum e Judæa prophetam et conjectorem, et admirandum consultorem, et auditorem intelligentem. Nobis vero precandum ut accipiamus sapientiæ, ac scientiæ, neque non doctrinæ donum, ut omnia simul concurrentia formam omnis veritatis quæ prophetia continetur, in principali animi nostri parte

[1] Matth. xi, 15. — [2] Osee. xiv, 10. — [3] 1 Cor. xiv, 29.

imprimant. Opus est autem sermone scientiæ ad contemplanda spiritus arcana : sermone vero sapientiæ, ad apparanda et excolenda ea quæ contorte ac paucis sunt prolata. Siquidem sapientiæ proprium est producere sermonem. Ait enim : « Produxi sermones, et non attendistis [1]. » Præterea doctrinæ donum pertinet ad ædificationem audientium. Itaque ex liberi arbitrii motu in anima ejus qui sit prophetaturus, præjaceat necesse est quædam habilitas, ut verbum illud quod est in omnibus, dum magis compositos deligit animos in quibus nec exiguus affectuum animi motus dissonat cum ratione juxta analogiam præcedentis aptitudinis, divini Spiritus inducat efficaciam. Neque vero solum requiritur affectuum sedatio, ut quis ad suscipiendum spiritum paratus sit et aptus, verum etiam quidam in animo erga fidem modus, utilitasque, tum hujus qui gratiam accipit, tum illorum qui in tempore audiunt : aut eorum etiam qui in posterum ex prophetis fructum percepturi sunt. « Datur » enim, inquit, « unicuique manifestatio spiritus ad utilita- » tem [2]. » Ac rursus, « secundum rationem fidei [3]. » Sane supra naturæ humanæ vires est, exhibere rationem, modumque diversæ operationis, quæ a Spiritu divino accidit in his qui merentur. Juxta quam huic prophetia committitur, et id quidem ad certum modum. Alius accipit dona sanationum, atque ea ad certam mensuram : alius vero operationes virtutum, majorum aut minorum. Enim vero solus ista novit qui cujusque animæ meritum penitus intuetur et invisibilibus justitiæ mensuris quæ ex merito sunt, unicuique distribuit.

III. Quomodo prophetabant puræ ac pellucidæ animæ? nempe eæ velut specula factæ divinæ operationis, imaginem integram inconfusamque et nulla ex parte affectibus

Prov. I, 24. — [2] I Cor. XII, 7. — [3] Rom. XII, 6.

carnis turbatam repræsentabant. Nam omnibus quidem adest Spiritus sanctus : sed iis qui puri sunt affectibus, peculiarem exhibet virtutem; at vero iis quorum mens peccati sordibus perturbatur, minime. Oportet autem præter puritatem, constantis animi æquabilitatem exhibere. Neque enim qui inæqualis est animi circa castitatem, purus est, sed qui carnis petulantiam subjecit spiritui. Quemadmodum enim vultuum imagines non in qualibet materia redduntur, sed in his duntaxat quæ lævorem ac perluciditatem quamdam obtinent : ita non in quibuslibet mentibus operatio Spiritus, sed in iis quæ nihil habent obliquum, nihil obtortum. Candida quidem nix, verum imagines intuentium non repræsentat, propterea quod inæqualis est, e concreta spuma constans. Lac album, at non recipit imagines eo quod et ipsi exiguæ quæpiam insint bullulæ. Contra, in aqua licet nigra relucet forma ob lævorem. Ita videlicet vitæ inæqualitas nequaquam idonea est ad suscipiendam divinam operationem. Ergo cum anima omni virtutis studio dedita ex vehementi in Deum amore, perpetuo Dei memoriam sibi impressam servat; atque hoc modo Deum velut in se ipsa inhabitantem reddit; ex vehementissima in Deum intentione et arcano amore, numine afflata, digna prophetiæ dono evadit, Deo divinam virtutem impartiente, animique oculos aperiente, ad intelligendas quas velit speculationes. Quapropter et prophetæ ante videntes vocabantur : propterea quod futura perinde quasi præsentia fuissent, prospicerent. Sed magis inducemur ad intelligendum propheticum afflatum ex visis, quæ in somnis accidunt. Quemadmodum enim visis principali animi parti impressis, urbes aut regiones magnitudine ac pulchritudine præstantes, aut animalia supra naturam conspicimus : aut etiam verborum aliquorum memoriam,

quæ auribus hausta sint, sæpenumero obtinemus. Cumque tam multa, tamque nova spectemus in nobis et audiamus, haud jam vere quidquam corporeo sensu videmus, neque audimus. Itidem et divinorum ac beatorum virorum mens, aliquando quidem per apertam visionem, aliquando vero per somnium impressis imaginibus, divinis sermonibus ac visis impletur, cum neque per oculos imagines eorum quæ videntur, revocarit, neque per aures aëris ictum, a vocis edendæ instrumentis profectum acceperit. Neque enim sublimis ille thronus, et elevatus, aliquid erat foris subsistens. Neque rursus in eo sedens, quem vidit Esaïas. Neque ille electrinus ab ilibus sursum, igneus autem ab ilibus deorsum, qui apud Ezechielem describitur, erat specie humana [1]. Sed horum mens majore quadam virtute in earum rerum contemplatione morabatur, Spiritu divinam naturam per ænigmata repræsentante.

IV. Vident autem prophetæ non futura solum, verum etiam quæ in rebus præsentibus sunt abdita. Quemadmodum ait Paulus : « Si vero prophetetis, ingrediatur autem » aliquis infidelis, aut indoctus, occulta cordis illius » manifesta fiunt [2]. » Aut quemadmodum Helisæus : « Nonne cor meum ambulabat tecum, cum reverteretur » vir cum curru suo tibi obviam [3]? » Est autem et prophetia, cum aliquid per somnium præscitur, quemadmodum Joseph in Ægypto, et Daniel in Babylone revelatio facta est. At quomodo igitur et Pharao et Nabuchodonosor futura præscierunt? nempe de mundanarum rerum statu oportebat dominos prævidere, uti his fides haberetur. Quomodo vero etiam Balaam prophetat et Caiphas? Nimirum quod hi quoque habebant, quibus imperabant : hic quidem tanquam sacerdotum princeps,

[1] Ezech. VIII, 2. — [2] 1 Cor. XIV, 24. — [3] 4 Reg. V, 26.

ille vero tanquam vates. Neque enim hic puritas animi fuit in causa, neque mentis illustratio Deum contemplantis, atque inde virtutem haurientis : sed certa quadam dispensatione illis contigit sermo, non pro merito, sed pro temporis opportunitate. Quæres autem, an ea quæ leguntur apud Esaïam et Ezechielem, sint visiones per hujusmodi phantasias conspectæ, an potius rerum divinarum doctrina, per Spiritus ænigmata divinitatis proprietates nobis significans?

V. Porro sunt qui dicant eos furore ac insania correptos prophetare, humana mente a Spiritu absorpta. Verum id abhorret a professione divinæ præsentiæ, ut amentem reddat, qui a numine corripitur, cumque plenus divinorum decretorum esse cœperit, tum a sua ipsius mente excidat, et qui aliis ex sese præbeat utilitatem, ipse ex propriis sermonibus nihil capiat emolumenti. In summa, qua ratione consentaneum est, ut quis per sapientiæ spiritum, simillimus insano evadat, ac ex intelligentiæ spiritu vim amittat intelligendi? Quin potius neque lumen cæcitatem parit, verum videndi facultatem a natura insitam expergefacit : neque spiritus tenebras inducit animis, sed ad contemplationem rerum intelligibilium, mentem a peccati maculis puram excitat. Non quidem dissimile veri est, improbam potestatem naturæ humanæ insidiantem, confundere mentem : sed idipsum per Spiritus divini præsentiam effici, dicere impium est. Ad hæc, si sapientes sunt sancti, quomodo eorum quæ vaticinio edebant, intelligentiam non sunt assecuti? « Sapiens » enim, inquit, « intelliget quæ ab ore pro» prio proficiscuntur : in labiis autem portat intelligen» tiam.[1] » Quod si quoniam Isaac in ingressu filii sui obstupuit[2], et quoniam David dixit in excessu suo[3], ob

[1] Prov. xvi, 23. — [2] Gen. xxvii, 33. — [3] Psal. cxv, 2.

id fingunt sanctos mentis suæ compotes non esse; noverint admirationem ac stuporem appellatum esse mentis excessum. Cujusmodi est illud : Obstupuit cœlum, et horruit terra. Porro fatendum est a communibus principiis profectos nos ea quæ secundum litteram contraria sunt, in Deo non intelligere. Quale est juxta communes acceptiones, divinam naturam, bonam, iræ expertem ac justam esse confiteri.

VI. Quare si Scriptura Deum irasci, mœrore affici, aut pœnitere, aut præter meritum aliquo uti dicat; quid sibi velint verba quærendum est, ac sollicite cogitandum quomodo ea restituere possimus. Non autem oportebit præclaras de Deo opiniones subvertere. Atque ad eum modum citra offensam in Scripturis versabimur, dum et ex iis, quæ facile percipi possunt, adjuvabimur, et ab iis quæ sunt intellectu difficiliora, non offendemur. Quod si quis illud divinæ Scripturæ vitio vertat, quod non doceat, neque producat ea quæ prodesse possint, is perpendat universam rerum mortalium ordinationem, non solum in spiritualibus, verum etiam in inferioribus, atque ad vitam pertinentibus negotiis; consideretque eam vim, quæ gubernat universa, brutis animalibus facilem ad vitam tuendam occasionem tribuisse, alimentum ultro præsens, operimentum sponte agnatum, e pilis aut plumis indumenta : hominem autem solum, nudum producens; rationem omnium illorum vice dedit, per quam artes repertæ sunt, quibus illa sibi suppeditet, puta, architectura, textoria, agricultura, æraria fabrica; quandoquidem quod deerat corporibus, id animus per rationis copiam supplet. Quemadmodum igitur opifex noster in his commoditates vitæ nobis haud invidens, omnia una nobiscum similiter brutis produci ac procreari non permisit; sed velut ingenii exercitium rerum

necessariarum inopiam nobis excogitavit : itidem et in Scripturis data opera voluit esse obscuritatem ad mentis nostræ utilitatem, vim ipsius ac virtutem excitans. Primum quidem, ut his occupata, a deterioribus avocetur. Deinde quod quæ labore parta sunt, ea, nescio quo pacto, magis amantur, quæque longo tempore contingunt, constantius permanent. Porro quæ facile parantur, his non perinde avide fruimur. Negligitur enim rerum obviarum copia, neque ulla custodia dignas ducit, qui possidet. Quapropter et somniorum obscura et involuta est ratio, ita ut non mediocrem desideret animi sagacitatem, habentque insomniorum ænigmata plurimum affinitatis cum iis, quæ in Scriptura allegorico et arcano sensu significantur. Unde et Joseph et Daniel per prophetiæ donum somnia dignoscebant, quandoquidem ipsa per se cogitationis vis non satis valet ad veri indaginem. Denique accedit huc quod vitæ quoque puritas requiritur, ut ad navandam virtuti morali operam, id quod in Scripturis obvolutum est, dignoscamus. Requiritur autem præter vitæ puritatem assidua in Scripturis exercitatio; ut majestas atque arcanum divinorum eloquiorum, perpetua meditatione animo imprimatur. Cæterum ad divinorum verborum exercitationem, totam vitam impendi oportere Moysis vita demonstrat : qui quidem primis quadraginta annis Ægyptiis disciplinis institutus est : alteris autem annis quadraginta hoc prætextu tanquam pasturus oves, in solitudines secedens, rerum contemplationi operam dedit. Atque ita deinceps post hos quadraginta annos Dei visione dignus habitus, invitus per Dei in homines studium, ad hominum curam descendit. Quanquam ne tum quidem assidue in negotiali vita perseveravit, verum subinde ad contemplativam revertebatur. Unde et ad Ægyptiacum idolorum

cultum universa inducta est multitudo, viro illo sancto in monte cum Deo colloquente.

VII. Hujus modi fuit et Helias, hominum tumultum fugiens, et in desertis versari gaudens. Quare si sancti cum omni animi constantia, ad vestigandam veritatem elaborarunt; an non absurdum est innumerabilium laborum fructus, nullo negotio velle acquirere? Etenim Heliam observa, post quantos secessus, quanta otia, quantos sudores promeruit videre Deum. Argumentum hujus libri patet, atque ex se ipso percipitur. Quoniam propheta iis temporibus vivebat, quibus exsuperabant vitia : magnitudinem malorum quæ illos manerent, exponit, ac divinæ iræ causam proponit, ut eos provocet ad pœnitentiam. Exorditur autem primum ab his sermonibus, qui ad Judæam pertinebant. Quandoquidem Juxta Petrum « tempus erat ut inciperet judicium » a domo Dei [1]. » Nam natura iis maxime qui nobiscum necessitudine sunt conjuncti; succensemus, quando in nos peccaverint. Et in Ezechiele Dominus jubens punire qui deliquerant, « A sanctis, » inquit, « meis inci» pite [2]. » Ideo ab loco Deo delecto cœpit, atque ab ea civitate in qua sanctuarium erat, denuntians quæ ipsis impenderent, deinde de Babylone, postea de Moabitide, deinde de Damasco, quinto loco de Ægypto, deinde de deserto, deinde de Idumæa, deinde de valle Sion, deinde de Tyro, deinde de quadrupedibus. Sub hæc sequuntur ea quæ acciderunt anno decimo quarto regni Ezechiæ; post quæ prophetiæ sunt absque ullo titulo prænuntiantes mala Hierusalem, et Judææ : item res eorum qui essent in dispersione, et de eorum reditu, posteaquam expleta esset vindicta : item quæ spectant ad Christum, in omni prophetia inspersa. Nimirum unumquodque

[1] 1 Pet. IV, 17. — [2] Ezech. IX, 6.

quod juxta historiam dicitur, et id quod mysticum sensum habet, inter se connectuntur.

CAPUT I.

I. « Visio quam vidit Esaïas filius Amos, quam vidit » adversus Judæam, et adversus Jerusalem, in diebus » Oziæ, et Joatham, et Achaz, et Ezechiæ regum » Juda[1]. » Ex sensuum nostrorum organis visus est, cui insit res sensibiles percipiendi vis efficacissima. Quæ enim formidabilia sunt nequaquam possit quis auditu internosse perinde ac visu : neque alia facultas est, quæ peræque ut visus, cupienda apprehendat. Quapropter eorum quæ vera sunt, speculatio, visio appellata est, ob evidentiam et certam cognitionem. Unde propheta vocabatur etiam « videns, et ante videns. » Siquidem in Amos didicimus dixisse Amasiam : « Videns egredere, recede » in terram Juda; et ibi prophetabis[2]. » Quinetiam Samuel in regnorum libro dictus est « ante videns. » Vocabatur enim, inquit, propheta, « ante videns. » Nam quatenus futura prævidebant appellabantur « ante » videntes : » quatenus vero Dei consilia speculabantur, nuncupati sunt « videntes. »

II. Itaque nostri muneris est, mentis curam habere, ut per idonea exercitia perfectionem adepta, perspicax evadat : Dei vero donum est, cum Spiritus sanctus lucem suam nobis infundit ad intelligenda ejus mysteria. Verum visione præmissa, verborum enuntiationem subjunxit; ut ostenderet se nequaquam ea auditu percepisse. Imo

[1] Esaï. I, 1. — [2] Amos VII, 12.

verborum sententiam animo impressam fuisse enuntiat. Nobis namque voce opus est ad nostras cogitationes indicandas : Deus vero ipsam eorum qui digni sunt mentem attingens consilii sui in ipsis imprimit cognitionem. Cur « patrem » addidit? ut ostendat illud prophetiæ donum a patre fuisse ad se transmissum. « Quam vidit » adversus Judæam.» Quid sibi vult hæc iteratio? Nimirum voce quidem priore visionem communem, posteriore vero jam visionem peculiarem designat, quæ et qualis sit visio isthæc, et ad quem spectet. Itaque sermones quos vidit propheta, erant spectabiles, id est, mente cerni poterant; juxta illud quod in Exodo dictum est : « Omnis » populus videbat vocem [1]. » Similiter autem præfati sunt et alii prophetæ. « Visio Abdiæ : hæc dicit Dominus » Deus Idumææ. Auditum audivi a Domino; et munitio- » nem in gentes misit [2]. » In Nahum quoque : « Assumptio » Nineve, liber visionis Nahum Elcesæi [3]. » Et in Ambacum : « Assumptio quam vidit Ambacum propheta [4]. » Malachias quoque visione silentio prætermissa, « Assump- » tionem » dixit, sic loquens : « Assumptio verbi Domini » super Israël in manu angeli ejus [5]. » Porro per Assumptionem ostendere videntur non a se ipsis prophetiæ facultatem habere, sed ipsam accepisse; adeo ut assumptio idem significet ac donum a Deo acceptum. Hi igitur aiunt libros esse visionis : cæteri vero prophetæ se suos sermones a Deo audivisse dicunt. Ait enim : « Verbum Domini » quod factum est ad Osee filium Beeri in diebus Oziæ et » Joatham et Achaz et Ezechiæ regum Juda, et in diebus » Hieroboam filii Joas regis Israël. Initium sermonis » Domini ad Osee [6]. » In Amos vero : « Sermones Amos » qui facti sunt in Accarim ex Thecue, quos vidit de

[1] Exod. xx, 18. — [2] Abd. I, I. — [3] Nah. I, I. — [4] Habac. I, I. — [5] Malach. I, I. — [6] Osee. I, I.

» Jerusalem in diebus Oziæ regis Juda, et in diebus Hie-» roboam regis Israël, ante duos annos terræ motus [1]. » Ordo hoc loco inversus est, habita ratione verborum Esaïæ. Illic quidem præponitur « visio, » subjunguntur vero sermones. « Audi cœlum. » Hîc autem sermonibus præpositis, subsecuta est visio. Nam « Sermones » Amos : quippe non « visio » Amos : non quos audivit, sed quos vidit. In Michæa autem : « Et factus est » sermo Domini ad Michæam Morasthiten in diebus Joa-» tham, et Achaz, et Ezechiæ regum Juda, super his quæ » vidit de Samaria, et Jerusalem [2]. » Et, « Sermo Domini » qui factus est ad Joël filium Bathuel [3]. » Et, « factus est » sermo Domini ad Jonam [4]. » Et, « sermo Domini qui » factus est ad Sophoniam filium Chusi filium Godoliæ » filii Amorii filii Ezechiæ in diebus Josiæ filii Amos regis » Juda [5]. » Atque etiam peculiari quadam ratione apud Aggæum tempus notatur, et de sermonis acceptione facta est mentio. Ait enim : « In secundo anno Darii regis, » mense sexto, una mensis, factus est sermo Domini in » manu Aggæi prophetæ [6]. » Dictum hoc, « in manu, » mea quidem sententia eumdem intellectum habet ac assumptio, quod vocabulum ab aliis scriptum est. At vero in Zacharia : « Octavo mense anni secundi, sub » Dario, factus est sermo Domini ad Zachariam filium » Barachiæ, filium Addo, prophetam [7]. »

III. « In diebus Oziæ et Joatham, et Achaz et Eze-» chiæ. » Tempus observare necesse fuit, ut compertum esset, ante quantum temporis prædicta post quantum temporis evenerint, et quod Dei providentia magis exuberavit tum cum exuberavit morbus. Plurimi enim eodem fere tempore inter se concurrerunt : Osee in diebus Oziæ

[1] Amos. 1, 1. — [2] Mich. 1, 1. — [3] Joël. 1, 1. — [4] Jon. 1, 1. — [5] Soph. 1, 1. — [6] Agg. 1, 1. — [7] Zach. 1, 1.

et in diebus Jeroboam : Michæas in diebus Joatham et Achaz : Sophonias in diebus Josiæ filii Amos. At reliquorum nonnulli quidem prophetiarum suarum tempora minime assignarunt : alii vero Barbarorum annotarunt regna, ut quæ essent magis nota, quod tunc rerum potirentur. Aggæus et Zacharias, Abdiasque et Nahum, Ambacum, Jonas et Malachias de temporibus mentionem non fecere : imo plures ne patrum quidem meminere. Et fortasse illi utpote ex illustribus patribus oriundi, poterant esse acceptiores. Qui enim sanguine sunt clariores, ii majorem impetrant fidem : qui vero ex obscuris et ignobilibus parentibus erant nati, prætermissi silentio sunt. Amos tamen ille qui inter duodecim numeratur, nequaquam Esaïæ pater est. Neque enim pronuntiatio eadem est, neque eadem notio huic voci subjecta est. Illud enim densiore spiritu pronuntiatur, hoc tenuiori. Quinetiam diversa est significatio. Nomen enim patris Esaïæ et vocis proprietas indicat firmamentum, virtutem et fortitudinem : at vero prophetæ nomen sermonem durum sonat. Porro prophetia Oseæ Esaïa videtur esse antiquior; propterea quod dictum est : « Principium verbi Domini » ad Osee. » Sciendum quidem est hunc eumdem Oziam dictum fuisse et Azariam. In priore enim Paralipomenon libro Ozias est dictus : in secundo autem Regnorum, Azarias, ex eodem tamen patre et matre. Nimirum ejus mater erat Chalia : pater autem Amasias. Tempus etiam regni est idem, anni quinquaginta duo. Prophetarunt autem sub Ozia Esaïas, Osee et Amos. Sed quia legitur, « Principium verbi Domini ad Osee, » num primus vaticinari cœpit? Et quia Amos ante duos annos terræ motus prophetavit, numquid vaticinatus est ante visionem Esaïæ, in qua ait : « Et elevatum est superliminare[1]? »

[1] Esaï. VI, 4.

IV. « Audi cœlum et auribus percipe terra, quia » Dominus locutus est [1]. » Quandoquidem prophetia hæc edita est tempore reprobæ generationis, nec in hominibus haberet auditores, cœlum et terram alloquitur. Est enim data lex coram his testibus: dicente Moyse : » Contestor vobis hodie cœlum et terram. » Et rursus, « Attende cœlum, et loquar : *et*, audiat terra verba ex » ore meo [2]. » Decebat utique testes eosdem qui cum lex daretur assumpti fuerant, tunc ad exprobrandam legis violationem acciri. « Convocate enim, *inquit*, ad me » tribuum vestrarum principes et seniores vestros, et » judices, et magistros, ut loquar in aures eorum, et » contestor eis cœlum et terram [3]. » Observatum autem est cantico hunc sermonem esse contrarium. Illic enim, « Attende cœlum, » aut juxta alias editiones, « auribus » percipe cœlum, et audiat terra [4]. » Hîc vero « audi » cœlum, et auribus percipe terra. » Nam cum sublimia sapit populus, nec semotus a Deo est, cœlum tanquam propinquum attestatur, et ut sermones in aures inducat, adhortatur. Hunc enim sensum indicat illud : « Auribus » percipe. » Quando vero longe abest a cœlestibus, ipsum alloquitur veluti procul remotum. « Audi cœlum. »

V. De terra etiam idem sentiendum. Quapropter Moyses quidem quasi in propinquo habens cœlum, ob populi profectum ait : « Attende cœlum, *vel*, auribus » percipe, » ut reliqui. Esaïas autem populo in peccatis manente, et ad terrena animum intendente, terram uti proximam auribus sermones excipere jubet. Nam « auri- » bus percipere » id sonat. Aut metonymice cœlum quidem dicimus cœli habitatores; quemadmodum civitatem civitatis incolas, et terram omnes in ipsa commorantes

[1] Esaï. I, 2. — [2] Deut. IV, 26 et XXXII, 1. — [3] Id. XXXI, 28. — [4] Id. XXXII, 1.

nuncupamus : ne inde adducamur, ut cœlum et terram animata esse arbitremur. Sic enim et cœlum dicitur esse Dei thronus, quod cœlestes illæ virtutes cognitionem Dei firmiter in seipsis insidentem habeant. Terra itidem dicitur scabellum, propterea quod homines in terra degentes extrema quæ de Deo prædicatur, capere vix valeant. Dictum est juxta illud : « Vir astutus, thronus » sensus[1] : » thronus autem ignominiæ, mulier odio habens quæ justa sunt. Quemadmodum thronus sensus, est vir qui cordatus est et prudens : ita Dei thronus est ille, qui supremam enarrationem de Deo habitam intellexit. « Quia Dominus locutus est. » Negligenter Dei sermones audire res est formidanda.

VI. « Filios genui, et exaltavi, ipsi autem spreve» runt me[2]. » O studium erga homines ! Allegat jura sua Dominus, ut post certissima argumenta, decernat quæ justa sunt ac debita. « Filios genui, et exaltavi. » Ex anima et corpore compositus homo est : caro ex terra, anima cœlestis existit. Quoniam igitur ipsi cum utroque affinitas inest et cognatio, coram iis quæ ei maxime propria sunt, peccatum coarguit. « Filios genui et exaltavi. » Generationis duæ species sunt. Una quidem quæ fuerit secundum Deum forma, quæ ex operibus, exque susceptis dogmatis perficitur : hunc ad modum Paulus per evangelium jam lapsos parturit, configuratque, et ipsos ad pietatem reformat. Est autem altera quædam, nempe introitus in hanc vitam, ut est illud : « Hic liber gene» rationis cœli et terræ[3]. » Utramque igitur generationem ipsis objicit; et exprobrat quod ex nihilo conditi, et ad Dei imaginem facti (hoc enim est et genitos esse et exaltatos) neque ut creatori egere gratias, neque ut patri similes sese exhibuere : sed in vitium conversi spreve-

[1] Prov. XII, 23. — [2] Esaï. I, 2. — [3] Gen. V, 1.

runt Deum : diabolum vero patrem suum effecerunt. « Omnis enim qui facit peccatum, ex diabolo genitus » est[1]. » Atque Dominus ipse iniquis ait : « Vos ex patre » vestro diabolo estis[2]. » Sane grande crimen et insimulatio, eum qui filius est, et corporalem ortum consecutus est, ingratum esse erga suum genitorem. Cæterum odio intolerabili est dignus, qui usque adeo exaltatus, ut consors cœlestium fieret; nec sic tamen perseverat in caritate erga beneficii hujus auctorem.

VII. « Cognovit bos possessorem suum, et asinus « præsepe domini sui : Israël autem me non cogno- « vit, et populus me non intellexit[3]. » Bovi et asino confertur Dei contemptor. Quandoquidem « dum in « honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis « insipientibus, et similis factus est illis[4]. » Tales autem sunt qui non ratione, sed libidine vitam instituunt, præ insipientia ad belluinam vitam abrepti. Jam vero in exprimenda similitudine, ea animalia quæ una cum hominibus nutriuntur, quæque nota sunt assumpsit, ut pudore afficiamur, quippe qui simus ipsis et insipientiores, et eam quam a brutis animantibus accipimus benevolentiam, conditori nostro ipsi minime rependamus. Bos enim qui in agris colendis nobis adjutor traditus est, vocem nutritoris sui novit, eumque qui sibi pabulum afferre solet, agnoscit. Asinus autem sponte naturæ ad consueta stabuli sui loca festinat. Quod si brutis animalibus tanta inest habitudo cum suo provisore : quanta dilectionis in Deum mensura reposcenda est a rationali natura ! Observa autem bovem juxta testimonium illud majorem præ asino obtinere intelligentiam. Ille namque ipsum novit possessorem : hic vero præsepe solum. Ostendit autem Scriptura animal ventri indul-

[1] Joan. III, 8. — [2] Id. VIII, 44. — [3] Esaï. I, 3. — [4] Psal. XLVIII, 13.

gens, solum agnoscere voluptatis locum. Bos vero quamdam ipsius honesti atque utilis habet cognitionem. Itaque tanquam nihil inter se affinitatis habeant hæc animalia, vetitum est in Deuteronomio arare « in bove et asino » in idipsum[1], » id est, eam animi partem cui inest vigor strenuitasque cum ea quæ voluptatibus et affectibus gaudet, ne copulaveris. « Non enim de bobus cura est « Deo[2] :» sed profecto nostra causa id scriptum est. Contra tamen, alio loco copulantur. « Beatus enim qui semi» nat super omnem aquam, ubi bos et asinus calcat[3] : » hoc est, qui sermone ad docendum apposito vim animæ strenuam ac laborum patientem exsuscitat, atque eam ipsius partem quæ voluptatibus delectatur, emendat ac cohibet. Quemadmodum enim asinus, animal est gestandis oneribus natum : sic et vis animæ concupiscens peccati pondere deprimitur.

VIII. Et quidem bos suum possessorem cognovit : Israël autem non cognovit me, qui ejus conditor sum. Et asinus præsepe agnovit sui domini : Israël autem me non intellexit. Atque multa quidem præsepia sunt, nec tamen asinus a sui possessoris præsepi aberrat. Sed licet unus sit Deus, tamen populus beneficiorum immemor post eos qui non sunt dii deerrat. « Me non intellexit, » quem cœlum commonstrat, quem terra et mare declarant, quem sol et luna, stellæ et omnes res creatæ indicant. Porro Israël ut convenienter per bovis similitudinem exprimitur, ita per asini comparationem simplex populus. Quanta ergo inter asinum et bovem differentia est; tanta intercedit dissimilitudo inter Israëlem qui Deum videns interpretatur, et populum simpliciter nuncupatum.

IX. « Væ genti peccatrici, populo pleno peccatis, » semini nequam, filiis sceleratis[4]. » Gens et populus

[1] Deut. XXII, 10. — [2] 1 Cor. IX, 9. — [3] — Esaï. XXXII, 20. — [4] Id. I, 4.

plerumque conjunctim dicuntur; puta, « In gente » multa gloria regis : in defectu autem populi contritio » principis[1]. » Item illud : « Quare fremuerunt gentes, » et populi meditati sunt inania[2]? » Nunc autem cum ceperint gens esse peccatrix, propter sceleris progressum populus iniquitatum plenus evaserunt; et qui ante fuerant semen nequam, filii iniqui jam facti sunt. Ut enim qui fit in virtute progressus, a minoribus ad majora capit incrementum : ita malitiæ effusio sumpto a minoribus initio, ad aliquid immedicabile devolvitur. Porro semen inter et filios inest etiam secundum ipsam naturam cognatio ingens et convenientia. A semine enim ad hoc progreditur natura, ut generentur filii. Nec id modo secundum generationes corporeas : sed et juxta animæ processum, qui per doctrinæ semina efficitur : quandoquidem qui doctrinam excepere, eo usque proficiunt, ut doctoribus suis fiant consimiles. Et idcirco filii appellantur, sive filii regni, cum susceptis salutaribus seminibus, per ea perficiuntur : aut gehennæ filii, si ob perversam, et improbam doctrinam perditioni destinantur. Magna autem objurgatio est, totam gentem vocari peccatricem, ac si ne unus quidem in ipsa quidpiam recti operis pararet : item cum populus peccatis plenus dicitur, quasi nullum non genus iniquitatis et flagitii ab ipso exerceatur : adeo ut etiam ipsa vitia secum pugnantia et contraria inveniantur, ceu dictum est : « repletos omni iniquitate[3]. » Et illud : « Nondum enim completa sunt peccata Amorrhæo-« rum[4]. » Quinetiam ab ipso Salvatore dictum est : « Et vos implete mensuram patrum vestrorum[5]. »

X. « Semini nequam. » Zizanium quod ab inimico

[1] Prov. xiv, 28. — [2] Psal. ii, 1. — [3] Rom. i, 24. — [4] Gen. xv, 16. — [5] Matt. xxiii, 23.

homine puro frumento inspersum est, jam adultum filius iniquus evasit, cum filius sit perditionis, filiusque gehennæ. Quapropter et commiseratione digni sunt, qui cum essent filii Altissimi, facti sunt filii iniqui; quique cum in generatione magis divina manere debuissent, facti sunt semen nequam. Cæterum inveterata malitia iis qui primum ipsa inferti sunt, interitum parit. Extrema namque malitia secum ipsa pugnat. « Dereli« quistis Dominum, et irritastis sanctum Israël [1]. » Quodnam datur majus malitiæ argumentum, quam a bono deficere? Quæ itidem pravitas major quam bonum ac mitem exasperare? Quin et de iisdem apud Jeremiam coarguuntur : « Me » enim « dereliquerunt fon« tem aquæ vivæ[2]. » Verum pro ratione et modo hujusce defectionis unusquisque sibi ipse, cum remuneratio fiet, iræ mensuram recondit. « Alienati sunt retrorsum. » Hoc ex editione Theodotionis appositum est; quasi a Deo abalienari quodam in vitium lapsu, si interpreteris, idem sit atque eum derelinquere. Quemadmodum enim is qui ad perfectionem contendit, in anteriora progreditur : ita peccator retro pedem refert, submovens sese a Domino, et ob id disperit : « Ecce » enim, inquit, « qui elongant se a te peribunt[3]. » Ad hunc igitur modum vitam nostram instituamus, ut quæ præterierunt, nunquam meliora futuris existant aut præsentibus. Id ipsum enim interdicit Ecclesiastes : « Ne « dixeris, quia dies priores erant boni super hos : quia » non in sapientia interrogasti de hoc [4]. » Si enim dies priores posterioribus sunt meliores, dicetur nobis : Tanta passi estis frustra, siquidem vestra bona opera præ subsequente negligentia ad nihilum redacta sunt. Ait enim Ezechiel : « Justus si averterit se a justitia sua, et

[1] Esaï. I, 4. — [2] Jer. II, 13. — [3] Psal. LXXII, 27. — [4] Eccle. VII, 11.

« fecerit iniquitatem juxta omnes iniquitates quas « fecit iniquus : omnes justitiæ quas fecit, non memo- « rabuntur : in delicto suo in quod prolapsus est, et « in peccatis suis quæ peccavit, in ipsis morietur [1]. »

XI. « Quid adhuc percutiamini adjicientes iniquita- « tem [2] ? » Quod dicitur, est ejusmodi : flagellis vos cædebam, pro peccatis vestris castigans vos. Cum vos haud pœniteret, imo cum magis delinqueretis ; inducebam semper et multiplicabam flagella, ut quælibet corporis pars plagis ad corrigendum idoneis operiretur. Certe quando delinquentium peccatis remedium afferri potest, interminatur Scriptura fore, ut visitet Dominus eorum iniquitates in virga, et eorum injustitias in verberibus[3] ; sed his qui insanabiliter peccaverunt dicit : « Quid adhuc percutiamini ? » experti plagas omnes, omnia quibus castigati fuistis flagella contempsistis. Contritio vos manet. Hæc vox est deficientis et de correctione desperantis, quemadmodum in Ezechiele : « Zelus meus recedet a te, et non irascar « adversum te[4]. » Porro ex iis calamitatibus quæ eveniunt, aliæ quidem accidunt ad punienda peccata, aliæ ad mores eorum qui tentantur emendandos, aliæ ad eos qui desperantur atterendos, ut in Pharaone. Itaque his tanquam desperatis non jam plagas aut flagella, sed interitum minatur. « Omne caput in labore, et « et omne cor in tristitia [5]. » Quid adhuc percutiamini vos, quorum tum corpora tum animæ flagris concisa sunt, nec tamen correcti estis ? quippe caput omne dolore cruciatur, et cor omne mœrore afficitur. Profecto corporis membrum per caput non intelligit, tanquam ipsi soli insideret dolor : sed juxta Scripturæ

[1] Ezech. XVIII, 23 et 28. — [2] Esaï. I, 5. — [3] Psal. LXXXVIII, 33. — [4] Ezech. XVI, 42. — [5] Esaï. I, 5.

consuetudinem per omne caput, homo quilibet significatur. « Accipite enim primitias omnis synagogæ Israël « secundum cognationes, secundum populos, secundum « domos patriarum, secundum numerum ex nomine « eorum, secundum caput eorum[1]. » Nam cum tota gens peccatrix sit, populusque omnis peccatis plenus, ob id ad omnes pervenit supplicium. « Et omne cor « mœret[2], » quoniam in captivitatem ob peccata sua abductus populus est. « A pedibus usque ad caput non « est in eo sanitas, neque vulnus, neque livor, neque « plaga tumens. » Hanc vocem « caput » pro toto accepit homine. « A pedibus usque ad caput non est in » eo sanitas: neque vulnus, neque livor, neque plaga » tumens[3]; » propterea quod ob unumquodque peccatum invecta sunt flagella ab eo qui ipsorum curam suscipiebat. Deinde cum vulnus, continuitatis corporis sit dissolutio, discissa in exigua aliqua parte connexione, sitque livor plagæ vestigium subcruentum, cum ex duritie et asperitate cædentis contunditur corpus, hocque vestigium in aliqua parte imprimitur, cum itidem phlegmone tumor ignitus sit, quando scilicet humores in infirmam ac debilem partem confluunt, et male affectam calore naturæ contrario accendunt, quid de his dicit Scriptura, qui toti infirmitate prorsus correpti sunt? Non ut vulnus, inquit, non ut livor, non ut plaga tumens: ita ægritudo vestra vos occupavit; sed conjunctim ingruit vobis malum: ita ut confusa sint omnia, adeoque sint vulnus, livor et plaga. « Non « est malagma imponere, neque oleum, neque liga« menta[4]. » Quandoquidem hæc ægritudo, vulnere, livore ac plaga tumente pejor est; non est malagma imponere tanquam ad plagam, neque oleum, ut ad vul-

[1] Num. 1, 2. — [2] Esaï. 1, 5. — [3] Ibid. 6. — [4] Ibid.

nera. Non jam, inquit, opus est hisce remediis : quippe majora sunt symptomata quam ut hisce medicamentis cedant. Itaque vulnera sunt Ecclesiæ schismata : vibices vero corda sunt subdola et fallacia. Phlegmone autem animi est elatio, ex insulsa opinione intumescentis, atque ob eam rem efferentis sese adversus Christi scientiam. Porro malagma est sermo mansuetudini lenitatique conjunctus, qui vanas deprimit elationes : oleum vero, sermo est quo fraudulenta, subdola et aspera simulate falsoque loquentium verba leniuntur cum misericordia et commiseratione. Ligamentum tandem sermo est, quo simul ea quæ ad dissentionem festinabant, coërcentur et retinentur.

XII. « Terra vestra deserta, civitates vestræ suc- « censæ igni : regionem vestram coram vobis alieni « devorant : et desolata est, eversa a populis alienis[1]. » Quandoquidem desperavit de correctione, interitum interminatur. Cæterum isthæc tempore Esaïæ non contigerunt : sed futura, quasi jam facta enarrare Scriptura solet, uti est illud : « Dederunt in escam meam » fel, et in siti mea potaverunt me aceto[2]. » Enimvero cum esset sibi persuasum fore, ut quæ prædicta sunt, contingant; tanquam ea sint indubitanter eventura, futurum cum præterito connectit. Porro hæc contigerunt tum cum in Babylonem abducti sunt captivi : siquidem terra suis exhausta est habitatoribus : civitates fuerunt igni succensæ, et ab iis qui ex Media missi erant colonis devorata regio est, his ipsis qui fuerant derelicti, id cernentibus. Itidem cum regio omnis subversa est ab alienis populis. Sed juxta sublimiorem intelligentiam res antiquæ nobis adaptantur. Quando deficimus a Deo nostro, manusque nostras expandimus

[1] Esaï. I, 7. — [2] Psal. LXVIII, 22.

ad Deum alienum, alienis qui nos devastant ac evertunt, tradimur. Nam advertere licet minas omnes intentatas peccatoribus accidere. « Terra vestra deserta. » Plerisque locis Scriptura terram vocat animam semina verbi suscipientem, uti parabola Domini sumus in evangelio edocti : quod videlicet alia semina ceciderunt in terram bonam, doctrinæ divinæ capacem, atque ad fructum ferendum idoneam[1]. At vero « Deserta, » ea est quæ sapientiam non habet nec doctrinam, nec vitam instituit juxta justitiam, neque in veritate ambulat. « Civitates vestræ igni succensæ. » Civitas hominum cœtus est, ex diversis moribus et institutis ad communem vitæ societatem conflatus : qui propterea quod in operibus suis multum habeat vanitatis, ligna scilicet, fœnum et stipulam, in judicii die comburitur, atque hæ impiorum societates igne succenduntur. « Regionem vestram coram vobis alieni devorant » tum, cum, anima, per priorem vitam et rectam agendi rationem repleta spiritus fructibus, caritate, gaudio, pace, patientia, benignitate[2], advenientes alienæ cogitationes pristinos labores absumunt. Quod si in gerendis vitæ negotiis, agentem animi vim impuris dedamus dæmoniis, terra ab alienis evertitur; quippe Dei agricultura, Dei ædificatio sumus[3]. Quamdiu sumus palmites in vite manentes, fructus qui nos deceant, Christo afferentes : Deum habemus agricolam. Si vero desciverimus a vivificante radice, ab ea nempe quæ in Christum est fide, arefacti projicimur foras, et comburimur. Atque illa nostra doctrinæ ædificatio, si indecore vivimus, subvertitur. Nam nisi in fundamento Apostolorum perseveremus, sumptuosa ædificia construentes, quasi nullo subnixi fundamento ruimus, nos-

[1] Matth. XIII, 3. — [2] Gal. V, 22. — [3] I Cor. III, 9.

terque casus haud exiguus est. Etenim quasi devorat intemperantia temperantiam, avaritia liberalitatem in rebus communicandis sitam, odii studium vim ac facultatem diligendi. Itaque res est miseranda, animam bonos fructus ubertim producentem, inimicorum fieri pabulum, quibus non satis est nostra vastitas, nisi et ruinæ nostræ fuerint auctores. Enimvero ex pravis documentis nascitur ruina, eorum qui errore seducuntur anima solo quasi allisa. Vastatio vero, civium priorum est privatio. Hoc autem facile fit in humana natura. Vide enim mihi quempiam juvenem a puero pudicis honestisque moribus educatum alacriter et studiose ad precationum domos prodeuntem, pro sua virili parte beneficum, æterni judicii memorem, amplectentem doctrinæ sermonem : deinde illum considera in stuprum aliquod prolapsum; quomodo post pudicitiæ jacturam, fructuumque vastationem, omnimoda illum deinceps ruina maneat. Jam mala conscientia non hunc sinit ad precationis locum proficisci, quippe quia in fidelium ordine non consistit : ab eo siquidem excidit ; nec tamen in deflentium loco stat, siquidem erubescit. Hinc oritur in precatione segnities, ac fictas excusationes ad inquisitores fallendos comminiscitur. Quispiam, inquit, urget me, atque adeo non opperior cœnæ celebrationem : et ob eam causam ante fidelium precationem rursus se subducit, quamlibet excusationem effingens. Deinde sensim ob consuetudinem meditatur apostasiam, et ad integram perditionem deducitur. In summa, malignis potestatibus peculiare est, nunquam prius ab iis quos justitiæ fructibus vacuos reddiderint secedere, quam eosdem iis qui circa cognitionem versantur erroribus imbuerint.

XIII. « Derelinquetur filia Sion, sicut tabernaculum

» in vinea, et sicut pomorum custodia in cucumerario[1].» Argumentum justi judicii Dei exhibet similium retributio. Dereliquit Dominum, ob eam causam derelinquetur filia Sion : suam tamen erga illam servat adhuc benignitatem. Filiam nominat, rursus ipsam appellans priore nomine, quod ante obtinebat quam se abalienasset. « Derelinquetur sicut tabernaculum in vinea. » Ad custodiam fructuum in vineis nascentium figuntur tentoria. Cum ergo vinea propriis fructibus exuberat, omni studio ac diligentia curatur tentorium; ut ex eo custos sedulo prospiciat, ne, qui in via prætereunt, fructus ejus decerpant. Cum autem vinea infructuosa est, vineæ munimenta consequenter negliguntur. Quamobrem Israëliticum populum derelictum iri interminatur, utpote qui consentaneum fructum non ferat. Timendum itaque nobis est ne infructuosi simus, ut ne Dei inspectione destituamur. Spiritus sanctus est, qui nos custodit. Itaque cum anima fructus æternis apothecis dignos profert, tum astat custoditque, et singularis feri insidias procul abigit : cum vero uvam fellis et botrum amaritudinis producit, infructuosam animam deserit, et tum a quavis cogitatione belluina, et a quavis insulsa cupiditate conculcatur ac proteritur. Plerumque autem Scriptura Israëlem vineam tropice nuncupat; ut, « Vineam ex » Ægypto transtulisti[2] : » et, « Vinea facta est dilecto[3] : » et, « Ego autem plantavi te vineam fructuosam, totam » veram[4]. » Quod si Israël vinea fuerit, fortassis hujus vineæ tabernaculum erit templi domus : dicebatur enim gloriæ tabernaculum, et, « tabernaculum ubi habitavit » in hominibus[5]. » Donec itaque multum fructum protulit, tabernaculum ad fructuum custodiam substitit.

[1] Esaï. I, 8. — [2] Psal. LXXIX, 9. — [3] Esaï. V, 1. — [4] Hier. II, 21. — [5] Psal. LXXVII, 60.

Sed posteaquam qui plantavit eam, expectavit ut faceret uvam, fecit autem spinas, quibus Dominum coronarunt, et ubi conversa est tota in amaritudinem : faciebat enim uvam fellis et botrum amaritudinis, quapropter et in escam Domino fel dedere : ob hoc derelictum est tabernaculum vineæ. « Ecce » enim inquit, » relinquetur vobis « domus vestra deserta[1]. » Tunc impleta est illa comminatio : quippe derelicta est « sicut tabernaculum in » vinea : » exinde vero nubibus mandavit ne pluerent super vineam. Idcirco non ultra prophetæ apud illos sunt, non cœlestis gratia; sed conversa est in terram incultam, et in conculcationem. Enim vero sublatæ sunt et dejectæ populi illius sepes, nimirum sanctarum virtutum tutela : ac etiamsi quidpiam secundum legem agant, id illis in perniciem vertitur.

XIV. Quamobrem nunc quidem « Vindemiant qui » prætergrediuntur viam, et aper de silva devastavit : » et singularis ferus depastus est[2] : » nunc vero invisibiles potestates ipsos conculcant. « et sicut pomorum » custodia in cucumerario. » In autumno extruuntur munimenta ad asservandos cucumeres. Itaque cucumerarium, locus est continens fructus fugaces, et parum diuturnos, qui potius delectationem quamdam præbeant, quam utilitatem. Talis autem lex erat, cujus usus brevi tempore permansit. Siquidem cultus ipsius fuit temporarius, ac parum diu floruit : deinde statum illum cum vero ac solidiore cibo, nimirum cum evangelii doctrina commutavit. Sion igitur derelinquetur, eritque sicut pomorum custodia, ceu locus quo autumnales fructus asservantur. Poma autem non solidus et constans cibus sunt, sed mollis et fugax. Talis autem lex erat, quæ cultus speciem, non ipsam veritatem habebat, eoque

[1] Matth. XXIII, 38. — [2] Psal. LXXIX, 13.

exemplar est et umbra cœlestium. Quia vero vineæ comparatur uniuscujusque anima; ut in psalmo, « Uxor » tua sicut vitis abundans[1] : » item Dominus ait : « Ego » vitis, vos palmites[2]; » verendum est ne ad nos etiam perveniat isthæc comminatio, si quando non idoneos edimus fructus. Fortassis enim corpus tabernaculum est, et in quo inhabitat Spiritus sanctus. « An nescitis, quod » corpora vestra templum sunt habitantis in vobis » Spiritus sancti[3]? » Anima vero vinea est a qua reposcitur fructuum ubertas, plantatione primigenia et Dei agricolatione digna : quippe plantata est vera, ad imaginem veri Dei condita[4]. Jam vero paulatim excolitur sui conditoris providentia, qui palmitem fructum ferentem purgat, ut plus afferat fructus[5]. Etenim si nos addixerimus parandæ vitæ puritati, ad expurgandas animi perturbationes Deus ipse fert suppetias; studium nostrum nostramque erga bonum honestumque propensionem perficiens. Quemadmodum igitur putatur vitis, nimium eluxuriari prohibita : sic et animæ studium erga res vanas circumcidimus, omnem ejus vim ac facultatem ad fructus bonorum operum producendos colligimus; ut ne silvescens et eluxurians in hoc ostentationis mundo ad gratiam hominum captandam suam omnem exhauriat facultatem, dum quasi circa folia et capreolos, mundi scilicet figuram sese occupat. Quin et circumfoditur anima, ac cuncta adjacentia ad suum nutrimentum sibi vindicat, sicque ad excipiendam spiritus doctrinam se ipsa præparat. Quemadmodum enim vitis quæ non foditur, meatibus destituitur, neque ex aqua utilitatem ob terræ adjacentis densitatem capit : pari ratione anima quæ non exuit se his corporalibus, quæque præ eorum pon-

[1] Psal. cxxvii, 3. — [2] Joan. xv, 5. — [3] i Cor. vi, 19. — [4] Jerem. ii, 21. — [5] Joan. xv, 2.

dere minime respirat, infœcunda permanet, terrenorum pondere depressa; et ob id, supernum auxilium non accipiens, infructuosa manet. Porro ab infructuosa anima Spiritus sanctus se submovet : cadunt etiam sepes, angelorum subsidia : irruunt autem peregrini ad nos pervadentes, nimirum potestates illæ peccatorum circa doctrinam commissorum effectrices. Quinetiam cupiditates quæ eam præoccupaverant, instar suis bruto impetu irruentis, seque in fœtido putore volutantis, ipsam corrumpunt. Atque tunc circa ejusmodi animam impletur illud : « Derelinquetur filia Sion sicut taberna- » culum in vinea. » Sed et « sicut tugurium in cucume- » rario. » Qui fructus proferunt divina apotheca indignos, imo qui de mundi hujus fructibus corruptioni obnoxiis gloriantur, qui confidunt in divitiis : qui de gloria efferuntur : qui de majorum suorum nobilitate, vel de bona corporis habitudine superbiunt, hi ad cucumerarium similitudine accedunt, fructum producentes nihil edulem, qui superbo flatu adimplet, efficitque ut inani tumore turgeat anima, ac supra modum infletur. Quarum rerum desiderio cum teneretur concupiscens populus, in deserto sepultus est. Flebant enim, ait Scriptura, memores cucumerum, et peponum, eduliorum Ægyptiacorum[1], quæ sane nunquam Israëlita ille comederit, qui cœlesti pane, nimirum manna, enutritur, quem qui tunc fastidiebant, concupiscebant cepas. Porro isthæc nobis vitam voluptariam ei quæ ratione regitur præferentibus nequaquam accidunt. Nam revera voluptates corporeæ cepis assimiles sunt et alliis : multum quippe acrimoniæ et irritamenti creant; ac graveolentiam intolerabilem et fere illutibilem ex imo immittunt iis in quos grassatæ fuerint, multumque lacrymarum conciliant suis

[1] Num. xi, 5.

assectatoribus. Est autem et illud in comminationibus, derelictum iri ut civitatem expugnatam. Nos obsident hostes, nostram desidiam observantes, ut nos incautos adoriantur. Quemadmodum igitur expugnatæ civitatis portæ, direptis quæ in ea recondebantur divitiis, non jam observantur, nec amplius in mœnibus vigilant excubiæ : sic anima thesauris ex divino munere obtentis denudata, tanquam divina jam custodia sit indigna, despicitur. Quapropter dictum est illud : « Omni custodia serva cor » tuum[1]. » Itaque præterquamquod ita vigilamus, ac sobrii sumus; precamur ut et quoniam ipsi nostræ custodiæ advigilamus, idcirco efflagitemus, ut ne dormitet, neque dormiat qui custodit Israël. «Nisi «enim» Dominus » custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit[2]. » Cæterum ubi nostram dereliquerit custodiam propter inopiam ac vacuitatem bonorum operum, sumus direptioni expositi admodum, et ab hostibus in captivitatem carceremque abducimur.

XV. « Et nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis se» men, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha » similes essemus[3]. » Gens tota si peccatrix est, universusque populus plenus est iniquitatibus, et omnes filii iniqui sunt, quodnam semen est Israëli derelictum quod impedierit ne Sodomorum et Gomorrhæ pœnas ac supplicia pertulerit? Nam quod ipsi Israëli inerat semen, semen erat nequam, nec salutem præstabat, sed interitu erat dignum. Quale igitur illud erat? An non id de quo in promissionibus Abrahæ dictum est : « Tibi dabo et » semini tuo[4]? » Non enim dixit, inquit, « et seminibus, » quasi in multis : sed quasi in uno : et semini tuo, qui » est Christus[5]. » Hoc itaque semen eos qui pro merito

[1] Prov. IV, 23. — [2] Psal. CXXVI, 1. — [3] Esaï. I, 9. — [4] Gen. XV, 18. — [5] Gal. III, 16.


eorum quæ in vita gesserant, Sodomorum supplicia pati, et igni ac sulphure ob nequitiam Sodomiticæ mensuræ haud imparem consumi debuissent, suo ipsius adventu liberavit. Verumtamen etiam post admissum in Christum peccatum, « reliquiæ quidem secundum electionem gra» tiæ salvæ factæ sunt[1] : » cæteri vero excæcati sunt, et subversioni traditi, uti ait Amos : « Subverti *enim* vos, » sicut subvertit Dominus Sodomam et Gomorrham. Et » ne sic quidem conversi estis ad me, dicit Dominus[2]. » Quanquam sæpe minatus est, sæpe pepercit, postea tamen in cor haud pœnitens calamitates operibus eorum dignas invexit. Siquidem in quodam propheta, ad vindictam quidem ob populi iniquitatem propendet : sed cunctatur ob suam erga homines benignitatem. Quid statuam tibi Ephraïm, quid faciam tibi Juda? « Quasi Adama ponam » te et sicut Seboïm[3]. » Utraque autem ad Sodomiticam pentapolin pertinet : deinde per exuperantiam clementiæ suæ subjungit : « Conversum est cor meum in eodem : » conturbata est pœnitudo mea[4]. » Nequaquam faciam juxta iram furoris mei. Attamen ubi ad extremam delapsi sunt prævaricationem, templum quidem igni conflagravit, civitas autem tota tradita igni est; ac ipsi fame, peste, seditione, mutuisque insidiis sunt consumpti. Porro ex omni Israël pars quæ in Christum credidit, salva facta est : quandoquidem in paucis inventa electio est. Quæ portio velut fermenti vicem inter gentes explens, omnes sui ipsius similes effecit : ita ut ex illa populus Domini etiam Israël vocetur, sitque quivis qui ex gentibus crediderit, in abscondito Judæus, ac spiritualium hæres promissionum. Sed præterquamquod sonat, si Sodoma interpreteris, declinationem, Gomorrha vero seditionem, etiam ejusmodi sensum nobis exhibet ho-

[1] Rom. XI, 5. — [2] Amos. IV, 11. — [3] Osee. XI, 8. — [4] Ibid.

rumce nominum interpretatio : quod nisi semen quod promissum fuerat, venisset, nihil vetuisset quominus nos in integram incidissemus perditionem, quippe qui declinassemus a Domino. Et nisi pax nobis ab alto affulsisset, « quæ exuperat omnem sensum[1], » fuissemus singuli a propria rebellione, et ab inhabitante in nobis bello consumpti. Nam cupiditates ex peccato ortæ, omnesque commotiones a ratione alienæ, obstrepentes tumultus seditionemque implacabilem solent animabus parere.

XVI. Ecclesia igitur utilitatis ex Salvatoris adventu perceptæ conscia, qui velut exiguum semen vitæ nostræ illapsus est per humanam carnem, in modum actionis gratiarum hæc dicit : « Audite verbum Domini principes » Sodomorum : attendite legi Dei, populus Gomorrhæ[2], » ut ostendat seminis ejus quod ei a Domino Sabaoth relictum erat, adventum, eis salutis fuisse causam originemque. Quoniam, quantum in eis situm erat, Sodominæ urbis malis erant obnoxii ; ipsos, cum essent principibus pejores, principes Sodomorum et populum Gomorrhæ appellat, quod Sodoma esset veluti nequitiæ metropolis, ejusque principes exuperantia iniquitatis superarent. Porro quid est quod vocentur Sodomorum principes ? An quia quemadmodum illi repellebant a se et aversabantur Lot justa decernentem, cum eos quos hospitio receperat, ipsorum manibus eximere conaretur ? Dicebant nimirum : « Ingressus es ut advena, num etiam ut judicium judi» ces[3] ? » ita et hi rejiciebant æquum judicem, clamantes : « crucifige crucifige[4], » ejusmodi virum tolle e terra. Hoc autem scelus multo majus est. Etenim illi quidem libidine acti, in hospites nihil de se male meritos furebant : hi vero eum impetunt, a quo erant beneficiis maximis affecti. Illi in peregrinos, hi vero in eum qui in

[1] Philipp. IV, 7. — [2] Esaï. I, 10 — [3] Gen. XIX, 9. — [4] Joan. XIX, 6.



propria venit, fuere contumeliosi : illi quidem in angelos, hi vero in Deum. Quare principum Sodomiticorum nomen jure ac merito consecuti sunt. Attamen Deus in ipsos beneficus ad utiles suos sermones audiendos adhortatur, populumque his principibus subditum, et propter improbam doctrinam appellatum Gomorrhæ populum, ad præbendam legi attentionem inducit : dum solertioribus præcipit, ut audiant ; insipientibus, ut attendant ; vel, ut auribus percipiant, sicut cæteri interpretati sunt. Porro quanta est sermonem inter et legem differentia, tanto discrimine audire et auribus percipere inter se dissident. Est enim lex justorum et injustorum regula ; quæ quidem agenda sunt, imperans, ea vero quæ minime sunt facienda prohibens : quam servat vulgus, tametsi ejus ignorat utilitatem. Sermo autem reddit etiam rationem, cur quædam sint constituta : et maxime sermo noster sublimi spiritalique sensu legem explicans, nuda et legali observatione nobilior est ac præstantior. Audire autem et auribus percipere, quid inter se differunt? quod audire mentis est, uti Dominus indicat, dum nos ad dictorum sententiam probe intelligendam extimulat : « Qui habet aures audiendi audiat[1] : » at vero auribus percipere, est auribus nudum ingerere sonum. Quapropter populus in Exodo ait : omnia quæcumque dixerit Deus, « faciemus, et audiemus : » tametsi consentaneum magis fuerat, ut dicerent : « Audiamus et faciamus[2]. » Profecto facere ejus est, qui vel crassissima sit mente præditus, puta sabbatum observare juxta corporalem sensum, ab escis abstinere, die octavo circumcidi, atque ter in anno in templo interesse : sed horum rationes assequi, id sane fuerit viri perfecti jam, ac multum scientia provecti. Ferunt autem hanc unam fuisse causam, quæ

[1] Matth. XI, 3. — [2] Exod. XXIV, 5.

hujus temporis populum ad insidias prophetæ struendas impulerit. Jam vero numquid ideo vocati sunt Sodomorum principes, quod improbis imperarent, an quia ipsi essent improbi? Potest enim quis improbis imperans, ipse a subditorum nequitia esse immunis. Quod si de populo quidem obticuisset, fortassis locum aliquem posset habere ambiguitas. Nunc autem quia populus vocatus est Gomorrhæ populus, populus minus quam ipsius principes culpandus est : nimirum Sodoma pentapoli præfuisse ostendit Scriptura, eamque in iniquitate obtinuisse primatum, et de omnibus malis longe cæteros superasse. Historia autem de principibus Sodomorum non facit mentionem, nisi quod regum devictorum commeminit. Atqui propter libertatem illam qua redarguuntur isti iniqui, de Esaïa ait Apostolus : « Audet et dicit[1]. » Cæterum is cujus sana est doctrina et vita inculpata, poterit nonnunquam hac coarguendi licentia uti adversus ecclesiarum principes vitam flagitiosam ducentes, necnon adversus populum aberrantem ac inutiliter conversantem.

XVII. « Quid mihi multitudo sacrificiorum vestro-» rum? dicit Dominus[2] » Ex his quæ a principibus debuerant audiri, et a populo observari, hoc unum est. « Quid mihi multitudo sacrificiorum vestrorum? Sacri-» ficia impiorum abominatio sunt Domino[3]. » Quomodo autem per victimas affatim oblatas sine condigna pœnitentia speratis vos aliquam animarum vestrarum redemptionem esse assecuturos? Non enim animalium sanguine, neque impositis aræ sacrificiis, sed contrito corde Deus placatur : siquidem « Sacrificium Deo spiritus contribu-» latus[4]. » Porro id ipsum non inepte dicetur ad eos quoque qui ingentes impensas faciunt, nec tamen per

[1] Rom. x, 20. — [2] Esaï. I, 11. — [3] Prov. xv, 8. — [4] Psal. L, 19.

opera agunt pœnitentiam. Quamobrem non omnino scriptura rejicit sacrificia, sed tantum judaïca. « Quid » *enim, inquit,* mihi multitudo sacrificiorum vestro» rum? » Et quidem reprobatur multitudo : unam vero requirit hostiam. Unusquisque Deo offerat se ipse, exhibens sese hostiam viventem, acceptam Deo[1], per rationalem cultum Deo laudis sacrificium immolans. Cum autem legalium victimarum multitudo tanquam vana rejecta sit, approbata est et oblata ultimis temporibus ad delendum peccatum hostia una. Etenim Dei Agnus abstulit mundi peccatum, se ipsum offerens oblationem[2] et hostiam in odorem suavitatis.

XVIII. « Plenus sum. » Hic abs re non fuerit lectioni finem imponere, exque alio principio quæ sunt deinceps dicenda inchoare. Deum enim decet vel maxime, sua plenum esse beatitudine, nec ullius præter se egere : asserere autem ipsum holocaustorum nidore et occisarum victimarum sanguine plenum esse, Deo indignum est. Est igitur plenus, « de cujus plenitudine nos omnes acce» pimus[3], » et in quo « inhabitat omnis plenitudo divi» nitatis corporaliter[4]. » Porro dæmones, utpote voluptatibus affectibusque indulgentes, ex victimis non nihil capiunt voluptatis ac emolumenti. Quippe dum incenduntur, sanguis per adustionem convertitur in vaporem, sicque in ejusmodi minutas partes resolutus, in eorum substantiam subit. Omnino enim toti vaporibus aluntur, non quod eos mandant, aut injiciant in ventrem : sed perinde ut animalium pili, ungues et quæcumque sunt ejus generis, ad suam totam constituendam substantiam alimentum excipiunt. Quapropter avide gaudent nidoribus, ac fumum ex thure prodeuntem tanquam sibi ad alimoniam accommodatum exsorbent. Et fortasse in ani-

[1] Rom. XII, 1. — [2] Ephes. V, 2. — [3] Joan. I, 16. — [4] Colos. II, 9.

malibus inest aliqua cum dæmonicorum corporum proprietatibus necessitudo. Porro qui votis dæmonum explendis student, alii aliud offerunt, tanquam eis ad alimoniam accommodatius. Atqui vox isthæc Deo convenit : « Plenus sum. » Nihil ergo desidero, sed omnia penes me sunt. Bonum siquidem est, quod omnia appetunt. Deus autem vere bonus est. Sum fons et origo plenitudinis. « Nonne *enim* cœlum et terram ego impleo, » dicit Dominus? *Et*, Domini est terra, et plenitudo » ejus[1]. » Quocirca et ipse indigus sum nullius, et ad quos accedo, iis confero plenitudinem. Implentur a me sancti : « Stephanus plenus gratia et fortitudine faciebat » prodigia, et signa magna in populo[2]. » Quin et Paulus post acceptam fidei cognitionem plenus Spiritu sancto reversus est in Jerusalem[3]. Per hanc plenitudinem Abraham quoque erat senior et dierum plenus[4]. Et in populo qui revertitur, dies pleni invenientur[5].

XIX. « Holocausta arietum, et adipem agnorum, et » sanguinem taurorum, et hircorum nolo[6]. » Et hæc pertinent ad sermonem qui auditur, et ad legem quæ auribus percipienda est. Considera autem num pugnent isthæc cum Moysis lege, eique non adversentur : siquidem illic requiruntur holocausta, hic vero rejiciuntur. Sed qui fieri potest ut non prætereat a lege iota unum, aut unus apex, donec omnia fiant[7]? Num forte indicat scriptura corpus quidem legis interseri, sed illud spiritali ac sublimi intelligentia esse exponendum. Non enim, inquit, animal ipsum arietem ullo modo expetivi : sed mentem animæ moderatricem, sollicitudinibus terrenis haud distractam, quasi per ignem purgatam, et quæ se probam ostenderit, offerri mihi totam cupio. Neque agnorum

[1] Psal. xxiii, 1. — [2] Act. vi, 8. — [3] Id. ix, 26. — [4] Gen. xxv, 8. — [5] Psal. lxxii, 10. — [6] Esaï. i, 11. — [7] Matth. v, 18.

adipem exopto in tenuissimos nidores fumosque igni resolvi, sed morum simplicitatem candoremque mihi ab anima innocente consecrari. Neque expostulo, ut ad altaris crepidinem affundatur taurorum aut hircorum sanguis; sed ut ea animæ pars in qua iræ cupiditatesque existunt, per strenuam precationem, ac per perseverantem in locis sanctis commorationem, absumatur. Cæterum observa, eum non dixisse, sese nolle sanguinem quemlibet, sed certum quorumdam animalium sanguinem. Nam qui sanguis in his ultimis temporibus in remissionem peccatorum effusus est, qui et melius loquitur quam sanguis Abelis, hunc se nolle non dixit [1] : sed hostias cum spiritali cultu commutat; quandoquidem futura erat sacerdotii translatio [2]. Etenim si corporeas repudiat hostias, rejicit profecto legalem pontificem. Quomodo enim pontifices isti legales consecrarent manus suas, cum aries cui manus imponebant, non amplius in holocaustum offeratur? Quomodo vero aspergerentur ii qui per sanguinem non amplius purgantur? Hac itaque ratione stat utrumque, tum lex Mosaïca, tum melioris introductio. Excluduntur igitur qui sunt ex Aaronis semine oriundi, ut istis succedat sacerdos secundum ordinem Melchisedech [3]. Non jam amplius juge illud sacrificium, non jam hostiæ illæ quæ offerebantur in die propitiationis, non amplius cinis juvencæ mundat inquinatos [4]. Una enim hostia, Christus; atque ea quæ secundum ipsum est, sanctorum mortificatio. Una aspersio lavacrum regenerationis : una peccati expiatio sanguis pro mundi salute effusus. Ob id abrogat ac rejicit prima, ut secunda statuat. « Neque veniatis, ut appareatis mihi. » Ex communi subaudiendum est illud : Nolo. Non legem solum abrogat sacrificiorum, sed eam rescindit, qua oportebat

[1] Hebr. XII, 24. — [2] Id. VII, 12. — [3] Dan. XI, 31. — [4] Hebr. IX, 13.

masculinum omne ter in anno apparere in conspectu Domini. Quia ergo iniqui esse non desierant, neque obliquis destiterant consiliis, ejecit eos ab oculis suis. « Oculi » enim « Domini super justos [1]. » Et, « Æquita» tes vidit vultus ejus [2]. » Domini autem in famulos ira indicatur, cum ab ipsis aufertur interpellandi fiducia : cum vero Dei conspectui masculus ter sistitur, id agnitionem divinæ doctrinæ ad Trinitatem pertinentis demonstrat. Ob hoc autem mares prætulit tanquam divinis conspectibus dignos, ut ostenderet quod Scriptura animas constanter viriliterque dogmata explentes requirat, non autem molles, inconstantes, aut effeminatas. Quapropter « Ter in anno, » inquit, « apparebit omne » masculinum coram me [3], » quod ipsum quoque corporali modo a carneo Israële oblatum repudiat.

XX. « Quis enim requisivit hæc de manibus ves» tris [4]? » Quæ sint hæc corporalia legis sacrificia, expressit. Indicatur videlicet aries qui totus comburebatur, adeps agnorum, taurorum hircorumque sanguis, et corporalis in templum occursus, tanquam si oculis divinis ad videndum accessu eorum opus esset, nec aliter ad longe dissitos pervenirent. Hæc, inquit, abjecta adeo et terrena quis exquisivit de manibus vestris? Vides quanta vi et necessitate mentem legis spiritali quodam sensu compellamur interpretari. Si quis enim verba legis confiteatur a Deo quidem esse data, sed hæc nunc fiunt, a Deo non requiri dicat; clare et sine ulla controversia mentem nostram ad spiritualem legis contemplationem attollere nos cogit; cum tantum non clamet et obtestetur : « Misericordiam volo, et non sacrificium : et scientiam » Dei magis quam holocaustum [5]. » Et, « Si annuntia-

[1] Psal. XXXIII, 16. — [2] Id. X, 8. — [3] Exod. XXIII, 17. — [4] Esa. I, 12. — [5] Osee. VI, 6.

» tum est tibi homo, quid bonum, et quid Dominus quæ» rat a te? nisi ut facias judicium, et diligas misericor» diam, et paratus sis ambulare cum Domino Deo tuo[1]? » Et, « Immola Deo sacrificium laudis[2]. » Atque omnis de sacrificiis et holocaustis doctrina in his verbis quæ ad misericordiam et dilectionem attinent, contineri videtur; cum lex tota in his dictis summatim comprehendatur : « Diliges proximum tuum sicut te ipsum[3]. » Quin et ea loca quæ ad dies festos spectant, eidem expositionis generi subjicientur : ita ut et pascha nequaquam nos celebremus « in fermento malitiæ, et nequitiæ, sed in » azymis sinceritatis et veritatis[4]. » Si quidem ad vesperum, hoc est, in consummatione sæculi vera illa ovis Christus immolatur, cujus caro vere est cibus[5] : ita ut non habitemus solum in tabernaculis stato dierum numero, sed omni tempore incolatus nostri, veram præstolantes patriam, cujus artifex et conditor est Deus, atque adeo pentecostem agamus expletis septem hebdomadibus; hoc est, de vita desperemus tanquam in die extrema constituti.

XXI. « Calcare atrium meum non adjicietis.[6] » Terribilis est intelligentibus isthæc comminatio, sed quidam Ecclesiæ alumni nullo hujus damni sensu tanguntur, et quibus licet occurrere, ii segnes sunt : quibus autem ob peccata indicta mulcta est, ii id nihil curant. Cæterum hic sermo ob oculos ponit eorum qui coarguuntur, aditum contumeliosum, tanquam conculcarent sancta. Qui igitur perfectus est ad ipsa usque sancta sanctorum penetrat intra velamen, hoc est, ubi corporalia transcenderit, nudæ et apertæ divinarum sententiarum contemplationi vacabit : qui vero inferior est, is in domo

[1] Mich. vi, 8. — [2] Psal. xlix, 14. — [3] Matth. xix, 19. — [4] Cor. v, 8. — [5] Joan. vi, 56. — [6] Esaï, i, 12.

Dei sacrarium ob corporale obsequium attinget. Qui autem recens ad excolendam pietatem introducitur, solum adire atrium permittitur : contra, qui ab eo exclusus est, is extra pietatis loca manet. Quantum igitur impendet periculum, ne id etiam quod quis habere videtur, ab ipso auferatur. Sane qui sanctus est, quique summe Deum diligit, omnia Dei signa ac symbola amat et amplexatur, dicens : « Concupiscit et deficit anima » mea in atria Domini [1]. » Novit enim ille aliter fieri non posse, ut flores producat, fructusque afferre incipiat, nisi versetur in atriis Domini. Porro Deus in hos beneficus, ex Judaïco atrio ipsos expellit, ut ad ovile ovium Christi confugiant, et fiat unum ovile, unus pastor [2].

XXII. « Si tuleritis mihi similam, vanum : thymia» ma abominatio mihi est. Neomenias vestras et sabbata » vestra, et diem magnam non fero : jejunium et otium » et neomenias vestras odit anima mea [3]. » Corporalem interpretationem perspicue rejicit, Dei legem professus; atque ad attentionem post acres objurgationes principes populumque excitat. Nihil quidem a se ipso annuntiat; sed antiquat proscribitque vetera, dicens hanc legem Dei esse, hanc esse Dei ordinationem, ut nihil eorum quæ hactenus peragebantur, fiat. « Si tuleritis mihi simi» lam, vanum. » In sacrificiis sæpenumero adhibetur similago. Aliquando quidem incondite citraque ullum apparatum cum sola olei infusione, aliquando vero absque oleo, ut in Zelotypia [4] : nonnunquam lagana : nonnunquam azymi panes : interdum sola erat massa, subacta oleo similagine. Nunc vero similaginis illius usum abrogans, plurimam sacrificiorum partem abolevit. Quid igitur hæc ejus dicta sibi volunt? quod licet alia sub sermonis involucro significentur, vos mente legislatoris

[1] Psal. LXXXIII, 3. — [2] Joan. X, 16. — [3] Esaï. I, 13. — [4] Num. V, 15.

posthabita studium omne operamque in rerum corporalium vanitate ponitis. Oportebat enim ut frumentum pro eo sermone, qui in seminis modum animabus vestris inseritur, acciperetis, utque ex eo mundana omni cogitatione nudato secundum se, in incorporeo ac puro Dei cultu uteremini. Atque hæc est spiritualis simila, videlicet is qui de Deo habetur sermo a corporali intelligentia discretus. Itaque hæc similago corporali sensu intellecta, atque judaïco more oblata, est vanum quiddam : thymiama vero jam quoque abominatio est Domino. Nam revera est quidpiam execrabile, si a Deo permixtionem quamdam thymiamatis quo per olfactum voluptatem aucupetur, existimemus præcipi, nec intelligamus corporis sanctimoniam quæ animi temperantia et castitate comparatur, Domino esse thymiama, pari inter se temperatione ac sedate compositis animæ partibus. « Sume » enim, inquit, « tibi suavitates, onycha, galbanum boni » odoris, et thus pellucidum [1]. » Hæc quatuor cum quatuor elementis ex quibus corpora constant, habent cognationem. Stacte quidem ad aquam refertur : onyx ad terram propter ariditatem : galbanum ad ignem propter calorem : thus tandem ad aërem propter purluciditatem. « Æquale æquali erit [2] : » hoc est, impetus ex intemperie coortos et in absurdas cupiditates erumpentes refrenans ad æquabilem temperaturam revocabis. « Et » contundes ex his minutim [3], » hoc est, quod in anima carneum est, crassumque, et materiæ immersum, destruens, id ipsum spirituale efficere studebis : « Et » ita « pones contra testimonium in tabernaculo, unde inno» tescam tibi inde [4]. » Cum enim quis ad perfectam permixtionem pervenerit, et contusus fuerit; tunc dignus erit qui in sancta introducatur, atque ad Dei

[1] Exod. xxx, 34. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Exod. xxx, 36.

cognitionem accedat. Pones enim ea, inquit, contra testimonium, unde innotescam tibi inde. Hoc autem prohibitum fuit, ut ne quis sibi quidpiam ejusmodi ad suum usum conficeret : hoc est, ne sibi ipsi præclara facinora ascribat : sed ea ad Deum bonorum causam referat. Tale erat thymiama Paulus, qui dicebat : « Christi bonus odor sumus [1]. » Et rursus : « Gratia autem » Deo qui semper triumphat nos, et odorem notitiæ suæ » manifestat in nobis [2]. »

XXIII. At vero thymiama corporale, quodque narium meatibus illabitur, et sensum commovet, optimo jure ei qui incorporalis est, habitum est pro abominatione. Quin et neomenias quæ annis æternis dignæ sint, vult Scriptura a prudentibus intelligi, non autem lunæ circuitum triginta diebus peractum, cum assequitur solem, et rursus se ab eo submovet. Quia vero « Stultus ut luna » mutatur [3]; » significat Scriptura hunc ad lucem ab insipiente desertam reditum, hancque per pœnitentiam ad pristinum statum redintegrationem, ei qui fratrum sit amator eorumque dolorem doleat, ceu festum diem esse, perinde ac si neomeniam celebret, nimirum vitæ in luce agendæ principium. At postquam stultus lucem per suam ad pejus mutationem dereliquit : rursus per conversionem ad ipsam recurrit. Deinde illud de sabbatis odio habitis licet dicere : ne quis portet sarcinam, et, ne exeat a loco suo [4] : et, ne ulli accendant ignem in omni habitatione sua [5] : hæc cum non possint observari, et tamen secundum ipsam litteram palam sit ea esse accurate observanda, eum utique qui ea corporali sensu intelligit, maledictione obnoxium reddunt. Etenim fieri nequit, ut quis e loco suo non

[1] 2 Cor. II, 15. — [2] Ibid. 14. — [3] Eccl. XXVII, 12. — [4] Exod. XXXV, 3. — [5] Hier. XVII, 27.

moveatur : item omne id quod portatur, tametsi est levissimum, sarcina dicitur, exempli causa, vestis, vel panis, vel quælibet res necessaria. Quin etiam jubet, ut ne ignem accenderent : hoc est, ne quis sinat se a carnis cupiditatibus exuri : rursus, ne quis tollat sarcinam, id est, ut ne pondere peccati degravetur, nec in Deo permanere supersedeat, sed firmus immotusque in fide perseveret. Sabbata autem qui sic perficiunt, non ut ab improbis operibus desistant, sed ut abstineant discedantque a suo officio, hos merito aversatur Deus, nec ipsa sabbata tolerat tanquam mendacia et falsa. Enim vero deflentur a propheta ejusmodi sabbata. « Væ qui appro- » pinquant et attingunt sabbata mendacia [1]. » Seposita autem Dei populo requies sabbata vera sunt, quæ quod vera sint, grata habet Deus. Et certe cui mundus crucifixus est, is ad illa spiritualis requietis sabbata pervenit, cum a rebus mundanis recesserit, atque ad proprium quietis locum accesserit : quibus in sabbatis qui versatus fuerit, non amplius movebitur a suo loco. Quandoquidem quies tranquillitasque in illo statu consistit. Neque ignem accendet in æterna habitatione, propterea quod materiam quæ ignem accendit, non afferat, ligna, fœnum, stipulam. Nec tollet sarcinam is, qui nullo peccati pondere sibi impendente prægravatur, imo vero in sabbatis deliciarum acturus otium est.

XXIV. Porro pro magna die interpretes reliqui reddiderunt « vocatam. » Theodotio quidem, « vocatam » convocatam non fero : » Symmachus vero, « vocatam » convocationem non feram. » Unde existimamus non unam diem peculiarem dictam fuisse magnam, sed omnem quæ « vocata » appellatur. Ait enim de azymis : « Prima celebris, quia sancta erit vobis [2]. » Et, « Dies

[1] Amos. VI, 3. — [2] Levit. XXIII.

» septima vocata sancta erit vobis[1]. » Et, « Die septima » novorum, quando offeretis hostiam hebdomadum, » celebris sancta erit vobis[2]. » Et rursus, « Decima » septimi mensis hujus, celebris sancta erit vobis[3]. » Itaque plurimos dies eodem nomine nuncupatos, imo omnes fere celebres legis solemnitates per unam et eamdem vocem aversari videtur. His igitur rejectis, qualem recipit et probat? illam de qua dictum est, « Diem Do» mini magnam[4], » quam non producet hic sol sensibilis, sed quam exoriens justitiæ sol illustrabit : quæ una erit et continua, cui non succedit nox, sed ad omne ævum sese extendit. Vere igitur et proprie magna est dies illa. Attamen Judæus carnalis in his magnam quærit, quas beatus Jacob parvas esse et malas affirmavit[5]. Cæterum quatuor sunt eorum quæ commemorata sunt differentiæ : alia vana, quæ scilicet ritu judaïco observantur : abominanda alia : alia intoleranda : quarto alia sunt odiosa, quibus et ipsum Judæorum jejunium adjungitur. Quemadmodum igitur et in cæteris declaratum est aliquid esse rejectaneum, aliquid vero Deo acceptum : ita accidit et in jejunio. Hanc quidem escarum abstinentiam quæ fit ad ostentationem, Domini anima odio prosequitur, propterea quod hæc præcepta, « Ne tetigeris, » neque gustaveris, neque contrectaveris[6], » finem habent : quæ vero ad carnis petulantiam servituti addicendam adhibetur, hanc diligit Deus, quandoquidem sanctimoniam per carnis afflictationem perficit. Nec tamen per se satis est alimentorum abstinentia ad commendandum jejunium : sed etiam conjungenda est reliqua vitæ ratio in sermonibus, in colloquiis, et in eo congressu, qui cum his qui prodesse possunt habetur : ita ut

[1] Num. XXVIII, 18 et 25. — [2] Id. 26. — [3] Id. XXIX, 7. — [4] Joel. II, 31.
[5] Gen. XLVII, 9. — [6] Colos. II, 21.

hæc ciborum abstinentia pium vitæ genus comitetur. Itaque viri probi est multa in mente versare, atque veritati indagandæ operam dare, et raro ad carnis curam descendere : deinde postquam corpori subministravit necessaria vilibus alimentis nullo negotio parandis vescens; repentino a rerum inutilium occupatione sese subtrahit, et ad pristinum vitæ genus recurrit. Etenim hoc vitæ genus occasionem omnem e medio tollit, qua carnis nutriatur petulantia : adeo ut non amplius in spiritum exerceat tyrannidem, neque caro opera sibi propria perficiat, « fornicationem, immunditiam, libi» dinem, concupiscentiam malam[1]. » Nostra igitur ipsorum membra quæ sunt super terram, mortificantes, perque sermones objurgatorios qui cupiditates coërceant, ac per ciborum abstinentiam, jejunemus jejunium Domino acceptum gratumque. Enimvero ventris et rerum venerearum appetentiam refrenat ciborum abstinentia. Porro qui in tolerandis laboribus strenuus est, in his se utiliter exercebit, exemplum habens vitam Eliæ, Moysis, Danielis, Joannis, et reliquorum sanctorum, « quibus » non dignus erat mundus, qui circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti[2]. » Sed strenua alimentorum abstinentia haud satis est acquirendæ perfectioni, nisi anima ab his quæ malitiam nutriunt, prorsus abstineat. Quemadmodum enim duplex est homo, constans anima et corpore : ita et duplices sunt cibi, qui cum sint utriusque substantiæ alendæ accommodi, id quos his enutritur ad propria sua opera exerenda validius fortiusque efficiunt. Quemadmodum enim in exercitationibus gymnasticis athleticus victus inter idonea exercitia corporibus subministratus, quanto magis subigitur, tanto corpus ad præstantiorem ac vegetiorem evehit habitudi-

[1] Coloss. III, 5. — [2] Hebr. II, 37.

nem, eique fit accessio, propterea quod in corporis substantiam transeat : ita et in pietatis exercitatione fidei dogmata, nec non sermones ad mores emendandos idonei, continuo animæ exhibiti, atque paulatim quibusdam incrementis ipsam augentes, robustiorem eam et in subeundis laboribus magis alacrem reddunt; ut majorem perfectioremque dogmatum doctrinam comparet.

XXV. Itaque a jejunio quod in occulto est, cavendum nobis est, quod justo judicio dicitur a Domino odio haberi, quod et propheta deprecatur, dicens : « Non » interficiet fame Dominus animas justorum[1]. » Siquidem non de corporali fame loquitur (alioqui dixisset corpora justorum) sed de animarum inedia. Non enim « interficiet fame animas justorum : » alioquin hoc pacto in beatorum vita futura esset contrarietas, quandoquidem Paulus in his de quibus gloriatur id enumerat : « In » jejuniis sæpe, » item illud : « In fame et siti[2]. » Famem autem a justis deprecatur. Verum singula hæc præstat juxta sublimiorem inediæ intelligentiam interpretari. Ejusmodi est et illud : « Non vidi justum derelictum, » nec semen ejus quærens panem[3]. » Meminimus enim Heliæ, qui a Sidonide petivit panem[4] : quin et semen Jacobi in Ægypto panes quærebat. Quod si vitaverimus abjectam et humilem intelligentiam, jam evanescet ea quæ in verborum repugnantia sita est ineptia. Ejusmodi igitur jejunia jejunabant Judæi, fame enecantes interiorem suum hominem, quod ad ipsos pervenisset comminatio illa, quæ dicit : « Ecce dies veniunt, dicit Domi- » nus, et inducam super terram hanc famem : non » famem panis, neque sitim aquæ; sed famem audiendi » verbum Domini[5]. » Itaque jejunia odisse se dicit

[1] Prov. x, 3. — [2] 2 Cor. xi, 27. — [3] Ps. xxxvi, 25. — [4] 3 Reg. xvii, 11. — [5] Amos. viii, 11.

Dominus, eorum, qui animum suum conficiunt quidem tabe præ salutarium ac vivificantium documentorum inedia : sed pinguefaciunt præter modum saginantque exteriorem hominem. Quemadmodum enim in libræ momento, quando lanx altera deorsum vergit, ea quæ huic obversa est, attollitur : pari ratione in homine id ipsum fieri quivis advertere potest. Cum enim pinguescit caro, contingit mentem fieri quodam modo infirmiorem : extenuari vero sæpenumero carnem, dum mens iterum bona habitudine gaudet. Et id ipsum est quod ait Apostolus; quod quantum corrumpitur exterior homo tantum renovatur interior[1] : item illud, « Quando infir- » mor, tunc potens sum [2]. » Nam fuliginosæ quædam exhalationes ex copioso et pingui alimento emissæ densæ nubis instar infusam animæ a Spiritu sancto illustrationem intercipiunt. Quocirca et Moyses ad Dei contemplationem mente ascendens, quadraginta dies a cibo potuque perseveranter abstinuit; quippe qui statuisset ut princeps animæ suæ facultas perturbationis omnis expers persisteret. Similiter Elias Deum quæsiturus, æquali temporis intervallo escas fastidivit, ne qua menti a cibis offunderetur caligo. At e contrario Dominus ex mortuis resurgens, et ad cœlos rediens, cibos degustavit, suscitati corporis naturam astruens : cum autem ex indulgentia sese accommodaret hominibus, jejunabat, ut hanc exercitationem ei necessariam esse ostenderet, qui ad agones tentationum sustinendos esset sese exuturus. Enim vero ad victoriam nos veluti erudit corporis afflictatio. Attamen non ita utendum est carne, ut propter inediam naturalis ejus vigor frangatur; neque per nimiam debilitatem eo adigenda, ut prorsus iners evadat, aut mentem assectari non possit.

[1] 2 Cor. IV, 16. — [2] 2 Id. XII, 10.

XXVI. Sed quia jussi sumus, præsente sponso, sermonis jejunium non jejunare[1], cum tunc non nutriremur pane qui de cœlo descendit, ac cibum carnis Domini aversaremur, quæ est causa vitæ, odisse se ejusmodi jejunium ait Dominus. Unum ex iis quæ odio prosequitur Dominus, etiam est inertia, quæ eorum quæ ad nostrum officium pertinent intermissio quædam est. Et quidem otium omnem diem festum sequi videtur, ideo quod celebritatibus adjunctum sit illud, « Omne opus » servile non facietis[2] : » item quoniam qui in festis a rebus ad vitam pertinentibus otium agebant, dum nihil non absurdum perficerent, merito odiosum otium agere dicebantur. Quomodo autem non odio habendum esset otium, quod hominem efficit formica et ape pejorem, qui tamen statim atque ab initio fuerat conditus, positus est in paradiso, « ut operaretur et custodiret illum[3]? » Quare studium in labores et opera, primum et maxime proprie homini convenit : atque inertia quam Dominus odisse se asserit, est veluti naturæ ipsius contraria. Cæterum quomodo nos vult otiari? ita ut non operemur cibum qui perit, nec attollamus oculos ad vana, neque inanes fabulas excipiamus auribus : ita ut manus a muneribus amoveamus : ita ut non veloces habeamus pedes ad effundendum sanguinem : et uno verbo, sic ut non omne nostrum studium corpori impendamus.

XXVII « Non ultra dimittam peccata vestra. » Hæc vox est spem abjicientis ob assiduum ad malitiam reditum populi beneficiis cumulati. « Non ultra dimittam. » Invitavi vos crebro ad pœnitentiam. Visi estis obtemperare, subinde iter vestrum relegistis. Postquam cor vestrum impœnitens me ex spe deturbavit, non amplius remittam vobis debitam mulctam. Enim vero qui dicit :

[1] Matth. IX, 15. — [2] Levit. XXIII, 7. — [3] Gen. II, 15. — [4] Esaï. I, 14.

« peccavi, » et postea in peccato perseverat, hic nequaquam confitetur : sed potius is est, qui ubi juxta psalmum peccatum suum deprehendit, illud odit[1]. Quid enim emolumenti affert ægroto medici cura, quando is qui adversa valetudine conflictatur, suæ vitæ exitialia conquirit? Sic qui adhuc peccat, nihil ei utilitatis accedit ex peccatis condonatis : neque qui impurus est, quidquam percipit lucri ex remissis impudicitiæ vitiis. Quomodo autem animæ peccata remittuntur? Cum videlicet virtus animæ dominata, atque illam totam suis sermonibus imbuens, ei in habitum contrarium invidiam et odium concitat : adeo ut oblata ei occasione aliena rapiendi, ultro ad honorandam amplectendamque juris æquitatem animum appellat, etiamsi facile ei esset hanc injuriam facere, eamque, utpote sine testibus commissam, tanquam maximum malum a se depellere. Qui sic in se affectus est, a prioribus delictis potest absolvi. Porro ad hunc modum temperantia in anima habitum firmitatemque adepta, intemperantiam libidinemque profligat. Verum temperantem continentemque non eum dicimus, in quo præ senio vel morbo, aut alio quopiam casu extincti sint libidinis appetitus. Huic enim insidet quidem vitium ipsum : actio vero præpeditur per organorum infirmitatem. Sed continentia vera, est facultas cognitionis conciliatrix, quæ in intimo animæ recessu impressa, intestina turpium motuum vestigia delet. Qui sibi sic medetur, eo quod habitum affectui ad peccandum propendenti contrarium recuperat, ei utile est veniæ donum ac conducibile. Hæc vero sententia interminatur fore, ut prorsus repudiet eos, qui postquam a multis casibus sese erexerunt, utpote a Deo ob suum in homines amorem velut manu educti, tum demum infir-

[1] Psal. xxxi, 5.

mitati succumbunt. Hæc vox, « non amplius, » nobis indicat jam sæpenumero similia flagitia prius fuisse condonata : siquidem fieri nequit, ut quis sine venia quæ a Deo concedatur, vitæ secundum virtutem instituendæ sese dedat. Idcirco ejus qui sapienter vitam nostram dispensat, mens est voluntasque, ut is qui in peccatis quibusdam versatus est, et deinde ad saniorem vitæ rationem pollicetur sese recepturum, finem imponat præteritis, factoque post peccata initio quodam, quasi per pœnitentiam reviviscat. Contra, qui isthæc promittit sine ulla intermissione, et jugiter ab his excidit, illum velut penitus desperatum a sua clementia excludit.

XXVIII. « Cum extenderitis manus, avertam oculos » meos a vobis[1]. » Qui specie tenus et simulate orant, manus quidem expandunt, non tamen Dei oculos habent ad eorum precationem intentos. Cæterum hic orandi modus sanctis fuit familiaris, ut didicimus ex Davide dicente : « Expandi ad te manus meas[2]. » Et, « Elevatio » manuum mearum sacrificium vespertinum[3]. » Quinetiam Moses Israële ad usque solis occasum pugnante manus extendebat. Accedit et illud Apostoli, qui vult viros in omni loco orare, sustollentes puras manus[4]. Forte autem sententia isthæc abstrusius quiddam indicat : nimirum cum quispiam magna cœlestiaque et sublimia operatur, et quasi vim agendi habet in sublime erectam, is attollere manus dicitur. Qui autem abjecta ac terrestria aut corruptioni obnoxia efficit, hic manus humi reptantes habet ac dejectas. Hoc etiam nobis innuit Moysis historia; quippe quæ tunc fiebant, conditionis humanæ erant symbola, quod ii qui proficiunt, non pari ratione ac tenore operantur : sed modo melius vivunt, modo vero ob imbecillitatem franguntur, suasque lan-

[1] Esa. I, 15. — [2] Psal. LXXXVII, 10. — [3] Id. CXL, 2. — [4] I Timot. II, 8.

guidius exerunt actiones. Etenim si Moyses attolleret manus, vincebat Israël : quando vero eas demittebat, prævalebat Amalec. Hoc est, nostra facultas actuosa si quando faticescit ac prosternitur, in nos prævalent adversariæ potestates : e contrario, si ea sublata in altum sit et erecta ; vis nostra videndi quæ Israël dicitur, vires majores resumit. Observa autem hîc non esse dictum, « cum sustuleritis manus : *sed* cum extenderitis. » Siquidem qui quærit sublimia, sustollit : extendit vero, qui ad comparandas res corporales auxilium rogat. Quia vero infantes sepenumero ad nutrices et matres præ suo erga ipsas affectu manus extendunt, rogantium stuporem ostendens, non dixit : « Cum extenderitis » ad me, sed ait simpliciter, « Cum extenderitis manus, avertam » oculos meos; » et rationem subjungit, « Quia manus » vestræ sanguine plenæ sunt. »

XXIX. « Et si multiplicaveritis supplicationem, non » exaudiam[1]. » Qui nulla virtute vitam suam ornarunt, nihilominus tamen sese existimant in precum suarum longitudine justificari, verba hæc audiant. Non enim precum verba simpliciter prolata juvant, sed si cum vehementi affectu depromantur. Nam et Pharisæus multiplicare videbatur deprecationem. Sed quid ait Scriptura? « Stans autem Pharisæus, hæc apud se orabat, » non apud Deum : respiciebat namque ad se ipsum; siquidem in superbiæ peccato versabatur. Quapropter et Salvator ait : « Orantes autem nolite multum loqui sicut Ethnici : » putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur[2]. » Nolite ergo assimilari eis[3]. » Et illud : « Ex multilo» quio non effugies peccatum[4]. » Oportet igitur quærere regnum Dei, et justitiam, non autem corporalia et terrena. Eam ob causam psalmus : « Unam petii a Domino,

[1] Esaï. I, 15.— [2] Luc. XVIII, 11.— [3] Matth. VI, 7. — [4] Prov. X, 19.

» hanc requiram : ut inhabitem in domo Domini [1]. «

XXX. « Nam manus vestræ sanguine plenæ[2]. » Hoc est causæ, quod Deus oculos avertat, cum extenderint manus, quod ipsa supplicationis symbola ad irritandum illum sint occasiones. Quemadmodum si quis dilectum alterius filium occiderit, ac manus suas adhuc ex cæde cruentatas ad infensum sibi patrem exporrigat, dexteramque efflagitet amicitiæ, exposcatque veniam; nonne sanguis filii in ipsius interfectoris manu apparens patrem injuria affectum acrius exasperat? Nunc ejusmodi sunt Judæorum preces; siquidem cum extendunt manus, admissum in Unigenitum filium scelus Deo et Patri revocant in memoriam, atque per singulas extensiones suas ipsorum manus sanguine Christi plenas ostendunt. Enimvero qui in sua cæcitate perseverant, cædis paternæ sunt hæredes. « Sanguis enim ejus, *inquiunt*, super nos, » et super filios nostros [3]. »

XXXI. « Lavamini, mundi estote[4]. » Videtur quodammodo Scriptura, quod ad verba attinet, continere contrarietatem ac veluti mendacii cujuspiam Deum accusare. Ait enim : « Non amplius dimittam peccata vestra. » Item illud : « Si multiplicaveritis deprecationem, non » exaudiam vos [5]. » Nunc quasi illi essent sanabiles, « lavamini, *ait*, mundi estote. » Nimirum in superioribus quidem demonstratur legem iis qui secundum ipsam vivere volunt, salutem præstare non posse : in iis vero verbis altera ad salutem via ostenditur. Atque illud quidem sensibile legis Mosaicæ institutum abrogat : hoc vero vitæ evangelicæ præmonstrat exordia. « Si tuleritis simi» lam, vanum : thymiama, abominatio : adipem agno» rum et sanguinem taurorum nolo [6]. » Quid ergo feceri-

[1] Psal. XXVI, 4. — [2] Esaï. I, 15. — [3] Matth. XXVII, 25. — [4] Esaï. I, 16. — [5] Ibid. 15. — [6] Ibid. II.

mus? quid sumus oblaturi? Num forte eo quod corporalia rejiciuntur obsequia, ad festos dies sumus transituri, ac per eos cultum exhibebimus? « Neomenias vestras, et » sabbata et diem magnam non fero[1]. » An non jejunabimus? sed jejunia vestra odit anima mea. Reliquum est igitur, ut more judaïco supplicemus, ac secundum legem preces effundamus? « Sed si multiplicaveritis supplica» tionem, non exaudiam vos. Et si extenderitis manus[2]. » non moveor supplicatione; sed ob effusum sanguinem ad iram provocor. Quid igitur nobis faciendum est? quomodo te propitium sumus reddituri? Quonam pacto sanguinem abstergemus? « Lavamini, mundi estote. » Ita est, inquiunt; meminimus enim, quid de lavacro dixerit Moyses. Qui enim, inquit, tetigerit quidpiam eorum quæ immunda sunt, et pollutus fuerit, lavabit vestimenta, et avabitur corpus aqua, et mundus erit. Atqui non dixit : « Lavamini ob unamquamque immunditiam, » sed tantum « lavamini. » Baptisma unum, una purgatio. Illic lavabit vestimenta, et lavabitur corpus aqua : hîc auferte nequitias, non sordes, ab animabus, non a vestimentis. Non amplius thuris, galbani, onychis, et stactes satagas, non jam juvencam inquiras prorsus rufam[3], adeo ut nullum alium habeat colorem, quales tres totum cultus legalis tempus vix tulit. Ne jejunes judaïco ritu. Ne te implices in otio. Re una simplici compendiaria opus tibi est, quæ penes vos est. Quid tandem est hoc? « Discite » bonum facere[4]. » Cui præcepto prorsus nunc rebelles estis, ipsiusque estis rudes. Quia igitur bonum doctrina potest comparari, nec tamen lex vos docuit, (nam documenta ejus tanquam non bona repudiata sunt) tum demum ad scholam evangelicam confugere necesse est omnino. Rationem qua verbum dispensatur, ex claro

[1] Esaï. I, 13. — [2] Ibid. 15. — [3] Num XIX, 2. — [4] Esaï. I, 17.

exemplo velim advertas. Sit quispiam eorum qui ingentes impensas faciunt, affluuntque divitiis, cui multa ac varia ad victum apponantur : hic autem, quantum ad cætera attinet, fastidioso sit animo, et esca unica duntaxat commode vescatur : deinde singulis quæ ei non sapiunt, rejectis, famulos eo necessitatis adigat, ut ad illud quod naturaliter et occulte expetebat, deveniant : eumdem ad modum etiam nunc omnibus legalibus ex ordine rejectis, necessarie evangelii aditur susceptio. « Lavamini. » Ecquid lucri? ut mundi evadatis. Quid autem munditia opus est? ut Deum videatis. Satis ne igitur fuerit ablutum me esse, et accepta priorum delictorum venia in otio degere? an aliud quidquam requiritur?

XXXII. « Auferte malitias ex animabus vestris ab » oculis meis[1]. » Expurgatio quidem quæ per lavacrum fit, a Domini erga nos benignitate dependet : sed cum nequitia deponitur, id nostræ ipsorum diligentiæ ac curæ effectus est. Cæterum ne in sola lavacri gratia spem ponentes, mandata non perficiamus, idcirco omnem vitæ rationem simul jungit : « Auferte malitias ex cordi- » bus vestris. » Tollite velut radicitus a mente malas cogitationes, ut neque sermonem, neque pravum ullum opus ingeneret. « Ab oculis meis. » Quoniam multa quæ a vita probe instituta proficiscuntur, fiunt ab iis qui a fide alieni sunt, qualis est concubitus et voluptatum epularium abstinentia, morumque constantia et tranquillitas : haud contentus est his verbis, « Auferte malitias, » sed attexuit illud : « Ab oculis meis; » tanquam actio nulla convenienter queat perfici, nisi cum pietate quæ erga Christum est, fiat. Aut quoniam Pater videt in abscondito[2], dicit : « ab oculis meis, » nimirum a locis quæ Deus intuetur; ut non modo ab actionibus nequi-

[1] Esaï, I, 16. — [2] Matth. VI, 6.

itam auferamus, sed etiam a cogitationibus. Hoc autem fit per perfectam caritatem, eo quod caritas, juxta Paulum non cogitat malum[1].

XXXIII. « Discite bonum facere[2]. » Enim vero moralis scientia haud perspicua est, neque ex se cunctis exposita et aperta : siquidem bona facere per doctrinam discimus. « Juste enim, » inquit, » quod justum est, » persequeris[3]. » Hoc est, cum justitiæ sermonibus justam perficies actionem. Quemadmodum enim aliquid confici potest, quod ad artem medicam pertineat, quanquam id non ex medicinæ regulis conficitur : ratione consimili potest quis quidpiam justum efficere, licet non juste. Exempli causa, ipse herbarum usus est quidpiam quod ad artem medicam pertinet : sed dum aliquid ex medicinæ præcepto agitur, ratio et herbarum vim, et morbi qualitatem, tempus, mensuram et utendi modum considerat. Scientiam autem inter et casum intercedit discrimen. Nam qui secundum artem operatur, eadem semper efficiet, quamdiu rationi adhæserit : qui autem temere et casu agit, ei non semper conducibilia se offerent : sed si hodie dedit salutem, aliquando per eadem remedia etiam necem attulit. Hunc ad modum et rei laudabilis ac bonæ tractatio ex scientiæ præceptis effecta, æquabiliter exeritur, quoad ratio hæc intus manens singulis quæ fiunt præsens erit. Declarat autem in aliis locis Scriptura necessariam esse rerum agendarum scientiam, dum dicit : « Omnis qui non didi» cerit justitiam super terram, veritatem non faciet[4]. » Quin et David timorem divinum inter ea quæ disci possunt, collocat dicens : « Venite filii, audite me, timorem » Domini docebo vos[5]. »

[1] 1 Cor. XIII, 5. — [2] Esaï. I, 17. — [3] Deut. XVI, 20. — [4] Esaï. XXVI, 10. — [5] Ps. XXXIII, 12.

XXXIV. « Exquirite judicium[1], » Christi videlicet; secundum quod judicat nos, atque pro meritis nobis mercedem rependit : quod nisi exquiramus, nisi præ oculis habeamus, in bonorum operum exercitatione perseverare non possumus. Etenim si quæ in judicio sunt tremenda, nobis prædicantur; eorum cogitatio pietatem docet. Aut quia nihil expendetur, nihil non judicabitur, cum nihil maneat injudicatum, nihilque temere et fortuito accidat. Cum consilio enim, inquit, omnia fac. Et, cogitationes justorum judicia[2]. Oportet itaque rationem quæ tanquam judex supremum in nobis locum sortita est, singula dijudicare et expendere[3], quæ dicenda, tum quæ agenda sunt, atque etiam de rebus comprobandis, et de vehementioribus animæ motibus diligenti judicio regendis arbitrium sibi vendicare. Hoc enim est quod ait Paulus : « Si enim nos ipsos judi» caremus, non utique judicaremur[4]. Liberate oppres» sum. » Quia duplex est injuria : aliqui enim vel in rebus corporeis, puta in pecuniis et in reliquis bonis externis, vel in ipsa anima afficiuntur injuria : indistincte sumus jussi liberare oppressum. Sciendum est studium majus nos adhibere debere in liberandis iis, qui letaliter læduntur : debere quoque eos qui tyrannide diaboli opprimuntur, et ab illo captivi detinentur, nostra omni opera vicissim in captivitatem redigere, nec non ipsorum mentem Christi obsequio subjicere. Tentandum autem est, ut ii qui infirmiores sunt, a corporalibus injuriis eximantur, cum nimirum incidunt in rapaces et in violentos, et ab ipsorum violentia tanquam a torrente trahuntur : quos liberare si non possumus, consolatoriis verbis auctores ipsis simus, ut patientiam in adversis servent, nihil non molientes eorum, quæ nostræ sunt

[1] Esaï, I, 17. — [2] Eccli. XXXV, 24. — [3] Prov. XII, 5. — [4] I Cor. XI, 31.

po… quod si nec istuc ex voto nobis successerit, certe ex fraterna caritate commiserantem animum ostendamus.

XXXV. « Judicate pupillo[1] : » nimirum quia hæc ætas haud difficulter contemnatur ; nec orphanis facile sit eos qui in se injurii sunt, in judicium vocare. Judicate ergo orphanis, qui sunt patronis destituti : quod ipsis desit per ætatem, id vos ipsi supplete : adeo ut cum Jobo de hoc gloriari possitis : « Ego eram pater » impotentium[2]. » Nec forte dictionis sensus potest modo magis spiritali explicari, quandoquidem Deus dicitur eorum pater, qui in Christum crediderunt, quique evangelicum amplexati sunt institutum. Si quis se abalienaverit a Deo per legis violationem; tanquam orbatus sit ipsius providentia, judicio justo et scientia prædito nava operam, ut necessitudinem cum Deo instauret; nec citra judicium ipsi indulgeas, neque contra ipsum immisericorditer nimiam adhibeas severitatem : sed talem judicate, utiles pœnitentiæ modos ipsi suggerentes[3]. Et quoniam quisquis facit peccatum, ex diabolo natus est, si quis sese ab illa maligni patris affinitate sponte sua submoverit, atque ad piam doctrinam accedat ita ut in Christo Jesu regeneretur per Evangelium : is velut feliciter orbatus, ab his qui dispensant communia, convenienti cura juvetur. Enimvero orbitatem quamdam utilem esse ostendit psalmus, dum precatur ut Judæ filii maligno orbentur. Hoc enim pacto sensum rationi consentaneum continere comperietur Scriptura, dum dicit : « Fiant filii ejus orphani[4], » ut ne habeant malignum vitæ doctorem, furis proditorisque dedecus ac infamiam excipientes ob avaritiæ morbum. « Et justificate viduam. » Porro sexus ille præ infirmitate in multis vitæ rebus accipit detrimentum.

[1] Esaï, I, 17. — [2] Job. XXIX, 16. — [3] I Joan. III, 8. — [4] Psal. CVIII, 9.

Patet enim et exposita est viduitas cuivis ipsam volenti incessere injuriis : huic omnino opem ferte, jus debitum ipsi rependentes, et maxime si vere vidua sit, humano patrocinio destituta; et si omnem in Deo spem collocet, ac perseveret in deprecationibus, adeo ut per pium vitæ genus ab omni macula pura in corde permaneat. Quoniam autem in plerisque Scripturæ locis de hominis anima tanquam de sua sponsa loquitur Deus; si vidua fuerit, ac propter suam a Christo defectionem per idololatriam spiritalibus stupris fuerit inquinata, eaque affinitate spoliata, quam cum sponso Verbo contraxerat, hanc per pœnitentiæ judicium castigatam oportet justificari. Aut quoniam Israëlis secundum carnem ecclesia, vidua est, servitutis legalis jugo liberata, ita ut non jam vocetur adultera, viro alteri copulata, nempe Christo despondenti eam sibi ad salutem; et hæc ipsa, ubi evangelicam justitiam a Christo allatam didicerit, a nobis justificari debet.

XXXVI. « Et venite, et disceptemus, dicit Dominus: » et si fuerint peccata vestra ut purpura, quasi nivem » dealbabo; et si fuerint ut coccinum, quasi lanam dealbabo [1]. » Ejusmodi sententias plerumque in Scriptura reperimus, quasi Deus pari jure cum hominibus in judicium descendat. Tale namque est et illud : « Ipse Dominus veniet ad judicium cum senioribus populi sui, et » cum principibus ejus [2]. » Item illud, quod sic se habet in Michæa : « Audite nunc verbum Domini : Dominus » dixit : exurge, judicare apud montes : quia judicium » Domino adversus populum suum; et cum populo suo » disceptabit. Popule meus quid feci tibi, aut quid contristavi te, aut in quo molestus fui tibi? responde » mihi [3]. » Et certe divinum judicium decet non esse

[1] Esaï. I, 18. — [2] Id. III, 14. — [3] Mich. VI, 1.

tyrannicum, : sed magis commune et æquabile quam apud judices qui inter homines sunt, purgationis præbens locum judicandis; ut dum videt quis sententiam adversum se clare pronuntiatam, etiam dum punietur, judiciis Dei quibus contradici non potest, assentiat, eisque tanquam secundum omnem justitiam in se prolatis astipuletur, ut etiam contempletur condonatorum delictorum veniam, sibi ratione et ordine concessam. Scriptura autem repræsentat hæc per prosopopœiam, non quod judex unumquemque nostrum sit interrogaturus, aut responsa ei qui judicandus est, daturus sit, sed ut sollicitos nos reddat, ne etiam nostram negligamus purgationem. Verisimile est autem ineffabili quadam virtute in temporis momento quamlibet vitæ nostræ actionem veluti in tabula quadam : nempe in memoria animæ nostræ, esse imprimendam. Atque hoc sic intelligemus etiam nunc : « Circumdederunt eos » cogitationes suæ : contra faciem meam factæ sunt [1]. » Quinetiam qui in Daniele habentur libri [2], quid aliud indicant, quam quod Dominus in hominum memoria speciem imaginemque factorum eorum excitaturus est; ut unusquisque suarum reminiscatur actionum, ut ipsi cernamus cur plectamur.

XXXVII. Quamobrem postquam ablutæ, purgatæque sunt peccatorum sordes, et nequitiæ ex anima coram Dei oculis sunt ablatæ finisque iniquitatibus impositus, et assumpta est bonorum operum scientia, ubi exquisitum fuit judicium, et oppressus liberatus est, ubi judicium orphano prolatum, et justificata est vidua, tunc ad disceptandum vocatur is cui promittitur fore, ut sicut nix, aut sicut lana dealbetur. Neque adeo ipsum per se lavacrum sufficit, ut lotum perducat ad nivis vel lanæ albo-

[1] Osee. VI, 2. — [2] Dan. VII, 10.

rem : sed requiruntur et opera et diligentia non mediocris; lavacrum igitur mundat a sordibus : latum vero de orphano judicium, viduæque justificatio alborem conficiunt nivi aut lanæ nihil disparem. Potest enim et id quod punicei est coloris, purum esse, et tamen hoc idem potest candore non donari. Sed quia purpura diluto rubore imbuta est : coccinum vero altius et ad satietatem usque inficitur rubore, illa quidem cum nive, hoc vero cum lana cognationem habere censetur. Itaque cum rubro colore nostra comparantur peccata, quod animas perimant. Et quemadmodum in tincturis, quod multoties et cum multo labore tinctum est, tincturam firmius inhærescentem, et quæ vix elui queat, excipit : quod autem superficie tenus et perfunctorie coloratum est, tincturam quæ amoveri et abstergi facile possit habet : ita et anima imbuta, et in peccato mali habitudine constituta, quamdam peccati maculam vix delebilem et quasi inustam in se imprimit. Sed dum minus et quasi in tenuiori superficie inhæret malo, colore debiliore infecta est, itemque leviore peccato deformata, quandoquidem pro peccatorum ratione plus aut minus accedit coloris. Cæterum cur ad exprimendam rerum albarum similitudinem nix et lana assumptæ sunt? Quod lana suapte natura alba cum sit, si diligenter præparatur, magis alba quam per se erat, redditur. Jam vero et hominis vita per rerum divinarum meditationem perficiens naturæ subsidia, ad auctiorem, ac multo cumulatiorem virtutem progredi potest. Et certe nix quæ pro subjecto habet aquam aëris accessione inalbescit tum, cum præ ventorum violentia humor in nubibus contusus per vehementem motum in spumam intumescit, et cum per aëris refrigerationem addensatus accepta concretione et gravitate, naturali impetu deorsum fertur. Hunc ad modum et

anima quæ naturales facultates tum sua ipsius opera tum sancti Spiritus ope auxit et provexit, in justo Dei judicio splendore ex Dei gratia sanctis præstito digna efficitur.

XXXVIII. « Et si volueritis, et exaudieritis me, bona » terræ comedetis[1]. Si autem nolueritis, neque exaudieritis » me, gladius vos devorabit[2]. » Hinc maxime ostenditur liberum humanæ naturæ arbitrium. Enim vero hoc ipsum quod hic subditur, cum omnibus sententiis prioribus congruere arbitramur. Etenim si desciveritis, inquit, a cultu qui est secundum litteram occidentem, si loti fueritis, et mundi effecti deinceps vitæ rationem vobis propositam servaveritis, venietis ad judicium, in tanta et tanta bonorum copia constituemini, ac promissis perfruemini deliciis : ejus gladii qui ad puniendum interimendumque destinabatur, pabulum non eritis. Et quidem iis qui indigno et abjecto modo audiunt, dantur terrenæ promissiones in obedientiæ mercedem : contra, iis qui spiritaliter Scripturæ sensum exaudiunt, acervantur terræ spiritalis bona : quam qui prædicantur mites, dicuntur esse hæreditate possessuri[3]. Pari ratione gladius quoque animatus intelligitur, de quo dictum est : Inebriatus est sanguine vulneratorum[4] : Et, in cœlo comedet carnes. « Os enim Domini locutum est hæc[5]. » Fortassis ipse Spiritus sanctus quo auctore isthæc scripta sunt, nunc os dictus est, propterea quod etiam ex Dei ore processisse dicitur. Itaque ne tu illas comminationes contemptim audias, isthæc ab ore veraci prolata fuisse sermo Domini nobis testatus est. Quis autem animo est ita abjecto carneoque, ut bona illa pro obedientiæ præmio hominibus servata, escas esse existimet; nimirum terræ fructus, qui ideo dati sunt, ut usu corrumpantur?

[1] Esaï. I, 19. — [2] Id. 20. — [3] Matth. v, 4. — [4] Hier. XLVI, 10. — [5] Isaï. XXXIV, 5.

Sed profecto secundum parabolam evangelicam satum in bona terra semen[1], cor est probum ac bonum, audiens verbum, illudque retinens, et fructum afferens in patientia. Itaque res Dei promissione digna, fruitio est suavissimorum fructuum cordis. Fructus autem cordis sunt ipsa oblectatio, quæ in contemplatione divinæ pulchritudinis versatur. Porro hi fructus ex satione quæ in Spiritu est, colliguntur, demessi in vitam æternam, quorum manipulos qui congerit in exultatione, se oblectat in Domino, cum petita ab ipso accipiat. Oportet quidem prius velle, et tum exaudire, ut id quod in nostra situm est potestate, nulli sit obnoxium necessitati. Et iterum, « Si » nolueritis, neque exaudieritis me. » Ideo non exaudierunt, quod noluerunt. Sic beatitudo omnis, et quæ in cruciatu et molestiis traducitur vita, a nostra pendet voluntate.

XXXIX. « Quomodo facta est meretrix civitas fidelis » Sion, plena judicii? in qua justitia dormivit, nunc au- » tem homicidæ[2]? » Percontatio admirationis plena, in gentem stuporem ingenerans inauditæ rei causa; quomodo civitas fidelis, et judicii plena, in qua justitia requievit, eadem facta sit meretrix, et homicidarum domicilium. Quo enim pacto tristi non esset admiratione dignum, civitatem totam a fidei puritate in stupri impuritatem incidisse? Quandoquidem cum vel una anima a firmitate fidei, ad infidelitatis stuprum invertitur, id inter res stupendas numerandum est. Quandonam vero hæc illi objiciuntur? nisi tum cum generatio prava et adultera effecta justitiam, prospicientem de cœlo, et in se ipsa conquiescentem, nempe Christum et Dominum nostrum interemit? Hoc et admirationem auget, paradoxumque reddit majus, quod cum adesset justitia, tunc

[1] Luc. VIII, 21. — [2] Esaï. I, 21.

magis abundavit injustitia. Atque hæc faciebat, quanquam sanos de judicio sermones non ignorabat. Hoc enim sonant hæc verba, « Plena judicii. » Observandum autem est stupri matrem esse infidelitatem. Quis enim vel malam admittat cogitationem, vel malum perficiat; si Deum credat ubique esse locorum, adesse his quæ fiunt, unicuique interesse actioni, ac cordium consilia introspicere? Sed rati vel Deum non inspicere, vel non curare ea quæ aguntur; sic homines ad impia patranda facinora animum conferunt. Quinetiam et de ecclesia hoc interdum dicitur (quod absit, ut dicatur de nostra) « Quo» modo facta est meretrix, civitas fidelis Sion, » cum videlicet, repudiato et rejecto fidei sermone, cui ab exordio ceu matrimonio conjuncta fuerat secundum Patrum traditionem, qui eam exhibuerunt uni viro virginem castam, multa, et diversa recipit sermonis semina ab his, qui mysteriorum sanctimoniam velut stupro contaminant, ac impietatis disseminant dogmata ad corrumpendas animas. Jure ac merito de hac ecclesia dicetur illud : « Quomodo facta est meretrix, civitas fidelis » Sion? » Angeli enim sancti, quibus concredita est ecclesiarum præfectura, rerum antiquarum non ignari, ac præsentium inspectores, adversum hos cum admiratione sunt dicturi : « Quomodo facta est meretrix civitas » fidelis? » Quippe quæ per suum stuprum simul homicidas etiam aggregaverit, homicidas non corporum, sed animarum : qui dolo ac fraude vitam adimunt simplicioribus; atque perinde ac quodam gladio, sermone per mundanam sapientiam ad suadendum instructi, letalia animabus vulnera inferunt. Tum causam reddit cur effecta meretrix sit, quæ prius fuerat fidelis.

XL. « Argentum vestrum non probatum [1]. » Hoc

[1] Esaï. 1, 22.

est, sermo fidei adulterinus est et falsa nota signatus : quippe qui integram et accuratam regiæ imaginis figuram non servet. Quod enim hunc sensum præ se ferat ænigma, quodque argentum nuncupet fidei sermonem, cum plurimis ex locis, tum maxime ex hoc ostenditur : « Eloquia Domini, eloquia casta : argentum igne examinatum, probatum terra[1]. » Perscrutemini igitur cordium vestrorum recessus. Omnia, quæso, circumspicite in retrusis et abditis apothecis, necubi sit drachma adulterina, hoc est, necubi sit dogma ementitum, non ex Spiritu notatum propriis caracteribus veritatis, quos per prophetas et apostolos nobis largitus est : sed quod signatum fuerit ab insidiosis viris, qui præ sua astutia latenter et quodam artificio deprehensu difficili nummos adulterinos cudunt : qui aliena numismata inimici formam circumferentia in regales thesauros exportant, ac ingentes corrumpunt divitias, et in causa sunt cur multi quid sit eligendum, dubitent. Pauci enim probi trapezitæ. Pauci sunt qui cuncta possint explorare : retinere bona, et ab omni specie mala sibi temperare.

XLI. « Caupones tui vinum aqua miscent[2]. » Audite nudam ipsam verborum sententiam ac litteram, qui venditis vinum, et ne dolo hanc vitietis creaturam. Res enim illa non ludus est : sed malum reprehensione maxima dignum. Cæterum Scriptura nos promovet ad spiritalem sensum. Est vinum lætificans cor hominis[3], id est, mentem, et principalem animæ partem, cum scilicet per sanctos apostolos et prophetas scripturarum documenta, ceu vinum, ad æternam jucunditatem percipiendam nobis Spiritus infundit. Quæ dum cauponantur multi, scripturam aquosam reddunt ac dilutam, suam ipsorum intelligentiam ad auditorum perniciem immiscentes.

[1] Psal. XI, 7. — [2] Esaï. I, 22. — [3] Psal. CIII, 15.

Etenim dum eorum obsequuntur voluptatibus, ac per blandiloquentiam assentantur, illorum vitia nutriunt ad ipsorum exitium : siquidem severitatem, vigoremque et frenum scripturarum utiliter astringens enervantes, et imperitam quamdam erga homines benignitatem, et veniam peccatorum nullo adhibito judicio concessam, et alia id genus beneficia multis collata ad audientium ruinam exponentes, voluptariorum animum magis ac magis effœminant.

XLII. « Principes tui infideles[1]. » Nos hi caupones; nos et hi principes sumus, qui priores ob infidelitatem incredulitatemque in stuprum civitates infideles impellimus. Enimvero subjecti ad mores eorum qui rerum potiuntur, ut plurimum sese conformare solent : ita ut quales tandem fuerint duces, eum etiam qui ducitur, talem esse necesse sit. Quoniam igitur civitatis fidelis principes erant quandoque infideles, ipsa etiam civitas his assimilata, fidelitatem exuens, in stuprum incidit. Ne efficiamur nos quoque inobsequentes, et in nobis haud dominabitur perfidia. « Principes vestri non obtem» perant : » nimirum non obediunt Deo, deflectentes ab ipso, et in præceptis ejus non permanentes. Porro inter ea præcepta illud erat, ut manus suas excuterent a muneribus; ne una cum furibus accurrerent : hi vero ob avaritiam turpis lucri gratia, facti sunt furum participes.

XLIII. Haud plane fures intelligendi, qui marsupia excindunt, aut qui in balneis vestes furantur; sed potius si qui cum præfecti fuerint exercitibus, vel, cum in civitates ac nationes usurparint principatum, alia quidem clanculum surripiant, alia vero, vi aperta publiceque eripiant, ii fures sunt. Cum autem is qui habetur ecclesiæ

[1] Esaï. I, 23.

Præses, a talibus aliquid accipit, sive ad suos privatos usus per speciem honoris ad se ob præfecturam pertinentis, sive nomine atque simulatione rerum in ecclesia pauperibus distribuendarum, furti efficitur particeps. Nimirum cum fures coarguere, admonere, et ab ea iniquitate avocare debuisset; ipse manum porrigit facile ad munera, et eum ipsum prædicat beatum, quem magis oportuerat eo magis odisse, quo majora furatur. Imo ipse illum laudat, comitatur deducitque, et ad fores versans eas apprehendit manus, quibus similiter clam et publice surrepta sunt omnia. Plane si hæc peragimus, socii furum nominamur. Quanquam necesse est nos totius mundi, ipsiusque fastus inæqualitatem proterere : cum tamen in tribunalibus parvos fures a magnis punitos videmus, famulos quidem odio habemus ob ejusmodi furta, hos vero admiramur : illos quidem quia fures sunt, aversamur : hos vero, quia ex furtis congerunt divitias, attoniti suspicimus. Quanam alia causa coarguuntur principes?

XLIV. « Diligentes munera[1]. » Apposite admodum dictum est : « Diligentes munera : » non autem, « accipientes » munera. » Sic enim quæ ex officii ratione in vitæ societate tribuuntur, fuissent vituperata. Sed, « Dili- » gentes munera : » hoc est, accipiendi cupiditate intabescentes. Coarguuntur autem principes, quod dilectionem sanctam effundunt circa hæc evanida et terrestria. Siquidem Dominum Deum oportet diligere ea tota virtute, quæ nobis inest ad diligendum. Diligendus insuper proximus : sunt quoque et inimici diligendi, ut simus perfecti, imitantes benignitatem Patris nostri, qui in cœlis est[2] : qui solem suum oriri facit super bonos et malos. Porro nefas est in alia perperam consumere vim

[1] Esaï. I, 23. — [2] Matth. v. 45.

diligendi. Quod si malum est præter ea quæ memorata sunt, diligere aliud quidvis : qui argentum eodem modo diligit, quo Dominum Deum diligere debet, nimirum ex toto corde suo, et ex tota anima sua, et ex tota mente sua[1] : ille cum Domino servire deberet, servit mammonæ; cum dilectionis mensuram Deo debitam in argentum transferat. Idcirco avaritia fit idololatria, quod munera quæ Domino Deo offeruntur, ad terrena exportarit. Jussi igitur sumus non diligere munera : ita ut horum causa iis qui nos adeunt, multas res prohibitas permittamus. In summa autem neque ejusmodi diligere dona neque studere nos ipsis sinit Scriptura : sed eorum officium obsequiumque uti necessarium suscipiamus. Etenim illud « ex » toto corde » in aliud dividi nequit. Quemadmodum enim in vase liquoris alicujus pleno, quantum ex eo foras defluxerit, tantum ad complementum desit necesse est : ita et in anima, quantum dilectionis erga ea quæ amata non oportuit, exaustum fuerit; tantum ei ad Deum diligendum deesse necesse est. Qui enim semel in animum induxerit diligere argentum, dilectionem omnem illic absumit. « Qui enim diligit argentum, non implebitur » argento[2]. »

XLV. « Persequentes retributionem[3]. » Maxima in Principem accusatio est, expeditum esse et paratum ad vindictam, atque omnibus modis esse intentum, ut iis qui ipsi molestiam confecere, par pari referat. Quomodo enim alium edocebit ut nemini malum pro malo rependat; dum ipse non nihil molitur, ut vindictam sumat, ac sua vice lædentem afficiat molestia? haud imitans Davidis mansuetudinem, qui ait : « Si reddidi retribu- » entibus mihi mala[4]. » Neque etiam commeminit Hieremiæ : « Bonum viro, cum portaverit jugum a juven-

[1] Matth. XXII, 37. — [2] Eccl. V, 9. — [3] Esaï, I, 23. — [4] Psal. VII, 5.

» tute sua : sedebit singulariter, et silebit, quia tulit » super se. Dabit percutienti se maxillam, saturabitur » opprobriis[1]. » Quid autem de Domini documentis dicendum est, quomodo ea aspernentur qui persequuntur retributionem? Quandoquidem Dominus ait : « Si quis » impegerit alapam in dexteram maxillam, obverte illi » et alteram [2]. » Itaque quisquis persequitur retributionem, arguendus : maxime autem cum quis id ipsum per potestatem sibi ut duci convenientem efficit; quandoquidem operæ pretium fuisset, ut ille re ipsa populum suum patientiæ bona docuisset. Quale enim spectaculum? Quam præclara res est et admiratione digna, quæque propemodum naturam humanam superat, si is qui multis impetitus est convitiis, aut forte etiam in maxilla plagam accepit, et innumera alia perpessus est mala, et dictis et factis ad extremam ignominiam tendentia, minime tamen præter modum ira effervescat, neque excitetur ad vindictam : sed mansuete et absque iracundia erigens se, preces pro suo convitiatore adhibeat : ita ut peccatum etiam ei condonetur ob præterita, atque in posterum convenienti Dei cura dignus habeatur; adeo ut proterve et petulanter agere desinat. Nunc vero nos principes inter cætera peccata, et illud maxime peccamus, persequimur nempe retributionem; neque pari mensura vices rependimus : sed ultra modum nos ipsos ulciscimur, nec indignamur solum si quapiam contumelia fuerimus vexati; sed si honore non afficimur : imo etiam eos ducimus inimicos, qui nobis minus honoris tribuerint, quo nos ipsos dignos esse existimamus.

XLVI. « Orphanis non judicantes, et judicio viduæ non » attendentes[3]. » Reliqua quæ spectant ad orphanum, et viduam, jam in superioribus dicta sunt. Hic autem con-

[1] Thren. III, 27, 28, 30. — [2] Matth. V, 39. — [3] Esaï. I, 23.

sidera hæc verba, « non attendentes, » quantam in principe arguant arrogantiam, quomodo etiam ipsum illo judice iniquitatis agrestiorem esse demonstrent. Siquidem hic post multas preces, tametsi alioqui nulla tangebatur commiseratione, at certe propter vehementem viduæ importunitatem se attentum exhibuit judicio, quippe qui illius molestia ulterius defatigari caveret [1]. Porro de his habitus est sermo, quasi generatim judicio viduæ attendere nollent.

XLVII. « Propterea hæc dicit Dominator Dominus Sa- » baoth. Væ potentes Israël [2]. » Ea est Scripturæ proprietas, ut ad hunc modum figuret dictionem : cum dixisse debuisset, « Potentibus; » dixit, « Væ potentes. » Nimirum eam vocem quæ in durissimis cruciatibus emittitur, ait potentibus Israël congruere, qui paulo post tormentum gravissimum erant passuri. Neque id conjectura a propheta pronuntiatum est : sed secundum sententiam ab ore mendacii experte profectam. Potentes autem iidem intelligendi sunt, qui principes : qui præterquamquod non obediunt Deo, amant et munera, et persequuntur retributionem, ac reliqua de quibus insimulantur. Væ potentibus, et iis qui non obediunt. Enimvero infirmioribus fortassis dabitur venia. « Exiguo enim conceditur » misericordia : potentes autem potenter tormenta pati- » entur [3]. » Et, « cui commendaverunt multum, plus » petent ab eo [4]. » Quapropter væ et divitibus, quia cum potentes sint ad sublevandos pauperes, opum potentia non sunt usi ad quod acceperant eas. Quod si quis ingenii acrimonia alio solertior, ea vi naturali atque facultate non utatur ad res divinas perquirendas : huic quoque væ, quia quæstus ab eo repetetur pro ratione donorum. Quinetiam si qui acceptis ecclesiasticis præfec-

[1] Luc. XVIII, 5. — [2] Esaï. I, 24. — [3] Sap. VI, 7. — [4] Luc. XII, 48.

turis, munus suum non cohonestant eo vitæ instituto, quod sua dignum sit professione, his quoque væ. « Non » cessabit » enim « furor meus in adversariis. » Adversarii Dei ii sunt, qui ejus obluctantur præceptis : qui quamdiu sunt hostes, furor Dei memoratus adversum ipsos non cessabit. Nam dum immoramur nostris nequitiis, adversum nos ipsos Dei incendimus furorem ; quasi igni materiam, nimirum peccata nostra opponentes : juxta illud dictum : « Ignis accensus est ex furore meo [1]. » At vero ut primum peccatis finem imposuerimus, « judi» cium de inimicis meis faciam. Qui » enim, inquit, « credit in me, non judicatur : qui autem non credit, » jam judicatus est [2]. » Itaque judicii auctores inimici sunt secundum illam sententiam : « Propter hæc venit » ira Dei in filios diffidentiæ [3]. » Idcirco autem dixit, « Non cessabit furor meus in adversariis, » ut ne Dei iram adversus eos qui ipsum irritant, temerariam et judicii expertem esse existimemus. Etiamsi ira inciter contra adversarios ; non tamen indicta causa pœnas illis infligam : sed eas cum judicio pro merito et delictorum mensura ipsis irrogabo : hoc est, « judicium de inimicis » meis faciam. » Cæterum Deo sunt inimici, qui perpetrant iniqua. Nequitia bono est inimica : inimica æquitati iniquitas : sanctitati impuritas : veritati mendacium. Ob hæc igitur non conquiescet furor meus, quoad fuerint inimici : atque dixit se non sine judicio de ipsis pœnas exacturum.

XLVIII. « Et inducam manum meam in te, et inflam» mabo te ad purum [4]. » Considera justi judicii et pœnarum cum judicio illatarum bonum finem. Non cessabit furor meus : judicium faciam : extendam manum : inflammabo. Et qua de causa ? ut purum reddam. Ita irascitur

[1] Deut. xxxii, 22. — [2] Joan iii, 18. — [3] Ephes. v, 6. — [4] Esaï. i, 25.

Deus, ut beneficia in peccatores conferat. Non enim ad interitum plectit, sed castigat ad emendationem. Immittit autem ignem hunc ad eum ignem abolendum, qui ignitis diaboli jaculis in animam clipeum fidei haud habentem injectus est : in quam cum cecidit; extinguit nequissimi tela, ignisque divinus alterius ignis fit expurgatio, qui nos ad absurdas noxiasque cupiditates incendebat. Quapropter Dominus ipse ait : « Ingreditur quasi » ignis conflatorii, et quasi herba lavantium : et sedebit » conflans, et emundans sicut argentum, et sicut aurum[1]. » Ecquid hinc emolumenti? « Erunt, » ait, « Domino » offerentes sacrificium in justitia. Et auferam omnes ini- » quos abs te [2]. » Confertur ingens beneficium animæ, quæ perverse præsidentium causa abalienata est a Deo, cum ab ea auferuntur iniqui. Idcirco Ecclesiæ statuta eos qui in prohibitis peccatis sunt deprehensi, a reliquo corpore separant, ne paululum fermenti conspersionem totam corrumpat [3]. Itaque Dei boni est e populo tollere iniquos. Non enim iniqui una cum sanctis sancta ingredientur : siquidem ventilabrum est in manu Domini [4]. Sed qui nunc a populo segregantur ut iniqui, ea quæ fiunt, tranquille ferunt, haud intelligentes isthæc eorum esse figuram, quæ in tremendo Dei judicio eventura sunt. Quam autem exitiosum sit iniquos ab ea quæ eis fuit cum sanctis Christi membris societate non separari, apostolus declaravit, cum Corinthios increpuit quod non luxissent, ut ab ipsis auferretur qui perpetrarat malum.

XLIX. « Et instituam judices tuos sicut prius [5]. » Quare omissis regibus meminit judicum, etiamsi inter reges nonnulli principatum in populum obtinuerint cum laude? An quoniam judicum administratio liberior erat, quæ

[1] Malach. III, 2. — [2] Ibid. — [3] I Cor. v, 6. — [4] Matth. III, 12 — [5] Esaï. I, 26.

ad eos suapte natura pertinebat, quod populus suis regeretur legibus, Deumque solum regem agnosceret : in posterum vero ex propria illorum temeritate atque amentia, instituti sunt reges? Quamobrem tum cum cumularentur beneficiis, operæ pretium erat ipsos ad statum felicem reverti. Ea de causa libertatem ipsis largiens, non reges, sed judices instituturum se esse pollicitus est. « Non *enim* rex erat in Israël : sed unusquisque » quod erat rectum in oculis suis, faciebat[1]. » An quia non amplius erat tempus regum post adventum veri regis, ideo judices prioribus haud impares daturum se promisit : nimirum Domini discipulos, de quibus dictum est : « Sedebitis super duodecim thronos, judicantes duo» decim tribus Israël[2]. »

L. « Et consiliarios tuos sicut ab initio[3]. » Rursus hîc eorum libertate servata, ait præbiturum se non præfectum, sed consiliarium. Proprium namque regis est imperare subjectis : consiliarii vero, utilia et conducibilia persuadere iis, qui consilio utuntur. Nam unusquisque quid opus sit deceatque, per se deprehendere non potest. Quamobrem beneficus Deus dat consiliarios, non autem dominos. Itaque et quilibet nostrum se non ut principem, sed ut consiliarium populo a Domino datum esse existimet. Itaque prophetæ omnes conducibilia suadentes, fuere consiliarii, et ante eos Moyses. Quare Deus in populum beneficus prioribus consiliariis pares alios excitaturum se pollicetur, nempe apostolos et evangelistas; qualis consiliarius erat Paulus, Testamenti novi administer dicens : « Consilium autem do, tanquam miseri» cordiam consecutus a Domino[4]. Ingens autem beneficium præsentia est prudentis ac benevoli consiliarii, cum intelligentiæ prudentiæque inopiam in iis qui consilium

[1] Jud. XVII, 6. — [2] Matth. XIX, 28. — [3] Esaï. I, 26. — [4] 1 Cor. VII, 25.

capiunt suppleat. Quanta autem sit consilii utilitas, ostendit vel maxime Moyses, omni Ægyptiorum sapientia eruditus; qui alloquebatur Deum, perinde ac si quis amicus cum amico loqueretur. Hic a socero suo Jothor accepit consilium : ita ut constituerit tribunos, centuriones et decuriones, qui populum judicarent[1]. Quin et David Chusi usus est consiliario, per quem dissipavit militare consilium Achitophel[2] : et in summa, sacra quædam res est consilium, voluntatum est consensio, fructus dilectionis, humilitatis argumentum. Intoleranda namque arrogantia est, existimare se nullius egere : sed sibi attentum esse quasi solus sibi optima quæque possit suadere. Nos autem veremur iis qui de officio moneant, nos ipsos subjicere : imo pudet nos confiteri illos in vivendi ratione nobis esse prudentiores. Adhæc qui expectat consiliarium, ratiocinationibus suis locum dat, ut tempore diuturniori ea quæ decent, cum examine et attentione investiget.

LI. « Et post hæc vocaberis civitas justitiæ, metropolis » fidelis Sion [3]. » Docuit in quem exitum singula beneficia desinant. Nam ex homicidarum civitate civitas fiet justitiæ, et ex civitate meretrice fiet metropolis : hoc est, viam aliis etiam ad continentiam commonstrabit. Et rursus fidelis evadet : id quod prius erat quam meretricio opere contaminaretur. Itaque ea quæ in Christo est Ecclesia convenienti sibi cultu adornata ; nimirum consiliariis et judicibus, appellari metropolis poterit, ut quæ ex se veluti quasdam viæ secundum Deum instituendæ colonias emittat. « Nam cum judicio salvabitur captivi» tas ipsius, et cum misericordia [4]. » Cum nullam in superioribus de inimicis sensibilibus, aut de captivis mentionem fecerit, et tamen cum ejus restitutionem,

[1] Exod. XVIII, 21. — [2] 2 Reg. XVII, 14. — [3] Esaï. I, 26. — [4] Ibid. 27.

ceu liberationem captivitatis nuntiet, suggerit nobis ut intelligamus nos, unoquoque nostrum in peccatum incidente, cum videlicet dominatur nobis inimicus, peccati esse veluti servos, atque a maligno induci ut præbeamus membra nostra serva iniquitati ad iniquitatem[1]. Quocirca judices salutis auctores fuere, uti Barac, Samson, Gedeon, et Jephte pugnantes pro populo, ipsumque ab hostibus liberantes. Idcirco consiliarii quæ ad salutem pertinerent, suadebant : ut civitatis hujus captivitas efficeretur digna quæ salutem consequeretur : hoc est enim « salvari cum judicio, » id est, judicio et examine adhibito. Deinde quoniam si iniquitates observaverit, sustinebit nemo, connexuit misericordiam judicio, ut misericordiæ temperatura judicii severitatem mitigaret, Itaque per judicium addita civitas est captivitati : sed revocata est per misericordiam.

LII. « Et conterentur iniqui et peccatores simul[2]. » Postquam ii qui sua in pristinum statum redintegratione digni sunt, consecuti fuerint salutem cum judicio et misericordia : qui prorsus sunt iniqui, et in peccato perseverant, « conterentur simul. » Alii quidem, quod « evanuerunt in cogitationibus suis[3] : » alii vero, quod per legis violationem Deo dedecus inferunt. Iniqui autem ii sunt, qui nullo pacto divinis legibus obtemperant, sive ab ipsis defecerint, sive ne initio quidem ad ipsas accesserint. Peccatores vero ii sunt, qui volentes peccant post acceptam veritatis cognitionem[4]. Forte autem et quos suis Deus afficit beneficiis, volens eosdem in novitate vitæ ambulare, conterit ipsorum veterem hominem[5]. Quapropter Deo sacrificium est spiritus contritus[6]. Siquidem mundi spiritus qui peccatum admisit, conte-

[1] Rom. VI, 19. — [2] Esaï. I, 28 — [3] Rom. I, 21. — [4] Rom. II, 23. — [5] Hebr. X, 26. — [6] Psal. L, 19.

ritur : ut postquam rectus factus fuerit, renovetur in visceribus. Et conteritur brachium peccatoris[1], hoc est, peccati vis effectrix : ut quæratur peccatum illius, et non inveniatur[2]. Ejusmodi est et illud : « Ego occidam, et » vivere faciam : percutiam et ego sanabo[3]. » Occidet enim flagitiose viventem, ut mala vita jam expurgata, novam ei tribuat.

LIII. Eam ob rem « conterentur iniqui et peccatores » simul : » ut refractarii et inobsequentes esse desinant. « Et qui dereliquerunt Dominum, consumentur : » nimirum peccatum illud quo derelinquitur Dominus, non amplius perpetrabitur. Tale est et illud psalmi : « Consumetur jam nequitia peccatorum[4]. » Quemadmodum si quis adhortetur medicum, ut finem imponat morbo languentium; aut per artem suam obstet ne serpat putredo. Hæc autem consumptio non omnino integram abolitionem significat : sed vim et impetum eorum qui taliter agunt, impedit. Etenim Paulus vaticinans de filio perditionis Thessalonensibus dicit : « Quem Dominus » Jesus consumet spiritu oris sui, et destruet illustra- » tione adventus sui[5]. » Nam si consumptio, omnimoda extinctio est; quomodo destrueretur qui jam non esset? Sed certe ejus qui iniquus est mendacium spiritu oris veritatis e medio tollitur, sicque claritate adventus Christi destruetur. Cæterum non raro observavimus quod malitiæ delentur : non tamen ipsa earum in qua factæ sunt substantia. Uti in hoc loco : « Et viam peccatorum » disperdet[6] : » Et, « Iter impiorum peribit[7]. »

LIV. Quare confundentur ab idolis suis, quæ ipsi » volebant[8]. » Beneficium ingens, confundi quempiam ob rem de qua gloriabatur antea, si præ sensus inopia,

[1] Psal. xxxvi, 17. — [2] Id. x, 15. — [3] Deut. xxxii, 39. — [4] Psal. vii, 10. — [5] 2 Thess. ii, 8. — [6] Psal. cxlv, 9. — [7] Id. i, 6. — [8] Esaï. i, 29.

quid in eo esset turpitudinis intelligere non poterat : imo in suo dedecore gloriam reponebat. Confundi igitur ab idolis in rem est eorum, qui confunduntur. Quod sane non aliter fit, nisi ii qui hactenus idola coluerant, ad veri Dei pertingant cognitionem. Tunc enim qui rebus inanimatis quasi salutis conferendæ facultatem habentibus preces adhibuit, is postquam stultitiæ hujus factus est conscius, pudore afficitur. Porro voluptarius omnis, cuicumque tandem servierit eorum quæ interdicta sunt; id ipsum tanquam idolum quoddam in deos referens, illud in templo prophano, in suo scilicet corde collocatum retinet : huic namque adest semper cogitatione, atque in se ipso circumfert rei concupitæ imaginem. Pari ratione avarus, ubi thesaurus ipsius est, illic cor habet, et avaritiæ idolum colit. Heluo ciborum appetitionibus serviens, Deum sibi præstituit ventrem. « Maledictus » autem homo quisquis faciet sculptile aut fusile abomi- » nationem Domino[1]. » Beati vero ii sunt, qui juxta consilium Jacob excussis a se diis alienis, et immutatis stolis ascendunt in Bæthel[2], hoc est in domum Dei; ut illic struant aram Deo. Quamobrem a nobis excutiamus inimica Deo idola, et stolas commutemus veterem hominem exuentes, prætereaque prius inaures quæ nostris auribus insunt deponamus, id est, doctrinas priscas in quibus nobis assentabamur. Hæc dicta sunto propter illud : « Confundentur ab idolis suis quæ ipsi volebant. » Nemo enim invitus explicata jam a nobis idola habet : quapropter quibus ducimur cupiditatibus, eas sic Deorum numero ascribimus.

LV. « Et confundentur super hortis suis, quos concu- » pierunt[3]. » Nomen horti deprehendimus in utramque partem usurpatum, sicut in Genesi quidem juxta

[1] Deut. xxvii, 15. — [2] Gen. xxxv, 3. — [3] Esaï. i, 29.

Aquilam : « Et plantavit Dominus Deus hortum in » Edem[1]. » Sed e contrario terra Ægypti cum culparetur, appellata est hortus oleribus consitus. Iterum horti fit mentio cum vituperatione, ubi Achaab ad efficiendum olerum hortum hæreditatem Nabuthæ Israëlitæ concupisceret[2]. Ecclesiastes contra cum laude meminit horti, dicens : « Feci mihi hortos, et pomaria[3]. » Quinetiam benedictus est hortus, in quo fuit monumentum, quod in Domini corpore temporariam mortis dispensationem excepit. Hîc quidem in malam partem acceptus est, ut qui confusionem pudoremque incutiat concupiscentibus. Et sane videtur nunc de lucis loqui, qui ad idolorum ornatum ab his qui decepti sunt, undelibet plantantur : per quos intelligi oportet vitiosa studiosa et externas simulationes, quibus nostra obumbramus vitia. Quemadmodum si quis se in voluptatibus volutans, simularet castitatem; vel si quis pecuniarum servituti mancipatus magnanimus videri studeat : ob quæ confundentur concupiscentes, quando cordium nostrorum consilia revelabuntur.

LVI. « Erunt enim quasi terebinthus quæ abjecit » folia, et velut hortus non habens aquam[4]. » Quod attinet ad nativam verborum significationem, videtur de iis hortis verba facere, quorum desiderio tenebantur isti idolorum cultores : nimirum futuri erant terebintho suis foliis spoliata et horto aquæ penuria exsiccato inamœniores. Quod autem spectat ad sensum moralem, est ejusmodi. Qui per externum fucum gloriam aucupantur ab hominibus, postquam ea quæ abscondita sunt retecta fuerint, cum fuerint omnia nuda et aperta[5], nec jam ulla in obscuro delituerit creatura, tunc evanescente eorum

[1] Gen. II, 8. — [2] 3 Reg. XXI, 2 et in LXX. XX, 2. — [3] Eccl. II, 5 — [4] Esaï. I, 30. — [5] Heb. IV, 13.

errore, deforme admodum spectaculum præbebunt; ita ut ipsi comparentur quercui. Ita enim reddiderunt alii interpretes terebinthum : quippe et in Genesi quercum et terebinthum eamdem esse arborem didicimus[1]. Erunt igitur foliis jam amissis terebintho vel quercui consimiles; quæ id quod antea latebat sub foliis, sit ob oculos positura. Nam adornata est spissiore foliorum coma, atque ramorum ejus asperitas eleganti eorumdem colore contegitur. Et quidem, inquit, quercu ejusmodi erunt inamœniores tum, cum comperta fuerint quæ per vitam gesserunt. « Et sicut hortus aquam non habens. » Talis et utique etiam fuerit Israël, folia quidem habens peræque ac quercus, legis videlicet unbram, quam a se excussit in plenitudine temporum. Et quasi hortus arboribus a Domino consitus per creationem primam : sed arefactus est, quod vitalem dogmatum sensum disperdiderit. Itaque ut in Christum vere credamus, danda opera est : ut spiritualia flumina de ventre nostro fluant[2], neque inamœnos, neque infructuosos nos effici sinamus.

LVII. « Et erit fortitudo illorum ut calamus stuppæ : » et opera eorum, ut scintillæ ignis[3]. » Hinc compertum est futurum esse ut opera in causa sint cur supplicii pœnæ ab unoquoque perferantur. Quandoquidem nos ipsos ustioni reddimus idoneos atque animæ vitia tanquam ignis scintillas ad accendendam gehennæ flammam exsuscitamus. Quemadmodum et dives ille in flamma arefactus, a propriis voluptatibus torrebatur. Etenim pro ratione jaculorum quæ a maligno exceperimus, plus aut minus exuremur. « Et comburentur iniqui et peccatores simul, » et non erit qui extinguat[4]. » Jamjam semel et iterum simul conjuncti sunt iniqui et peccatores a prophetia.

[1] Gen. xxxv, 4 et 9. — [2] Joan. vii, 38. — [3] Esaï. i, 31. — [4] Ibid. 21.

Superius quidem, « et conterentur iniqui et peccato- » res : » hîc vero « et comburentur. » Nemo se ipse seducat insulsis his verbis : tametsi peccator sum, at certe sum christianus : non igitur incidam in gehennam, in quam præcipitantur idololatræ. Ipsum christiani nomen erit mihi adjumento, etiamsi præcepta Christi violaverim. Audi enim : « Comburentur iniqui et peccatores » simul. » Quod ultionis causa est, idipsum utrisque convenit. Reperitur in utrisque stuppæ calamus; hoc est, vita quæ facile exuritur, flammamque suscipit. Jure et hujus et illius animam incendit scintilla, quæ quidem nunc tanquam in cinere obtecta est, dum carnis tegumentis velatur : incendetur vero a divino judicio, cum in die vindictæ criminationibus excitabitur accendeturque.

CAPUT II.

I. « Verbum quod factum est ad Esaïam filium Amos » de Judæa et de Jerusalem[1]. » Postquam descripta est prior visio, factum est hoc verbum ad Esaïam filium Amos. Jam vero quanam ratione illic quidem legitur « visio : » hîc autem « verbum? » Quoniam una quidem est virtus, quæ a Deo per Spiritus gratiam sanctis ipsius tribuitur. Est enim earum rerum quæ ignorabantur cognitio, per revelationem et illustrationem cordibus sanctorum infusa : sed pro diversitate eorum circa quæ versatur cognitio, id quod revelatur, vel « visio, » vel « verbum » dicitur. Illic quidem præsentia declarabantur, malitia populi, abalienatio a Deo, ingratus animus in beneficum : hîc vero prænuntiatur futurum; idcirco

[1] Esaï. II, 1.

apponitur « verbum. Quia erit in novissimis diebus[1]. » Atqui certe neque illic oculis percipitur visio, neque hîc auribus cognitio, sed Spiritus est illustratio in corde; qui aut exhibet præsentia, aut futurum prædicit. Rursus autem et hîc sermo est de Judæa et Jerusalem. Attamen de aliis etiam nationibus non nihil annuntiaturus est : non enim Judæorum duntaxat Deus est, sed et gentium[2]. Nam unus est Deus, qui justificabit circumcisionem ex fide, et præputium per fidem : sed initio et primo ordine commeminit suæ portionis. Quæres autem num ob aliquem sensum qui disquisitionem postulet, nomen « Domini » modo addatur verbo, modo additamentum illud « Domini » desit. Exempli causa « Verbum » Domini, quod factum est ad Osee filium Beeri[3] : » hic vero, « Verbum quod factum est ad Esaïam. » Quin et de visione dicitur apud Ezechielem : « Aperti sunt cœli, » et vidi visionem Dei[4] : » at vero apud Esaïam : Visio quam vidit Esaïas. Et apud Jeremiam : Verbum quod factum est ad Jeremiam[5]. Etenim cum sermonem haberent ad populum inobsequentem et contradicentem, quique prorsus a Deo desciverat, nomen Domini silentio præteribant, cautione hac utentes, ut sermones ipsorum exciperentur. Nam quoniam Deo curæ non esse arbitrantur res humanas; eos irridebant, qui uti ex persona Dei apud ipsos concionabantur, sicut Jeremias indicat, dicens : « Tota die perseveravi subsannatus[6]. »

II. « Quia erit in novissimis diebus manifestus mons » Domini, et domus Dei in summitatibus montium[7]. » Dies novissimi dicuntur ii, qui hujus sæculi propinqui sunt consummationi. Nam et præterfluentis temporis natura æque ac iste mundus qui corruptioni

[1] Esaï. II, 2. — [2] Rom. III, 29. — [3] Osee. I, 1. — [4] Ezech. I, 1. — [5] Hier. I, 2. — [6] Id. XX, 7. — [7] Esaï. II, 2.

obnoxius est durat. Verumenimvero affinitatem cum rebus visibilibus habet atque cognationem. Abit quidem una cum iis quæ intereunt : una cum iis quæ fiunt atque existunt, subsistit : expectatur speraturque una cum iis, quæ adhuc futura sunt. Quoniam igitur dies, noctes, menses, anni et temporaria spatia a sole lunaque et firmamenti motu ortum habent : his corruptis, etiam temporis subsequi finem necesse est. Itaque una cum mundi hujus consummatione futurus est mons Domini manifestus, et domus Dei in cacuminibus montium. Atque dictioni uni qui non servit, nec adhæret nudæ ac simplici litteræ cogetur rebus sensibilibus non immorari. Quomodo enim tunc mons Domini fiet conspicuus? Quo item pacto domus Dei collocabitur in montium cacuminibus? Neque enim carnalis Israël ortum expectat alterius montis : neque secundæ domus fabricam præstolatur aliis cacuminibus superimponendam : mons autem Sion ac templum etiam vaticinantis Esaiæ tempore conspiciebatur. Itaque quid sibi volunt hæc verba? Non quod conspicua futura hæc sint in novissimis diebus : sed quod magna et alta de hominum salute dispensatio ad delendum peccatum in novissimis diebus fiet manifesta. Siquidem mysterium illud a sæculis absconditum [1], consummatione fuit patefactum. Cæterum Domini in terram descensus fuit monti comparatus, quod sit mons terra in altum edita. Quin et Domini caro cum per communem naturam terra sit; sua cum Deo cunjunctione evecta in altum est. Et domus Dei in montium cacuminibus sita, Ecclesia est juxta Apostoli sententiam. Sciendum est enim, inquit, quomodo oporteat versari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei viventis [2], cujus fundamenta sunt in montibus sanctis. Est enim ædificata supra fundamentum

[1] Coloss. I, 26. — [2] I Tim. III, 15.

Apostolorum et Prophetarum[1]. Unus ex his montibus erat et Petrus, supra quam petram pollicitus fuerat Dominus suam se ædificaturum Ecclesiam. Verumenimvero sublimes et elati animi et a terrenis sese sustollentes, jure optimo montes appellantur. Anima autem beati Petri vocata est sublimis petra; propterea quod firmas in fide radices egerit, constanterque et fortiter plagas in tentationibus illatas pertulerit. Quicumque igitur divinitatis cognitionem percepere; ob mentis et earum actionum quæ ex ea proficiscuntur amplitudinem, saniore vita consummati, vertices sunt montium, in quibus Dei domus exædificatur.

III. « Et elevabitur super colles[2]. » Colles autem sunt tumuli quidam qui in aliquantam a terra altitudinem modico ambitu circumscriptum insurgentes, humilibus quidem locis sunt sublimiores, altissimis vero depressiores. Quoniam igitur Domini præstantia juxta humanitatem, comparationem nullam cum ullis qui quibusvis facinoribus præclaris inclaruerint, admittat: ea de causa dictum est fore, ut mons Domini supra colles clarus ac manifestus fiat. « Amplioris *enim* gloriæ præ » Moyse dignus est habitus, quanto ampliorem honorem » habet is qui construxit domum, quam ipsa[3]. » Quanto rursus præstantior est quam Abraham ipse? « Abraham, » *inquit*, exultavit ut videret diem incarnationis : et » vidit, et gavisus est[4]. » Et Abrahamus quidem dedit decimam Melchisedech[5] : Melchisedech autem Domini typus erat. Isthæc protulimus in medium, ut præstantiam Domini corporalem ostenderemus. Absit enim ut nos gloriam divinitati demus; ob eam, qua rebus subjectis præstat, excellentiam. Dispensatio quidem naturæ

[1] Ephes. II, 20. — [2] Esaï. II, 2. [3] — Heb. III, 3. — [4] Joan. VIII, 56. — [5] Gen. XIV, 20.

humanæ iis qui inter homines extitere justi, antecellit. Peccatum enim solus non fecit[1] : majestas autem et magnificentia divinitatis elevata supra cœlos est. « Et venient » ad eum omnes gentes. » Sermonis progressus apertius detegit prophetiam : indicat nempe gentes ad Christi agnitionem concursuras. Venient enim ad fidem gentes omnes per prædicationem vocatæ. « Prædicabitur *enim* » hoc Evangelium in universo orbe[2]. » Et evangelicus Apostolorum sonus in omnem terram exivit[3].

IV. « Et ambulabunt, *inquit*, gentes multæ[4]. » Cave prætereas sine ullo examine accuratam hujus sententiæ intelligentiam. Qua ratione illic quidem dictum est, Venient omnes : hic vero, « ambulabunt *non* omnes, » sed « multæ. » Quia vox illa « venient » refertur ad fidem : hæc vero, « ambulare, » ad vitæ institutum. Quoniam igitur confitemur omnes fidem nec tamen omnes juxta præcepta vivimus : ea de causa « venient *quidem* omnes » *gentes :* ambulabunt *vero* multæ. » Quod autem verbum istud, « ambulare, » pro vita quæ legi consentiat sumatur, liquet. « Beati, *inquit*, immaculati in via qui « ambulant in lege Domini[5]. » Sed cum Dominus dicat : Pauci sunt qui inveniunt viam[6], Quomodo nos gentes multas dicimus esse ambulaturas? Quia gentes omnes secundum proprium quarumlibet gentium numerum facile enumerari possunt : homines vero qui in gentibus sparguntur, multi sunt. Hîc igitur Scriptura ait gentes quidem multas, sed non omnes vitam evangelicam amplecti, etiamsi Christi se nomine insigniant omnes. Neque vero quoniam gentes multæ numerantur, continuo homines singuli qui communi gentis appellatione comprehenduntur, hunc penitus numerum sequuntur.

[1] Petr. II, 22. — [2] Matth. XXIV, 14. — [3] Psal. XVIII, 5. — [4] Esaï. II, 3. — [5] Psal. CXVIII, 3. — [6] Matth. VII, 14.

Possunt enim gentes numerari, Cappadocum, aut Galatarum, Armenorum, Syriorum, aut Ægyptiorum, sic ut tot esse dicantur gentes, quæ in Domini lege ambulent : neque tamen concordi animo ab hominibus quos unaquæque gens complectitur, illam vivendi rationem admitti dixeris. Et vero quod attinet ad septuaginta duas gentes, aut quotquot numerantur per universum orbem, multæ sunt, quæ in hujus vitæ via gradiuntur : quod autem spectat ad integrum hominum in terra viventium numerum, pauci sunt qui salutem consequantur; adeo verum est evangelium, nec pugnat prophetia. « Omnes » gentes servient ei[1] : » adorabunt vero e multis pauci; « Omnes, *inquit,* reges terræ. » Et Sophonias : « Venient » ut serviant ei sub jugo uno[2]. »

V. « Et dicent : venite et ascendamus ad montem » Domini, et ad domum Dei Jacob[3]. » Qui in cognitione progressum faciunt, quasi jam superna occupantes, eos qui adhuc rebus infimis inhærent, atque humilibus vitæ sollicitudinibus immorantur, ad ascensum suo ipsorum ascensui similem invitant. Qui cum Christo resurrexit, et quæ sursum sunt, quærit[4] : provocet eos qui terrena sapiunt, eorumque animos ad superna velut manu ducat. Cum duplex sit ad montem habitudo corporalis : nunc quidem a montis radicibus ad verticem ascenditur, nunc vero ab ejus vertice ad imam partem descenditur, juxta corporis et actionis quam nos varie absolvimus, diversam habitudinem. Fortasse autem duplex isthæc allegoria ac consideratio conveniet etiam humanæ naturæ dispensationi; ita ut humanitatem assumptam montem esse intelligamus, cum caro per suam cum Deo conjunctionem modo ad cœlum usque evehatur : modo vero divi-

[1] Psal. LXXI, 11. — [2] Soph. III, 9. — [3] Esaï. II, 3. — [4] Coloss. III, 1.

nitas utpote ad naturæ humanæ participationem sese demittens, ad nostra descendat.

VI. « Venite et ascendamus.[1]» Accedamus ad theologiæ fastigium, sumpto a passione initio. « Et ad domum » Dei Jacob. » Superius quidem domus simpliciter dicta est « Dei : » hic autem, « domus Dei Jacob. » Quid igitur causæ ? Aut enim illic vox hæc desit : aut hîc redundat. Verum nihil otiosum est in Spiritus sancti verbis. Ostendit enim Scriptura primas ascensiones fieri per communes Dei prænotiones : perfici vero plenam et integram fidem, cum jam in eorum qui cognitione proficiunt cordibus proprietas Dei detegitur. Quapropter iis quidem qui introducuntur ad hanc cognitionem, dictum est simpliciter, « domus Dei : » contra, iis qui jamjam instructi sunt, dictum est cujusnam Dei sit domus, nempe « Dei » Jacob, » cui seipse familiarem præbuit. « Ego *enim*, » *inquit*, sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus » Jacob. Hoc mihi est nomen æternum[2]. » Etenim ut hos sanctos honore nulli unquam oblivioni tradendo afficeret, eorumdem servorum suorum nomina sibi aptavit, adeo ut quoties Dei fieret mentio, toties et illorum mentio conjungeretur. Quamobrem iis qui jam accessere, hoc signum veluti Dei peculiare adjecit, dicens : « Et ad domum Dei Jacob. » Sed quoniam Jacob est insuper supplantatoris et athletæ nomen, Jacob siquidem supplantator appellatur ob suam adversus obnitentia luctam : postea vero obtenta victoria præmii loco nomen Israël accepit; qui adhuc proficit, tunc ediscit domum Dei Jacob, nimirum ea quæ inferiora sunt quæque captum ipsius non superant : sed tandem aliquando Deum etiam Israëlis docebitur, cum via et ordine sint ei dispensandæ traditiones perfectiores.

[1] Esaï. II, 3. — [2] Exod. III, 6, 15.

VII. « Et annuntiabit nobis viam suam, et ambulabi-» mus in ea[1]. » In montem nisi ascendamus, nequaquam annuntiabit nobis viam suam. Quod si non annuntiet nobis, quonam pacto ambulabimus? hoc est, si evangelium non exceperimus, quomodo ex ipsius præscripto vivemus? Qui autem desiderant viam discere, utique nondum ipsam novere. Qua igitur ratione ascenderimus in montem, viæ ignari? Nimirum hæ voces, « Venite et ascendamus, » propositum studiumque indicant festinantium : at ostendunt concupita nondum ab ipsis obtineri. Verumenimvero quosdam eorum qui nunc ad fidem properant, sese invicem alloqui atque adhortari crediderimus. Agedum avocemus animum a rebus humi repentibus. Agite ea quæ cœlestia sunt, sapiamus : ingrediamur in domum Dei. Illic docebimur viam, qua per perfectionem ad finem omnibus generatim propositum simus perventuri.

VIII. « Ex Sion enim exibit lex, et verbum Domini ex » Jerusalem[2]. » Interroga concisum hominem[3], Judæum videlicet secundum carnem, de qua lege loquatur, de quo verbo? Num de ea lege quæ per Moysen data est? Sed quomodo illam ex Sion prodiisse ostendent? Neque enim Moses terram promissæ hæreditatis ingressus est : situs autem est in Judæa Sion. Itaque juxta ipsos errat Scriptura, ut quæ aliud nomen loco alterius referat : etenim pro Sina aut Choreb, protulit Sion. Atqui de sancta lege sermonem habet. De quanam? quando lata? ubi conscripta? « Et verbum ex Jerusalem. » Propheticum verbum dicit. At ubique in Judæa factum est, non autem solum in Jerusalem, et in Israël : sed in captivitate etiam, inque Ninive et in plerisque terræ locis. Strangulentur igitur a veritate sancitamque a Domino

[1] Esaï. II, 3. — [2] Ibid. — [3] Philip. III, 2.

legem recipiant, quæ e specula exorta est, nempe a carne Deum gestante, e qua quasi e specula res humanas observabat. « Et verbum Domini ex Jerusalem. » Prædicatio enim ducto illinc initio in omnem mundum dispersa est.

IX. « Et judicabit inter gentes[1]. » Deus in deorum quidem synagoga stans, deos dijudicabit : sed in gentibus, « Judicabit inter gentes. » Sanctis enim convenit in ipsius dignitatis agnitione discerni : iis vero qui vanam vitam duxerint, judicari. Sed forte hinc patet diversum esse, non unum et idem nationum a pietate alienarum supplicium. Quatenus enim a Dei cognitione exciderunt, tormentis digni sunt ac pœnis omnes : quatenus vero illorum vivendi ratio comperitur diversa, sive in ignominiæ cupiditatibus, sive in admissis adversus proximos flagitiis, opus est contra gentes judicio Dei : in quo delicta contra proximos patrata expendentur. « Et arguet populum multum. » Justi illius judicii æquitatem evidentiamque nobis ut ostendat, subjunxit : « et arguet populum multum. Arguam enim te, *inquit*, et statuam contra faciem tuam[2]. » Hîc igitur testes producit accusator ut reum objectis criminibus convincat, at vero in illo rerum absconditarum judicio, res ipsæ nobis coram sistentur in propria specie : quandoquidem singula peccata iis qui peccaverint, ponenda ob oculos sunt. Illic igitur reprehensio ad comprobandam judicii æquitatem adhibetur : hîc vero ad emendanda ea, quorum quivis arguitur. Quamobrem Timotheum admonet Apostolus, ut hac arguendi ratione utatur[3]. Et quidem reprehensio omnis palam eum qui reprehenditur perstringens, ipsum vehementer torquet, cum peccati detegat turpitudinem : ita ut eum qui nullo delictorum suorum sensu tangebatur,

[1] Esaï. II, 4. — [2] Psal. XLIX, 21. — [3] 2 Timoth. IV, 2 et alibi.

non mediocri afficiat beneficio; quippe ad eorum conscientiam et ad veram pœnitentiam ipsum deducat. Quale enim corporis vulnus; creat acrem dolorem ejusmodi, cujusmodi cruciatum animæ parit sermo objurgatorius, cum eorum qui turpitudine et opprobrio rerum male gestarum premuntur, conscientiam perstringit.

X. « Et confringent gladios suos in aratra, et lan» ceas suas in falces[1]. » Hic est objurgationum finis perutilis, ad pacificum et tranquillum statum belli amatores ac tumultuum auctores transferre. Cuivis autem compertum est ac perspectum Christi legem ac sermonem, cum pacis ac concordiæ causa sit et origo, iis qui longe et prope erant positi, pacem annuntiasse. Itaque et Judæi et gentes belli deposuere instrumenta : tum quæ in congressu et in pugnis cominus commissis ac statariis adhiberi solent, quæ vocavit Propheta gladium : tum quæ ad vindictam eminus sumendam cuduntur; quæ ait esse hastas et lanceas. Imo hæc ferramenta in instrumenta agricolationi accommoda a Verbo quod de Jerusalem egressum est, voluit immutari. Quamobrem exitiosus ille gladius idoneus est, qui vitalia semina animabus ratione præditis per sapientiam insita præparet. Quippe qui sit conversus in aratrum, quod ea quæ obduruerant, emollit, avellit spinas, et ea quibus gratia cœlestis incolumis servetur, præstat. Lancea autem cujus est eminus impetere ac propellere; in id vertenda erat, cui inest facultas cominus colligendi, societatemque conciliandi. Nam ejusmodi falces cogunt in unum dispersa, et in unum eumdemque manipulum spicas astringunt. Est igitur rationalis quædam messis, ad quam colligendam opus sit idoneis instrumentis, de qua dictum est. « Levate » oculos vestros, et videte quia regiones albæ sunt[2]. »

[1] Esaï. II, 4. — [2] Joan, IV, 35.

Nemo igitur bella ciens, ad hanc messem aptus est. Sed suos discipulos ad hanc segetem demetendam emisit, de quibus ait : « Messis quidem multa, operarii autem » pauci [1]. » Itaque hujusmodi messoribus utpote instrumentum belli in cordibus suis non gestantibus, potestatem dedit afferendi pacem domibus, quas essent ingressuri.

XI. « Et non accipiet gens contra gentem gladium [2]. » Quamdiu quidem instar ignis desæviret mundanæ sapientiæ sermo, gentes in se invicem insurgebant, quippe quæ sermonis gladium valde exacutum, eumque meditatione ac rerum probabilium specie fulgentem in se invicem distringerent. Sed ubi primum advenit pax nostra [3], Deoque gloria in altissimis, et in terra pax annuntiari cœpit [4], tum omne simul mendacium veritas ad silentium redegit. Quemadmodum enim aquila alicunde in conspectum desuper veniente avium loquacium garrulitas derepente conticuit : ita non amplius alii aliorum sermones ac sententias convellunt. Alter quidem ullam omnino negabat esse providentiam : alter vero ipsam contendebat ad lunam usque sese extendere. Nec ultra disceptatur de anima. Hic quidem affirmabat eam morti obnoxiam : ille vero immortalem esse statuebat. Hæ de fato movebantur quæstiones : alius quidem id rerum omnium potiri : alius ipsum nullo modo existere asserebat. Sed quia advenit prædicationis stultitia, atque Crucifixo datur gloria, quia resurrectio creditur, speraturque judicium [5], gentes mutuis bellis sedatis, otium agunt Vereor autem ne tandem gentiles ipsi belli nostri fiant spectatores. Jam vero cum omnis eorum vita antea in vanorum et inutilium sermonum disciplina consumpta

[1] Luc. x, 2. — [2] Esaï. ii, 4. — [3] Ephes. ii, 14. — [4] Luc. ii, 14. — [5] 1 Cor. i, 21.

fuerit : (siquidem sermocinatrix dialectica pugnis et rixis gaudet :) « Non ultra, *ait,* discent bellum gerere, » ac si diceret : magistris contentionis verborum non amplius operam dabunt.

XII. « Et nunc domus Jacob venite, et ambulemus in » lumine Domini [1]. » Secunda est vocatio, quæ beneficiis affectos ad perfectiora invitat. Postquam enim ascendit quis in montem Domini, evasitque terrenis superior : huic licet velut jam purioris lucis participi, divinum lumen assequi, quo illustrati animæ oculi beata spiritaliaque spectacula, ac divinas contemplationes percipiunt. Huic sententiæ et apud Psaltem aliquid simile reperias : « Accedite ad eum, et illuminamini : et facies vestræ non » confundentur [2]. » Non confunduntur enim « super quos » signatum fuerit lumen vultus Domini [3]. Qui autem mala » agit, odit lucem [4]. » Quoniam vero domus Jacob doctrinam legis sufficiens sibi lumen esse, seque ducem cæcorum esse falso arbitrata est; lucem videlicet eorum qui in tenebris ambulant : Scriptura eorum ignorantiam corrigens ait : « Venite et ambulemus » non prophetico, non legali lumine, sed lumine Domini. Etenim sunt etiam usui lucernæ, sed ante solem; stellæ jucundæ, sed in nocte. Quod si is ridiculus censetur, qui sole explendescente lucernam sibi prælucentem teneret, multo magis ridiculus est, qui prædicato evangelio in legali umbra commoratur.

XIII. « Dimisit enim populum suum, domum Israël [5]. » Deseri a Deo damnum est gravissimum : perinde ac si manus validæ ac fortes aliquid detinerent, ac digitis quibus quispiam rem hactenus suspensam apprehendebat solutis, ipsam utpote a se non amplius retentam ac conservatam, præcipitem agi sineret : ita non jam po-

[1] Esaï. II, 5. — [2] Psal. XXXIII, 6. — [3] Id. IV, 7. — [4] Joan. III, 20. — [5] Esaï. II, 6.

pulum a Deo retineri sententia isthæc indicat. Ea autem quæ sequuntur, ob quasnam causas Dei manibus quis dimittatur, edocent : « Quia repleta est ut ab initio regio » eorum auguriis, ut ea quæ alienigenarum [1]. » Vides quantum malum auguratio sit. Est in causa cur is qui in ipsa studium ponit, Dei providentia ac cura destituatur. Attamen plerique christianorum huic aures accommodant, id nihili ducentes subauscultant, captantque rumores, et ad symbola ac signa mentem appellunt. Sternutavit quispiam, inquit, loquente me : profecto id aliquid significat. Me aliquis a tergo vocavit, etiam idipsum impedimento mihi est : impingitur pes egredientis alicui offendiculo : vestimentum detentum fuit. Imo vero nonnulli qui valde clari sunt ac celebres, quique judicem e cœlo affuturum præstolantur, tanquam nihil sua interesset, in hæc vitia incidunt. Sed audi populum qui hæc curiosa consectaretur, abjectum esse. Siquidem in lege Mosaïca auguria, divinationes, omina atque auspicia tanquam dæmonum inventa vitio olim vertebantur. « Non » enim, inquit, ariolabimini, neque auspicabimini [2]. Gen» tes enim, *inquit*, quas Dominus Deus disperdet a facie » sua, illæ divinationes et vaticinia audient [3] : tibi autem » non sic dedit Dominus Deus tuus [4]. » Absurdum enim fuerit eum qui ex Dei legibus ac institutis consiliorum suorum rationem inire potest, ad decernendum de rebus agendis sibi in consiliarios quidem, sed potius iis uti magistris atque legislatoribus. Ac quidem avis quæ periculum sibi impendens et ob oculos positum non novit, tibi est futurum prædictura. Et certe illa e nido avolans, escam pullis suis comparatura, plerumque re infecta rediit : tamen inanis ille avis motus tibi est loco vaticinii veracissimi, tibique futurum detegit. Quod si dæmonum opera frau-

[1] Esaï. II, 6. — [2] Deut. XVIII, 10. — [3] Ibid. 12. — [4] Ibid. 14.

dulenter circumvolant; ne tu, quæso, sedeas, hisce dæmonum fallaciis intentus, neque sis diabolicis operibus deditus: qui cum semel arripuerit animam in exitium propendentem; modis omnibus ea abutens, ipsam non dimittit.

XIV. Sed et corvi crocitantes, et aquilæ lugentes ob prædæ inopiam, cor superstitiosum perterrefaciunt. Et tanta est inimici in hominem petulantia, ut si vel felis apparet, vel canis caput exerit, vel mane occurrit homo, quamvis ex amicissimis cujus aut oculus, aut dextrum crus vulneratum sit; resiliat, pedemque referat, et plerumque oculos obtegat. Quid magis miserandum quam hoc vivendi genus, quo nihil non suspectum habetur, suntque omnia impedimento; cum potius animam undelibet ad Deum reducere deberet? Cum videris aves per aërem volantes, ne curiosius volatus modum rationemque explores: num scilicet circulos super caput nostrum describant: an in obversam faciem ferantur: utrum a tergo advolent, an in obliquum deflectant. His omissis, renitentem in ipsis conditoris sapientiam ordinationemque admirare: qui fiat ut moles tanta per aërem feratur: quomodo liquida aëris natura pennis fiat vehiculum: quomodo aërem tranent passis alis; cauda vero quasi gubernaculo volatum suum dirigant: qua ratione quæcumque ad incedendum non sunt idoneæ, vicem pedum alis suis suppleant. Quæcumque aves sunt natatiles, quæcumque sunt rapaces, sortitæ sunt corporis constitutionem vitæ suæ idoneam atque convenientem. Aliis quidem data sunt instrumenta rapinæ accommoda: ungues scilicet, in aliis vero veluti remorum loco reperiuntur pedum membranæ: ut per plantarum latitudinem juxta motum impressum aqua facilius propulsetur. Nihil non est plenum Dei sapientia: siquidem omnia in

sapientia fecit[1]. Qui tamen parvi est animi, quique abjecta et humilia sapit, animantium motus ad suum propositum accommodare molitur, ac Deo derelicto insidiosis dæmonibus mancipatum se præstat et addictum : qui cum in aëre dominentur, volucribus ut huc et illuc se circumagant auctores sunt, faciuntque ut error insipientium sanari non possit. Quamquam plus æquo digressus hæc retuli, ea tamen occasione ex ablatis arrepta, ad medelam insipientibus adhibendam non inutiliter oratione complexi sumus. Advertendum autem est quod Scriptura tradat divinationem Phylistæis, hoc est Palæstinis, peculiare exercitium esse : solet enim hosce solos nominare alienigenas. Quemadmodum enim Chaldæi prædictionem et notationem cujusque vitæ ex natali die, Ægyptii veneficia et incantamenta, Cretes auspicandi artem : ita et Allophyli divinationem sibi peculiariter vendicarunt. Itaque ad mala sibi propria rediit regio illa, ad statum pristinum redacta.

XV. « Et filii multi alienigenæ facti sunt in ea [2]. » Cum sceleratos mores civitas est amplexa, vultque secundum eos vitam instituere : postmodum parentum flagitium tanquam lex ad posteros transit, statimque ab ipso natali filii fiunt alienigenæ, ob improbam vitæ rationem alienati a populo Dei. Cum autem et fructus animæ nuncupentur multis in locis filii ; dicere quis possit eum, qui præter divinæ Scripturæ sensum sermones haud sanos collegerit, exceperitque a quibusvis a pietate alienis, filios alienigenas genuisse.

XVI. « Repleta est enim regio eorum argento et » auro, et non erat numerus thesaurorum illorum [3]. » Divitiarum studium quam grave sit peccatum, ex eo liquet, quod in tantorum scelerum catalogo numeretur.

[1] Psal. CIII, 24. — [2] Esaï. II, 6. — [3] Ibid. 7.

Nam una cum auguriis et filiis alienigenis qui forte in Israël ob multiplicata stupra procreati fuerant, hoc etiam numeratum est, nempe impletam fuisse regionem argento et auro. Verumenimvero pia ac religiosa anima ex divitiis ansam arripit benefaciendi, quatenus eas impertitur ac communicat; animæ vero libidinosæ et corporis amanti, voluptatis impuritatisque occasio sunt. Paupertas namque dux est et magistra ad pietatem : contra, divitiæ fiunt petulantiæ procacitatisque occasio et causa. Quod si gens integra de opum copia accusatur; secum velim reputent divites, quomodo pro suis sint rationem reddituri. Si quis vero existimet ob aliquem prætextum qui videatur rationi esse consentaneus, sese non ideo peccare, quod dives sit; meminerit is evangelici præcepti, quo clare evidenterque prohibemur thesauros in terra nobis congerere[1].

XVII. « Et repleta est terra equis, et non erat numerus » curruum eorum[2]. » Sanctos ubique observavimus cum in bellicis conflictibus, tum in reliquis vitæ necessitatibus equorum usum fuisse aversatos. Quamobrem hîc etiam equorum usus una cum cœteris criminationibus recensitus est. Cum enim velit Deus a suo ipsius præsidio dependere, illosque inter bellum gerendum nequaquam spem reponere in suis ipsorum armis : et ea de causa hoc vetat, dicens : ne unquam tibi multiplices equum[3]. Qui tum accusabantur, tanta equorum cingebantur multitudine, ut numerum etiam superaret. Porro aut id hyperbolice accipiamus, aut existimemus ideo dictum fuisse non esse curruum numerum, quod vilia et præsertim ingloria nullo numero in Scriptura habeantur. Observa enim in Numeris non recenseri mulierem veluti infirmam : non puerum tanquam aspernabilem[4], exceptis

[1] Matt. VI, 19. — [2] Esaï. II, 8. — [3] Deut. XVII, 16. — [4] Num. III, 15, 40.

primogenitis et Levitarum liberis : non servum propter inustam sibi ignominiam : non eum qui commixti est generis, propter diversitatem. Itaque hac ratione currus male comparatos ac possessos non numerari dicimus.


XVIII. « Et repleta est terra abominationibus ope- » rum manuum eorum [1]. » Gentilium mores sumpta a divinationibus origine, per avaritiam et insanum equorum studium in idololatriam impegere. Nam quod a Dei consilio defecerint, ac vaticiniis sese præbuerint attentos : quod non Deo, sed instabilitati divitiarum confiderint : quod in equis ad salutem fallacibus, non in eo qui bella potest conterere, fuerint innixi [2]; inde consequens fuit illos eo devenisse, ut terram suis abominationibus complerent. Omnis igitur actio præter rectam rationem patrata, Deo est abominatio. Quemadmodum enim qui stomacho, ejusque facili dissolutione laborant, sordida spectacula aversantur, exempli causa, excrementorum ejectamenta, ulcera graveolentia, nec non alia id genus : sic impuræ obscœnæque actiones Sancto sunt abominatio. Quandoquidem Scripturæ mos est idola proprie abominationes appellare, vitiosæ omnes imaginationes instar picturæ cujusdam animo impressæ, abominationes sunt regionem implentes; hoc est, omnem amplam capacitatem rationis animæ. « Et adoraverunt quæ fecerunt digiti » eorum. » O quam summa stultitia fuerit, id quod quis fecerit, Deum existimare, nec rei factæ intelligere ineptiam. Etenim si materiam demiraris, cur etiam æs informe aut lapidem, non adoras? Quod si id facis propter artem, tuas ipsius manus quæ æri formam indidere, aut certe instrumenta quibus eam formam absolvisti, adora. Cæterum quanta quoque insipientia est in tanto temporis spatio, quo exculperetur, aut conflaretur statua, ad rei

[1] Esaï. II, 8. — [2] Psal. XXXII, 17.

factæ cognitionem haud pervenisse. Nam indicat sensum hunc illud : « Et adoraverunt quæ fecerunt digiti eorum. » Denique eo necessitatis adigetur, ut alterum e duobus eligat : vel ut Deum ante non habuerit, quam illum ipse formasset : vel ut ideo alterius indiguerit, quod prior consenuerat. « Maledictus autem homo omnis quisquis » faciet sculptile aut futile opus manuum artificis[1]. »

XIX. « Et incurvavit se homo, et humiliatus est » vir[2]. » Hæc per commiserationem a Propheta dicta fuisse puto, quod homines a sua dignitate lapsos esse ferre non posset. Incurvavit se, inquit, homo ad adorandum idolum, quamquam erat animalium in terra præstantissimum, secundum Angelos in rationalibus collocatum : qui Dei imagine cohonestatus, vi rationis artes excogitavit. Qui terrena novit, plantarum scilicet radicumque et fructuum virtutes : qui mare nequaquam extimuit : qui aëris cognovit naturam, ventorum originem, stellarum situm, harum motus, intervalla, concursus, terræ ornatum et ordinem, civitates, leges, exercituum præfecturas, artes, tum quæ ad vitam agendam necessariæ sunt, tum quæ ornamento et ostentationi subserviunt : ille ipse ante idolum procidit, tanquam ab eo salutem rogaturus, adeo ut animatus ab inanimato, et ratione præditus a sensus experti petat. Is a cujus manu subduntur animalia : ad cujus servitutem redacta sunt cuncta animantia per Deum hæc nobis subjicientem, qui in hoc nos ad suam imaginem condidit, quod aquatilibus dominemur simul et terrestribus : ille ipse animantis unius ratione destituti, aut deformis alicujus mulieris, aut viri turpissimi simulacro ne adstare quidem pari jure ac conditione audet, nedum uni brutorum animalium viribus præstantium se sistat : sed cum timore vultuque

[1] Deut. xvii, 15. — [2] Esaï. ii, 9.




in terram demisso coram adest, ut qui ob admissum in cœlum scelus indignus sit qui oculos ad cœlestem attollat.

XX. « Et incurvavit se homo, et humiliatus est vir[1]. » Mali accessio est virum qui ad principatum aptior est, qui perfectior est intelligentia, qui fortius validiusque agit, hunc eumdem dignitatis suæ oblitum, idolo sese submisisse, cum imago sit Dei et gloria, caputque sui ipsius habeat Christum : substravit se infra idolum, quamquam homo est. Hæc est calamitas gravissima. Etenim si puer esset, si mulier esset; huic quidem propter ætatem, mulieri vero ob naturalem infirmitatem venia aliqua concedi posset. Nunc vero humiliatus est vir : quod omnem ignominiæ modum mensuramque superat. « Et non dimittam eos. » O comminationem! Numquid isthæc, « non dimittam eos, » propter æternum supplicium dicta sunt? Nam dum vaticinarentur, dum apud se ipsos filios alienos multiplicarent, dum argenti congerendi amore percellerentur, dum equestrem apparatum instruerent; speranda et expectanda venia erat. Cum autem in idololatriam malorum maximum incidunt; cumque propriæ dignitati non attendentes, honorem honori Dei non imparem simulacro tribuunt; « Non » dimittam eos. » Atque hoc ipsum beneficii loco efficit bonus ille. Cum enim venia petulantiæ occasio sit atque libidinis, « Non dimittam eos : » ut afflictio saltem ipsos Dei meminisse cogat. Comminatio igitur minime est noxia : imo vero non dimitti, documentum est salutare. « Non enim te, inquit, dimittam, neque te derelin» quam[2]. »

XXI. « Et nunc ingredimini in petras, et abscon» dimini in terra a facie timoris Domini, et a gloria

[1] Esaï. II, 9. — [2] Jos. I, 5.



» fortitudinis ejus : cum surrexerit ad conterendam ter- » ram[1]. » Altera hæc est ad domum Jacob adhortatio, quæ ipsam ad id quod conducibile est invitat. Quemadmodum enim dixerat : « Venite et ascendamus in montem » Domini : Venite et ambulemus lumine Domini : » ita etiam nunc, « Ingredimini in petras, et abscondimini in » terra a facie timoris Domini. » Num quis ita Scripturam calumniatur, ut ab ea aliquibus existimet dari consilium de capienda fuga a facie timoris Domini, ut sese in petrarum concavis abscondant? Sed, inquit, « Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam ? Si » ascendero in cœlum, tu illic es[2]. » Et rursus Dominus: « Si absconditi fuerint in Carmelo, illinc assumam illos : » si fugerint in mare, illic mandabo draconi, et morde- » bit eos[3]. » Qua igitur ratione consilium dedit, ut petram ceu tutamen a facie timoris Domini objectarent? Sed fortasse unum hunc esse modum liberationis malorum quæ in superioribus enumerata, ut ingrediantur in integumentum petræ, hoc est, in fidei quæ in Christo est soliditatem[4]. Ubi collocatus est Moyses Deum visurus; illo, inquit, « ingredimini et abscondimini in terra[5]; » hoc est, sepelite vos ipsi. Quid ita? ut per baptisma una cum ipso sepulti, ac commortui, in novitate vitæ ambuletis, mortui peccato[6]. Porro quæ de petra in Scriptura occurrunt; in unum collige, quo tibi locus hic fiat clarior et explanatior. « In petra exaltasti me[7] : » Et, de petra bibebat populus[8] : quinetiam de petra habebat mel[9] : atque Psaltes ait : « Petra refugium leporibus[10] : » pura aqua ad satietatem usque eis data est : sed et petra dura oleum quo inungebantur, juxta Moysis canticum ministrabat[11]. Ita-

[1] Esaï. II, 10. — [2] Psal. CXXXVIII, 7. — [3] Amos. IX, 3. — [4] Coloss. II, 3. — [5] Exod. XXXIII, 22. — [6] Rom. VI, 4. — [7] Psal. LX, 3. — [8] Num. XX, 11. — [9] Psal. LXXX, 17. — [10] Id. CIII, 18. — [11] Deut. XXXII, 13.

que si introieritis in petram, poteritis a timore Domini declinare, cum surget ad conterendam terram : cum terrena est e medio sublaturus; eumque abolituros, qui ex pulvere ac luto est, ut ei qui spiritalis est, vitam expeditam et omni impedimento solutam præstet. Opus est igitur ut ipsius resurrectionem cum gloria et fortitudine conjunctam assequamur, atque hoc modo curam nostri ipsorum suscipiamus.

XXII. « Nam oculi Domini sublimes, homo autem » humilis[1]. » Ne corporeum quemdam a Deo secessum suaderi putares, adjecit illud : « Oculi Domini sublimes, » homo autem humilis. » Nihil eorum quæ infra geruntur, latet eum, qui e sublimi despectat, cum sub ejus aspectum veniant omnia, nihilque illius oculis tenebras offundat. « Humilis autem homo; » qui vel se ipse pro nihilo ducit, cum se divinæ majestati comparat, vel qui arrogantem superbientemque spiritum deposuit per modestiam, vel tandem qui per peccatum a pristina sua celsitudine se ipsum dejecit. « Et humiliabitur altitudo hominum. » In superioribus suam humiliabat celsitudinem homo, ac reprehensione erat dignus : siquidem « incurvavit se » homo, et humiliatus est vir. » Hîc vero humilitas est perutilis. Cum enim vanus deponitur fastus, cumque ab elatione et a superba celsitudine, necnon a vana de se existimatione ad proprium meritum et conditionem redditur, hæc est humilitas laudabilis. Nam si confugerint quipiam ad petram, ac sperantes resurrecturos se cum Christo, in terra corpus suum sibi subdant; altitudines ab insipientia natæ concidunt, præcepsque ruit vana sua de se ipsis opinio : vera autem testificatio celsitudinis Deo soli ab ipsis defertur.

XXXIII. « Et exaltabitur Dominus solus in die illa[2]. »

[1] Esaï. II, 11. — [2] Ibid.

Veluti ad notam diem, et quæ in confesso sit apud omnes, Scriptura nos remittit. « In die illa, » nempe dierum omnium ultima, quam neque nox intercidit, neque tempus circumscribit : cui neque principium, neque finem lux corporea præbet, sed una est sui similis, immobilis, vespere carens, successioni haud obnoxia. Itaque « In die illa » exaltabitur Dominus solus cum omnis superborum elatio ac fastus concidet. Cæterum omnem beatarum virtutum claritatem præstantissimus gloriæ illius splendor vincit, et obscurat. Sive fuerit propheta, sive apostolus, sive fuerint sanctæ et cœlestes potestates ; ubi primum explenduerit vera illa celsitudo, omnia humilia et abjecta censebuntur. Idipsum quod dicitur tibi, quæso, finge ab exemplo quodam ex sæculi usu desumpto. Sit aliqua operariorum hominum civitas, qui ex opere quotidiano vix vitæ necessaria sibi comparent : sint rursus hîc aliqui aliis supramodum pauperibus opulentiores, qui interim ab istis mendicis prædicentur beati, ac suspiciantur. Deinde rex quispiam in hanc adveniat civitatem, regum omnium ditissimus, qui multum habeat auri argentique, et multos lapides pretiosos, alios regali ornamento intextos, alios ad ostentationem expositos. Sit vestium illius immensa quædam pulchritudo ac copia singularis. Superet numerum famulorum satellitumque turma : impensam faciat inenarrabilem. Ea sit camelorum et mulorum divitias sarcinasque exportantium multitudo, quæ numerari non possit. Habeat equos auro stragulisque purpureis exornatos, quorum alii inserviant, alii vero pompæ præeant. Eo rege conspecto, quo affectu tangi putas inopem illum populum, cui hactenus fuerant admirationi ii qui se essent paulo præstantiores? Nonne existimas eum suo ipsius judicio confundendum esse ac pudore suffundendum? Annon ob insti-

tutam cum majoribus divitiis comparationem omnes parvi facturus est? Nonne ei soli qui vere dives est, gloriam et divitias suo testimonio est attributurus? Ad hunc igitur modum quamdiu celsitudo ac magnitudo sapientiæ virtutisque Dei absconditur, multa iis qui in extrema paupertate constituti sunt, videbuntur esse excelsa ac magna : sed simul atque vera sapientia, veraque potentia sese in conspectum dederit, nemo aut sapiens, aut potens reputabitur. Ita et Moyses quondam cum Deum audisset ad se loquentem, hæsitantiam linguæ ac loquendi tarditatem qua laborabat, confitebatur[1]. Quin et Abraham quando Deum vidit[2], se profitebatur terram esse ac cinerem. Nemo igitur eo quod dignus habeatur qui videat Dei bonitatem ac sapientiam; aut sibi aut alteri sapientiam vel potentiam vindicare poterit. Sancti enim omnes, quasi lumen sunt lucernarum in meridie ferventissima et clarissima : quod majori solis luce obtunditur ac superatur. Quamobrem supra modum exaltabitur Dominus solus in die illa.

XXIV. « Dies enim Domini super omnem contu- » meliosum, et superbum[3]. » Fortassis primum peccatum contumelia fuit ac superbia : siquidem diabolus bonorum quibus dotatus fuerat fastidio, contumeliosum se præbens descivit a Deo, secumque adversarias potestates adduxit ad defectionem, dicens : « Super astra » ponam solium meum, et sedebo in monte excelso super » montes excelsos, qui sunt ad aquilonem. Ascendam » super nubes : ero similis Altissimo[4]. » Ea de causa illinc initium ducit vindicta. Enimvero si quis fastu elatus ac tumens, in diaboli judicium inciderit, una cum principe et quasi superbiæ opifice condemnabitur : « Domi- » nus enim superbis resistit[5]. » Videtur quodam modo

[1] Exod. IV, 10. — [2] Gen. XVIII, 27. — [3] Esaï. II, 12. — [4] Id. XIV, 13. — [5] Pet. V, 5.

contumelia origo esse superbiæ atque principium. Nam cæteros qui aspernatur, ac pro nihilo eos ducit: alios quidem egenos, alios vero ignobiles, alios autem inscios esse ratus, per hanc contumeliam eo devenit, ut se solum existimet esse sapientem, intelligentia præditum, nobilem, divitem, potentem: quippe superbiendi initium ex aliorum contemptu sumit. Conniti namque ut aliis plurimis videaris præstantior, hoc ipsum superbia est. Porro dum id efficit, nihili quidem facit proximum, seipsum vero jactat. Est insuper superbiæ origo contumelia, superbia itidem malus fons est, et origo superbiæ; superbia est contumeliæ fœtus. Quapropter vindicta exercebitur in omnem contumeliosum et superbum. Siquidem peccata quæ quamdam inter se cognationem habent, pari ratione puniuntur. Inducet ergo vindictam ille Domini dies celeberrimus in omnem contumeliosum et superbum. Nos autem qui sumus commiseratione digni, tota die in iis malis versantes, ne intelligimus quidem qualia sint mala, quæ sunt a nobis admissa. « Maledici regni Dei hæreditatem non accipient[1]. » Nos tamen maledicimus, atque inter convitiandum non animadvertimus verba isthæc quæ nunc profero, mihi esse in die Domini objicienda, meamque viam interseptura, atque instar muri futura esse, quem nemo transcendere potest. Quis nostrum se ipse supra modum non effert? Quis proximum non aspernatur? Contumelia autem est quid majus quam maledicentia. Hæc enim duntaxat linguæ est dedecus et probrum: contumelia vero aliquid reipsa ad ignominiam eorum qui contumelia lacessuntur, molitur. Qui quidem elatus est, potest hodie, si velit, ad humilium abjectionem descendere: periculum vero fuerit ei qui nunc humilis est, ne ad

[1] 1 Cor. vi, 10.

superborum elationem transferatur. Enimvero cum quis se credit ad humilitatis pertigisse apicem, id ipsum elati animi argumentum est, et præter modum efferri adversus eum qui in peccatis versari videtur, gravis est superbia, quam passus fuit adversus publicanum Pharisæus.

XXV. « Et super omnem excelsum et sublimem[1]. » Vitio eidem excelsus obnoxius est atque sublimis, ut qui affectu tantummodo a contumelioso et superbo differat. Hic namque adversum cæteros contumeliam superbiamque adhibet : ille vero, etiam cum solus est, plus æquo se ipsum effert, animique vanitate se sustolit, ac erigit. Atque ut intelligas quis sit prorsus sublimis, tui ipsius reminiscere, qualis in juventutis tuæ vanitate fueris : si quando usquam dum solus tibi vacares, vitæ rationem ac studia attendisti; quam facile mentis cogitatione a principatu in principatum, a dominatu in dominatum concurreres, comparares divitias, domos extrueres, seponeres aurum et argentum, prædia colligeres, ex quibus singulis annis tot tantaque tibi redirent talenta, haberes famulos innumeros, artes omnis generis, proventus ex his emergentes, armenta equorum, ovillos greges, boumque armenta, opes ex his provenientes, uxorem, liberos, ac eorum sobolem, afficeres amicos beneficiis : te de inimicis vindicares, principatum obtineres civitatum, deinde et gentium; ac tandem regnum occupares. Vides quemadmodum ejusmodi animus præ levitate sua elatus sit et sublimis? Nusquam constitit, sed ultra id quod fieri potest, ultra naturæ conditionem fertur. Itaque quæ sunt in die illa formidanda, sublimibus interminatur. Nam, inquit, elatio, peccatum est. Audi enim Dominum, dicentem : « Et nolite in sublime » tolli[2]. » Et beatus David inter virtutes, et præclara

[1] Esaï. II, 12. — [2] Luc. XII, 29.

facinora enumerat, si quis se in sublime non evehat neque sustollatur : « Domine » enim, inquit, « non est » exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei[1]. » Potes tamen laudabiliter exaltari, cum animum non despondes, neque vilia aut abjecta curas, sed experrecto animo et alacri, atque virtutis sublimitate per animi excelsitatem ac magnitudinem ornatus es. Talis animi elatio commendatur, si animus in afflictionibus non abjicitur, si terrena contemnuntur. Talis est, cujus est conversatio in cœlis, cujus cor thesauris illic reconditis inhiat. Porro idem videtur interesse discrimen inter hanc animi celsitudinem et superbiæ elationem, quod inter corporis habitudinem ac carnis tumorem ex aqua intercute profectum intercedit. Intumescit quidem ac turget corpus, sed subter ægrum est et morbosum.

XXVI. « Et super omnes cedros Libani excelsas et subli» mes[2]. » Dixerit quispiam : Quodnam vitium inest cedro, ob quod et ipsius altitudo sibi a natura indita ad examen adducatur? Cur etiam prorsus diem illam cedris Libani Scriptura comminatur? Nemo it inficias, quin sermo de anima præditis habeatur, qui tument ac turgescunt, ac sensus expertes sese efferunt. Sed ecquid cedri? Et quam ob causam cedri Libani? Cedri arbores sunt, quæ fructus usibus haud idoneos ferunt, crescuntque in amplissimam altitudinem, et pro temporis progressu semper augentur, vix senescunt, vixque putrescunt : Libanus autem olim mons erat idololatriæ. Itaque ut exitiosas potestates illic commorantes nobis indicaret; altitudines nequitiæ adversus Dei scientiam se attollentes[3], cedros Libani nominavit, de quibus ait psalmus : « Confringet Dominus cedros Libani[4]. » Porro superba hominum ingenia citra ullam æquam rationem ad tumo-

[1] Psal. cxxx, 1. — [2] Esaï. ii, 13. — [3] 2 Cor. x, 5. — [4] Psal. xxviii, 5.

rem usque elata per cedros possunt significari. Enimvero etiam in animi tumore aut elatio gignitur ex speciosa aliqua causa, aut ratione nulla nititur. Exempli gratia, quispiam sibi nimium arrogat propter continentiam : seipse ob temperantiam effert, jactat se ob suam in precibus perseverantiam : plane perperam agit, dum præter quam quod decet, gloriatur : verumtamen rationem prætextumque habet elatio. Qui ejusmodi est, arbor quidem est excelsa, sed fructifera : qui vero sine bono ullo opere sese extollit, puta, vel propter divitias, vel generis splendorem, vel ob corporis robur; cedrus est, cum de vita infructuosa et inutili superbiat. Jam vero cur adjunctum est, « Libani? » quia sicut arbores in montibus fixæ alienam accipiunt altitudinem : ita qui obtendunt divitias aut potestatem, aut majorum gloriam; rebus nihil ad se pertinentibus ad præbendam suæ elationi occasionem abutuntur. Quin et laudantur cedri : « Saturabuntur ligna Domini, cedri Libani quas planta- » vit[1] » Imo ad dandam gloriam ligna fructifera cedrique omnes admittuntur[2]; ut ostendat nihil esse suapte natura malum nihilque a Deo alienatum, sed singula ex se in causa esse cur a Deo aut abscedant, aut cum ipso conjungantur. Ideo et adhibitæ ad construendum templum cedri, ex Libano, uti historia docet, fuerant exportatæ : quod possit idololatria in sanctitatem transmutari. Quocirca modo quidem confringitur cedrus, cum a Libano non separatur : modo vero cum relicta vetustate, evadit digna cui sanctitas conferatur. Uno verbo animalium indoles, speciesque arborum ad variam mentis humanæ affectionem designandam assumuntur.

XXVII. « Et super omnem arborem glandis Basan[3]. » Arboris alius fit mentio, ut ostendat humanam vitam

[1] Psal. CIII, 16. — [2] Id. CXLVIII, 9. — [3] Esaï. II, 13.

comminationis judicio fore obnoxiam. Nam indoles inhumana, inflexibilis, omnibus obnitens et adversa, ex communi more quercui comparatur. Arbor autem illa fructum quidem affert, sed porcino esui idoneum. Quapropter nominavit ignominiæ arborem : siquidem Basan ad ignominiam denotandam usurpant. Quorum igitur gloria uberem ignominiæ fructum parit, etiam in illos dies Domini impinget. Quin et idololatriam vocari ignominiam deprehendimus, uti in tertio Regnorum libro Elias ad Achaab loquitur : « Et nunc mitte, et congrega ad me » omnem Israël in montem Carmeli, et prophetas ignominiæ, et prophetas lucorum quadringentos viros manducantes mensam Jezabel[1]. » Quia igitur arbor omnis quæ non facit fructum bonum, exciditur, et in ignem mittitur[2], arboribus etiam ignominiæ, diem Domini tanquam horrendam et formidabilem interminatur Scriptura. Quare et Rex Basan, Og appellatus est. Og autem interpretantur obstructionem, quod turpitudinis opera salutis nobis viam præcludant. Scortatores enim, adulteri, molles, et qui concumbunt cum masculis omnesque ignominiæ operarii : Og ipsi eos a Deo præcidenti ac separanti, ceu regi subjiciuntur[3]; quem conterit Dominus, ut ii quibus dominatur, liberentur. « Confitemini » enim Domino quoniam bonus, qui percussit reges » magnos, et occidit reges fortes Sehon et Og[4]. »

XXVIII. « Et super omnem montem, et super omnem » collem et super omnem turrim excelsam[5]. » Quemadmodum montes a collibus magnitudine discrepant; sed in reliquis omnino inter se conveniunt : ita et contrariæ potestates proposito quidem et consilio sibi invicem sunt consimiles, sed scelerum magnitudine differunt. Merito

[1] 3 Reg. xviii, 19. — [2] Matth. iii, 10. — [3] 1 Cor. vi, 10. — [4] Psal. cxxxv, 1, 17, etc. — [5] Esaï. ii, 14 et 15.

igitur dies Domini Sabaoth illos invadet. Quid autem hoc sibi vult : « Et super omnem turrim? » Turris specula est eminens ad tuendam civitatem, et ad bellicos incursus cognoscendos accommodata. Mens quoque ejusmodi concessa nobis est, bonorum custos et quæ insidiantes prospiciat, ac deprehendat. Hanc neque per se, neque per res terrenas ascensum ad cœlum moliri oportet. Ad ipsam enim ob fastum deorsum prolapsam descendit Dominus; ac beneficii et salutis ergo, hanc ipsius cum malo necessitudinem conspirationemque dissipat[1]. Jubet de hujus ædificii fabrica Dominus, ut sedentes computemus an ea quibus opus est ad perficiendum, habeamus; uti ipsum Evangelii consilium declarat. Vult igitur Scriptura ut hanc Domini diem formidet ac metuat animus ille, qui de se alte sentit ac ultramodum intumescit, quique aspernatur omnes, et se ipse prædicat beatum. « Et » super omnem murum excelsum. » Rursum murus septum est ac munimen ad custodiendas civitates, et ad hostiles impetus propulsandos extructum : ita sunt et sermones quidam, quibus ab ipsa veritate præcingimur et munimur, qui vim salutarium dogmatum inexpugnabilem tuentur : alii vero ab externa astutia ad corroborandum mendacium et ad retinendam vanitatem magna cum diligentia sunt excogitati. Vis namque dialectices, dogmatum est murus, quæ ea a quibuslibet qui vellent, facile interverti, aut facile expugnari non sinit. Quapropter muri quidem Jerusalem manibus Domini descripti sunt[2] : at Jerichontinæ civitatis mœnia solo clamore diruta, a Jesu evertuntur[3]. Superius quidem ea sola quæ excelsa erant reprehensa sunt : hîc vero ea etiam quæ aliquod robur celsitudini conjunctum nacta sunt, coarguuntur. Nimirum propheta vim persuadendi in argu-

[1] Luc. XIV, 28. — [2] Esaï. XLIX, 16. — [3] Jos. VI, 20.

mentis demonstrativis sitam, multum invalescentem et in sublime exurgentem tropice murum excelsum nuncupat, et eum in Domini die asseverat eversum iri.

XXIX. « Et super omnem navem maris[1]. » Ænigmata sunt ad exercendam mentem nostram proposita, ut ne oscitanter audiamus Scripturam, neve animum in terram defigamus. Postquam de animo alta cogitante, nec de se demisse aut humiliter sentiente sermonem habuit, consequenter juxta idem allegoriæ genus etiam de corporibus loquitur. Non enim dies illa Domini inanimatis navibus formidabilis est et extimescenda : sed iis, qui per sua corpora in amaro hujus vitæ fluctu jactantur. Quemadmodum enim navigia onere degravata non nisi ægre vehi possunt, ac facile subeunt naufragium : ita et corpora quæ plurimis ac uberibus deliciis ad corpulentiam vergunt, per voluptatem voragini perditionis innatantia, maris naves appellantur. Vice versa collaudantur navigia, quibus utuntur qui ad operationem in aquis multis faciendam in mare descendunt[2], et de quibus in psalmo ad divinas laudes celebrandas composito dictum est : « Illic naves pertranseunt[3]. » Quæ enim naves mare trajiciunt, nec in eo permanent, nec fluctibus immerguntur, illæ laudantur : atque adeo qui in carne degunt, nec militant secundum carnem, sed hujus vitæ calcant fluctum, eoque superiores fiunt, operationem in aquis multis faciunt. Ejusmodi sunt quicumque se in hac vita demittunt, ut aliquos eorum qui in profundo demersi sunt, lucrentur. Quapropter Domini opera noverunt, ut qui operum Domini et rerum in profundo admirationem moventium intelligentiam pro operationis mercede receperint. « Et super omnem aspectum pulchritudinis » navium[4]. » Audiant isthæc qui in ornando corpore

[1] Jos. VI, 16. — [2] Psal. CVI, 23. — [3] Id. CII, 26. — [4] Esaï. II, 16.

studium ponunt, ac in his spectandis curiosius immorantur. Nec enim navium aspectus noxius est : sed noxia est corporis quod concupiscitur contemplatio. Erit igitur dies Domini super omnem aspectum pulchritudinis navium. Quamobrem qui viderit mulierem ad concupiscendum, in corde suo mœchatus est[1]. Quin et mulier quæ ideo se exornat, ut libidinosa incontinentium desideria ad se alliciat, jam in corde suo adulterium commisit.

XXX. « Et humiliabitur omnis homo[2]. » Hisce verbis Scriptura declaravit omnia quæ antea allata sunt, in ænigmate et abscondite fuisse de hominibus dicta. Siquidem post contumeliosum et superbum, post excelsum et sublimem, post omnem cedrum Libani, post omnem arborem glandis Basan, post omnem turrim excelsam, post altum omnem murum, post omnem aspectum pulchritudinis navium, tum subjungit : « Humiliabitur » omnis homo, » hoc est, omnis species malorum in hominibus decidet. Porro nos homines in mundum quasi in communem scholam sumus introducti, atque tum mente donati, tum oculos ad intelligendum habentes, Deum tanquam ex quibusdam litteris per dispensationem gubernationemque universi exaratis cognoscere jussi sumus : ut qui vellent veritatem indagare, iis quæ accepere subsidiis abunde instructi, digni fierent qui facie ad faciem res recte disquisitas contemplarentur; vel si longe a veritate aberrarent, coram ipsa veritate ob mendacium confunderentur : « Quoniam cum cognovissent » Deum non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt[3]. » Mens enim sanctorum non videt modo, sed audit etiam creaturam ea quæ ad Dei gloriam pertinent edisserentem : « Cœli » enim, inquit, » enarrant gloriam

[1] Matth. v, 28. — [2] Esaï. ii, 17. — [3] Rom. i, 21.

» Dei[1]. » Hi vero præter ea quæ ob oculos sunt posita, nihil intelligentes, vani facti sunt, et ea quæ condita sunt conditore præterito venerati sunt ac coluerunt.

XXXI. « Et exaltabitur Dominus solus in die illa[2]. » Evanescunt tenebræ luce exoriente : simul atque adest sanitas, desinunt morbi molestiæ : apparente quoque veritate mendacii natura arguitur. Itidem cum is qui vere excelsus est, omnemque intellectum excelsum ac sublimem superat, innotuerit, cumque apprehensa fuerit omnis vera contemplatio : quæ prius excelsa censebantur et sublimia, videbuntur esse contemnenda. Itaque ubi primum ii qui hactenus fuerant decepti, falsas suas de rebus singulis opiniones deposuerint, natura omnis ratione prædita veram celsitudinem magnitudinemque Deo uni convenire testabitur.

XXXII. « Et manufacta omnia abscondent, inferentes » in speluncas et in scissuras petrarum, et in foramina » terræ, a facie timoris Domini, et a gloria fortitudinis » ejus, cum surrexerit ad percutiendum terram[3]. » Quandoquidem Scriptura multis in locis pari ratione de Christi in carnem adventu, atque de eo quo ad judicium venturus est, sermonem facit; etiam nonnunquam de utroque adventu conjunctim loquitur. Quæ nunc occurrunt, de assumpta humanitate dicta esse arbitramur, etiamsi eorum quæ proponuntur sensus non etiam alienus sit ab iis, quæ futura sunt ac sperantur. Enimvero post Christi adventum, studium quod ad manufacta conferebatur evanuit. Non jam in aliquo numero ponuntur statuarii, et quæcumque antiquitus colebantur, non jam ipsis par studium impertitur : sed in speluncas, cavernas, et abstrusissima loca dejecta sunt. Quæ enim eatenus delituerant in ignorantiæ tenebris; ea, luce exorta, vide-

[1] Psal. XVIII, 1. — [2] Esaï. II, 18. — [3] Ibid. 19.

runt, lignum videlicet tanquam lignum, et lapidem ut lapidem. Neque jam ex forma hisce rebus circumposita in errorem inducuntur, sed ex propria ipsarum natura eas agnoscunt. Nam Christi adventus qui universo orbi est salutaris, dæmonibus fuit terrori, et nunc loca adeo decantata ceu fallaciæ officinas dereliquerunt. Non amplius Delphi : non amplius oracula : atque conticescit quidem mulier fatidica : bibitur vero fons Castalius; et tamen qui bibunt, sanam retinent mentem : fugit Amphiaræus : Amphilochus nusquam apparet, abolitæ statuæ : sed et invisibiles potestates a facie timoris Domini et a gloria fortitudinis ejus recessere : ex quo crux nominatur, fugata idola sunt. Porro phantasmata eorum qui mendaciis tum de Deo, tum de re quavis in quæstionem adducta excogitatis fidem adhibent, si cuilibet animæ fuerint insculpta; sunt etiam idola. Atque quamdiu vis et explanatio veritatis non intelligitur, sua quisque figmenta veneratur, ac colit. Posteaquam autem celsitudo et præstantia ejus qui plane verus ac verax est, illuxerit, tunc sua quique dogmata ideo condemnantes, quod eorum animo fallaces species objectæ essent, jam mendacii imagines mente conceptas delere festinant; ipsas veluti in speluncis et foraminibus recondentes. Quippe jam ex hac ipsa vi et efficacia vident terribilem Dei et ad abolendas cunctas res corporeas, et veluti ad conterenda terrena virtutem ac fortitudinem; quod fit ut spiritalia manifestentur. Quin et oportet ipsam ejus qui terrestris est imaginem deleri, ut imago ejus qui cœlestis est videndam se præbeat. Itaque falsas de Deo opiniones qui habent, spiritalem quamdam in se ipsis idololatriam exsuscitantes, ea quæ non sunt, tanquam si essent, animo sibi fingunt; atque se ipsi obnoxios reddunt maledictioni, quæ dicit : « Maledictus omnis homo qui faciet sculptile, et fusile

» abominationem Domino, opus manuum artificis, et » ponet illud in occulto[1]. »

XXXIII. « Die enim illa ejiciet homo abominationes » suas argenteas et aureas, quas fecerunt ad adorandum » vana, et vespertiliones[2] : ad intrandum in cavernas » firmæ petræ, et in scissuras petrarum a facie timoris » Domini, et a gloria fortitudinis ejus, cum surrexerit ad » conterendam terram[3]. » Recondi idola indicabat superior sententia, nunc vero ea ejici dicuntur. Nam prius oportet ob mendacium pudore affici, deinde id ex corde ejicere. Itaque qui eos sermones eliminat, qui omni verisimilitudinis genere mendacium fallaciamque concinnabant, is ex occultis suis penetralibus idola argentea ejicit : at vero ablegat aurea, qui species mendacii animo informatas delet. Adorat autem vespertiliones, qui dæmonum potestatem tenebris plane cognatam et affinem pro Deo habet. Est enim vespertilio animal noctis amans, versans in tenebris, solis splendorem non ferens, et in desertis locis perlibenter inhabitans. Ecquid autem dæmones? Annon ejusmodi sunt? Nonne vastitatis sunt opifices; cum veram totius mundi lucem aversentur? Vespertilio est et volucris, nec tamen pennis instructa est, sed membrana carnea per aerem volat. Ejusmodi sunt et dæmones, incorporales quidem; sed divini amoris pennis destituuntur : imo rerum carnalium desideriis dediti, veluti carnis naturam induerunt. Vespertilio et volatilis est, et quadrupes; nec tamen pedibus tuto fulcitur, nec validi est volatus. Ejusmodi autem sunt et dæmones : Neque angeli, neque homines sunt : illorum siquidem dignitatem amiserunt, horum vero natura non donantur. Quin et dentes habent vespertiliones, aves aliæ non item : dæmones etiam ad vindictam sunt parati, id non effi-

[1] Deut. XXVII, 15. — [2] Esaï. II, 20. — [3] Ibid. 21.

ciunt angeli. Vespertiliones insuper avium ritu ova non edunt, sed statim pariunt animalia : tales sunt et dæmones; actutum et cum plurima celeritate nequitiam perficiunt. Quare qui adorant dæmones, per metaphoram dicti sunt vespertiliones adorare. Sed ubi quispiam exuerit idolorum vanitatem, atque vespertiliones colere ac venerari desierit, tunc in foramina solidæ petræ et in scissuras petrarum ingredi studebit. Mansiones multas per petrarum foramina designari arbitror, quæ juxta fidei quæ in Christum est analogiam singulis distribuuntur : at vero petrarum scissuræ passionem ipsius corporis denotant ad quam qui salutem sunt consecuturi, confugere, seque sub ejus tegumento abscondere exoptant.

XXXIV. « Quiescite ab homine, cui spiratio in nare » ejus : quia in quo reputatus est ipsis[1]? » In exemplaribus communis editionis minime apponuntur hæc verba : sed cum in Hebraico reperiantur, ex reliquis interpretibus huc translata sunt. Hic est autem sensus. Cavete ab homine, ne cum eo luctemini, ne adversus eum bellum inferatis, qui talis est constitutionis usque adeo infirmæ, ei ut sit in nare vitalis respiratio, qua vel modice detenta, existere jam desinit. Itaque hisce virtutibus quas per translationem nominavit vespertiliones, præscribere videtur, ut deinceps ab iis quas hominibus struunt insidiis abstineant : qui infirmi quidem secundum carnem sunt, apud Deum vero inter eos qui honorabiles sunt recensentur : atque adeo eorum quæ ad ipsos spectant, nihilnon disquisitum est?

[1] Esaï. II, 22.

CAPUT III.

I. « Ecce igitur dominator Dominus Sabaoth auferet a Judæa et a Jerusalem validum et validam[1]. » Postquam Judaicus populus improbum consilium iniit adversus Dominum[2] : ipse ex infirmitate carnis ab eis crucifixus, vivens vero ex virtute Dei Patris; infirmitatem illis reliquit. « Moriemini enim, » inquit, « in peccatis vestris[3] » nobis autem largitus est resurrectionis virtutem. « Qui enim credit in me, etiamsi mortuus » fuerit, vivet.[4] » Siquidem increduli præ sua erga crucem incredulitate infirmantur : justi vero cum fiducia dicunt : « Omnia possum in eo qui me confortat Christo[5]. » Qui igitur non possidet Christum virtutem Dei, huic non inest robur. Quare auferet Dominus ab Jerusalem et a Judæa validum et validam; cujusmodi erat Sarra, robusta videlicet et tanti viri Abrahæ moderatrix, juxta præceptum Domini dicentis : « Omnia quæcumque dicet » tibi Sarra, audi ipsam[6]. » Qualis erat Rebecca quæ hospitalitatis causa aquam hausit, fuitque robusta propter virtutem[7] : Debbora dux exercitus[8] : Jael quæ strenuam et fortem se ostendit[9] : Anna cujus preces sunt exauditæ : Elisabeth quoque, quæ vaticinata est[10]. Neque robusti, neque robustæ jam reperiuntur. Atque infirmitatis subjuncta causa est, quod non sit apud ipsos robur panis et robur aquæ. Quemadmodum enim corpora nostra convenientibus alimentis roborantur : ita quiddam est etiam,

[1] Esaï. III, 1. — [2] 2 Cor. XIII, 4. — [3] Joan. VIII, 21 et 24. — [4] Id. XI, 25. — [5] Philip. IV, 13. — [6] Gen. XXI. 12. — [7] Id. XXIV, 19. — [8] Judic. IV, 9. — [9] 1 Reg. 1, 20. — [10] Luc. 1, 42.

quod pascit animam, eique vehemens in res bonas honestasque studium indit. Quid igitur hoc sibi vult? id quod dixit Dominus : « Caro mea verus est cibus; et sanguis » meus, verus est potus[1]. » Quibus autem hæc non suppetunt, iis defit robur panis et robur aquæ. Ubi autem infirma alimenta, ibi eos qui his enutriuntur, consimiles effici necesse est.

II. Cæterum absit ut Ecclesia peccatis Jerusalem sit obnoxia, adeo ut ab ea auferatur qui potens sit in omni opere bono, et sermone ad propugnandam veritatem idoneo : qui itidem potens sit in jejuniis, potens in precationibus; fortis in tentationibus, fortis in patientia, in humilitate, in præceptorum summa, caritate scilicet. Pari ratione absit etiam, ut auferatur ea quæ integritate, morum gravitate, eleemosynis, assiduitate orandi, nec non vigiliarum labore valeat. Absit ut auferatur robur panis et aquæ, subsidium scilicet quo sermo maxime nutritur : quemadmodum spiritus prophetici vis deseruit Judæos, atque adeo siti sermonis conflictantur, cum Dei sermonem exoptent, nec tamen illum habeant. Abstulit enim Dominus robur panis, et robur aquæ. Est quidem et apud nos nutrimentum quoddam, quod quanquam robur non præstat, tamen emori non sinit; cujusmodi alimentum Corinthiis adhuc in Christo parvulis apponit Paulus. Quinetiam olera infirmorum sunt cibus, esca autem solida perfectis et integris convenit; quandoquidem habitu quodam sensus eorum ad discretionem boni et mali sunt exercitati. Quod si unquam Ecclesia laboret penuria eorum qui dogmata firma solidaque et sensu divino plena tradant, id ab ea robur panis auferri ostendit. Quinetiam inest in aqua robur et infirmitas, uti ait Dominus : « Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum :

[1] Joan. vi, 56.

» qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet » in æternum[1]. » Quemadmodum autem primo ordine sumimus solidum cibum, humidum vero ideo capimus, ut sicco sit vehiculum eique viam paret ad digestionem : ita quoque fit in alimento animæ. Intelligentia quidem prima est et maxime propria esca animæ : sermo vero sua vi et efficacia dogmatis iter præmuniens, facit ut ea percipiantur. Jam vero aperiendi sunt oculi, ut pane isto et aqua satiemur. « Aperi, » inquit, « oculos tuos, et » implere panibus[2]. » In Genesi vero : « Aperti sunt oculi » Agar, et vidit aquam[3]. »

III. « Gigantem et fortem, et virum bellatorem, et » judicem[4]. » Gigantis nomen in bonam partem usurpatum hîc deprehendimus, et sicubi inveniatur, id fit perraro. Exempli causa : « Exultabit ut gigas ad currendam » viam[5]. » Auferet igitur gigantem. Arbitramur gigantes dici eos, qui eximias quasdam a natura dotes obtinent, quique ad excipiendam scientiam sive ad excolendam virtutem, habita corporis ratione, e vulgo præstant : fortes vero, eos qui suomet studio et exercitatione acceptum a natura bonum perfecerunt. Nulli jam apud Judæos, bellatores; neque enim jam albo militari conscribuntur : imo neque judex ullus; traditi sunt enim hisce judicibus, qui eos redegerunt in captivitatem; propterea quod ex Juda dux defecerit. Quæcumque autem minæ adversus illos ob suam in Dominum incredulitatem intentatæ sunt; eædem et nobis, si simus increduli, intendi possunt. Desunt siquidem et nobis bellatores, qui, arrepta Domini armatura omni, sese fortiter diaboli insidiis opponant, cum infidelitas oppresserit nos, simusque adversariis traditi. Sed obsecremus Dominum, ut ne a nobis tollatur

[1] Joan. IV, 13. — [2] Prov. XX, 17. — [3] Genes. XXI, 19. — [4] Esaï. III, 2. — [5] Psal. XVIII, 7.

bellator, vir fidei lorico communitus : salutis indutus galeam[1] præcipuas corporis ipsius partes tegentem : cujus pedes in præparationem Evangelii firmi sint et stabiles : cujus gladius sit districtus[2], et ad ulciscendum omnem inobedientiam paratus[3] : et uno verbo, qui ut bonus Christi miles afflictionum evangelii particeps sit[4], nec vitæ negotiis implicetur ut ei qui se in militiam delegit, placeat.

IV. Habet autem Ecclesia et judices, qui possint fratrem fratri reconciliare, a quibus judicatur et mundus; qui angelos etiam judicabunt[5]. Quapropter si quando fuerint multiplicati vaniloqui et mentium corruptores, docentes quæ non oportet, domos totas turpis lucri gratia subvertentes[6]; nec tamen in Ecclesia affuerit qui talibus os obturet, et eorum altitudinem se adversus scientiam Dei extollentem evertat; scire oportet derelictam eam esse ob multiplicatam suam inobedientiam[7]. Quod si nullus est sapiens qui possit inter fratrem et fratrem dijudicare sed præ sanctorum penuria judicentur ab infidelibus, hoc etiam desertionis est signum : abstulit enim Dominus et judicem. « Et prophetam et conjectorem. » Ad Joannem usque prophetia omnis penes Judæos stetit; sed ab illo tempore eis defuit. Nec est ullus apud ipsos qui legis sensum modo spiritali interpretetur, ob eam quæ Israëli contigit cæcitatem. Sed benignitate ejus qui posuit in Ecclesia primum Apostolos[8], deinde Prophetas, nunc in Ecclesia donum prophetiæ reperitur. Quamobrem si quando introierint infideles et idiotæ, neque tamen coarguantur, neque dijudicentur, illud denotat derelictionem. « Si enim, » inquit, « prophetetis, intret autem quis infidelis vel idiota, convinci-

[1] Ephes. VI, 14. — [2] 2 Cor. X, 6. — [3] 2 Tim. I, 8. — [4] 2 Id. II, 3. — [5] Tit. I, 10. — [6] 2 Cor. X, 5. — [7] 1 Cor. VI, 5. — [8] Id. XII, 28.

» tur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus : occulta » cordis ejus manifesta fiunt[1]. » Propheta igitur est, qui juxta Spiritus sancti revelationem futurum prænuntiat : conjector vero, qui per scientiam quam ex similibus rebus simul collatis comparavit, ob eventum præteritorum experientiam futura conjectat. Puta, si quispiam dicat, si perpetraverimus flagitia Sodomorum, simili atque illi pœna plectemur. Aut, si nos non secus ac Ninivitas pœnituerit, perinde atque illi misericordiam consequemur.

V. « Et seniorem[2]. » Inter cætera minatur ablaturum se etiam seniorem ut qui sua præsentia non parum afferat emolumenti. Num igitur quisquis quoquo modo præsulis dignitatem adeptus est, et præsbyterorum cœtui ascriptus, presbyter est ac senior? an potius is, qui præsbyteri insigne characteremque citra ullam reprehensionem præ se fert, maxime si uxorem non duxerit? Rursus si juxta Domini legem « sit unius uxoris vir, filios habens fideles, » qui lasciviæ non accusentur, aut qui non sint intractabi- » les : si non sit superbus, non iracundus, non vinolentus, » non turpi lucro deditus : sed hospitalis, bonorum amans, » sobrius, sanctus, justus, continens, tenax ejus qui secun- » dum doctrinam est, fidelis sermonis, ut potens sit etiam » exhortari in doctrina sana, et contradicentes convin- » cere[3] » : hic præsbyter ac senior est, quem aufert Dominus a delinquente populo. Ut validum et validam, ut robur panis et robur aquæ, ut bellatorem, ut judicem, ita et seniorem aufert. Itaque cum videris quosdam qui sint quidem digni qui in ordinem præsbyterorum cooptentur; sed delitescant, aut negligantur, et eorum loco videris offerri indignos, Dominum ab ejusmodi populo præsbyterum abstulisse scias. Quali autem trapezita opus sit, ut

[1] 1 Cor. XIV, 24. — [2] Esaï. III, 2. — [3] Tit. I, 6.

cognoscat quis in iis probus sit, Deus magno suo famulo Moysi ostendit, permisso ipsi talium delectu. «Congrega» enim, inquit, « mihi septuaginta viros de senioribus » Israël, quos tu ipse nosti, quod hi sunt seniores populi, » simulque adduces eos ad tabernaculum testimonii : et » stabunt illic tecum : et auferam de spiritu qui in te » est, et imponam super eos : et sustinebunt tecum » impetum populi hujus, et non portabis eos tu solus[1]. »

VI. Oportet autem hos esse ætate provectos, adeo ut multa sint temporis diuturnitate experti, atque ex canitie in ipsis efflorescente constantiam morum ostendant. Gloria enim seniorum, canities[2]. Attamen si quando comperietur in ætate juvenili senilis prudentia, donum hoc haudquaquam aspernabile : sed habenda fides est ei, qui dicit : « Canities autem est prudentia in hominibus[3]. » Nam revera plus confert ad senioris ac præsbyteri commendationem senectus mentis, quam crinium albor. Fortasse enim hoc etiam isthæc sententia vult : « A facie » cani exurges, et honorabis faciem senioris[4]. » Etenim si quis ad exemplum sapientis Danielis corpore quidem juvenis sit, mente vero canus, is potiori jure pluris æstimandus est quam qui corporis canitiem cum animo impuro circumferunt, quales erant illi Babylonis seniores diebus malis inveterati. Quare et ad Danielem cum adhuc puer esset, et ætate sensibili junior, sed spiritali prudentiæ canitie cohonestatus, donum transiit præsbyterii. Non enim mentiebantur qui dicebant : « Veni, et » sede in medio nostrum : quia tibi dedit Deus honorem » præsbyterii[5]. » Hunc ad modum nonnunquam contingit, ut juvenes majori honore digniores inveniantur quam seniores, qui oscitanter segniterque vitam traducunt. Illi

[1] Num. XI, 16. — [2] Prov. XX, 29. — [3] Sap. IV, 9. — [4] Levit. XIX, 32. — [5] Dan. XIII, 50.

igitur apud Judæos seniores ementito nomine sic vocabantur. Abstulit enim Deus, ut bellatorem et Prophetam, ita et seniorem a Judæorum populo. Oret autem Ecclesia ne a se auferatur præsbyter ac senior, qui hoc dignus sit nomine. Id autem quanti sit faciendum didicimus in Abrahamo. Nam in superioribus generationibus enumerantur multi, qui longiorem quam ipse vitam egerunt. Vixit enim Adam nonengentis et triginta annis: Mathusala nonengentis et septuaginta annis vixit, et mortuus est: vixit Noe nonengentis annis, tamen nemo illorum senior. At Abraham fuit senior Sarræ testimonio, quæ dicit: « Nondum quidem mihi contigit hactenus : dominus » autem meus senior[1]. » Erat autem senior, quod virtus animum ipsius canitie ornaverat.

VII. « Et principem super quinquaginta[2]. » Interminatur Dominus exercituum ablaturum se a Judæis cum reliquis, etiam « principem super quinquaginta. » Qua de causa hoc dicit? Quod ordinatam omnem eorum gubernationem administrationemque, toto per partem designato, confundi ac permisceri sinat. Etenim de consilio Jothor, Moyses tribunos, centuriones, principes super quinquaginta et decuriones constituit, ut ipsi pondus populi sustinerent, minoraque judicia in se reciperent eorum, quibus opus esset judicio[3]. Minatur fore, ut ordo ille ac status eis auferatur. Quapropter interminatur principem super quinquaginta, bellatorem, judicem, conjectorem, prophetam ac seniorem ab eis ablatum iri.

VIII. « Et admirabilem consiliarium[4]. » Consilium non parum affert utilitatis ac emolumenti ad vitam hominum instituendam, quod nemo unus sit sibi satis ad omnia perficienda, sed ad ea quæ conducibilia sunt eligenda

[1] Gen. xviii, 12. — [2] Esaï. iii, 3. — [3] Exod. xviii. 21. — [4] Esaï. iii, 3.

magis adjutoribus indigeat, quam ad corporales actiones producendas. Itaque homo consiliario carens, navis est suo destituta gubernatore, temereque exposita agitationibus ventorum. Jam vero si in quæstionibus de rebus levioris momenti habitis adhibemus consiliarios : cum de anima et de rebus emolumentum aliquod ipsi afferentibus inimus consilium, nonne inquirendi sunt nobis admirabiles consiliarii? Ex quo igitur Judæi pravum constituere consilium, quonam pacto Dominum tradituri essent; Dominus consiliarium admirabilem cujus consilia illis erant admirationi, ab ipsis abstulit : « Mirabantur *enim* » in doctrina ejus[1], » nec tamen animum attendebant ad ejus monita. Nonne consiliarius ille erat admirabilis, qui loco illius mandati, « oculum pro oculo[2], » id dat consilii, ut si quis dexteram tuam maxillam percusserit, obvertas illi et alteram : ut ne irascaris, ne litiges, ne turpia concupiscas, ne ullum existimes tibi inimicum, quin potius ut eos qui te odio habent, diligas : qui monet ut ne quisquam de rebus corruptioni obnoxiis sit sollicitus, ne mente efferatur, ne parva a Deo petat, ut in cœlo, transmissis illuc thesauris, cor habeat, ut cum Deo versetur, fratres amet, alienis commoveatur calamitatibus, alios eorum quæ possidet faciat participes, ut ne putet in cibis inesse quidquam pollutum, sed in corde et in animi proposito. Qui ejusmodi consilia adeo divina et admirabilia dabat, eum ideo Dominus abstulit, quod ipsum non acceperint. Itaque non est jam apud ipsos admirabilis consiliarius. Cæterum precemur, ne Ecclesia hoc admirabili consiliario destituatur, ut cum occasio petendi de rebus necessariis consilii sese cuipiam dederit, ad hanc domum commune animarum consilium, veniens, inveniat verbum consolatorium, quo veluti lux

[1] Matth. XXII, 33. — [2] Levit. XXIV, 20.

quædam animabus ad invenienda ea quæ sibi conducunt, afferatur. Porro qui vani sui cordis voluntate fertur, etiamsi consilium bonum habeat ad manum, is assimilis est Roboam, qui seniorum salutari consilio spreto, juniores secum educatos secutus est, quorum opera imperium in decem tribus amisit [1].

IX. « Et sapientem architectum [2]. » Postquam a Judæis utilitas submota est admirabilis consiliarii, qui declaratus est esse Dominus noster Jesus Christus, ab iisdem quoque ablatus est sapiens architectus, et factus est gentium apostolus, Hebræus ex Hebræis, secundum legem Pharisæus, Paulus Jesu Christi quem persequebatur servus effectus [3]. Quodnam est argumentum ejus quas pollebat scientiæ architectonicæ? Certe ait ipse : « Ut » sapiens architectus fundamentum posui [4]. » Arbitror autem et a Spiritu sancto ceu ab architecto Ecclesiam Dei ædificari, secundum Paulum ipsum, qui dicit : coædificari et crescere in templum sanctum in Domino [5]. Itaque eos qui hunc admirabilem consiliarium Deum Verbum rejecerunt, sapienti architecto Spiritu sancto spoliavit. Quapropter cum non habeant qui eos coagmentet ac compingat; sunt soluti, atque a se invicem separati, neque per spiritalem ædificationem fieri Dei templum possunt. Nos vero precemur ut Ecclesiæ ministretur Spiritus, adeo ut nobis spiritales architectos constituat, cujusmodi erat Beseleel, quem implevit Deus Spiritu divino, spiritu intelligentiæ et scientiæ, ut architectonices opera omnia fabrefaceret [6]. « Et prudentem » auditorem [7]. » Si juxta Salomonem, « sermo pretiosus » in aurem obedientem [8]; » ubi sermo non est, auditu nihil opus est. Cum igitur e medio sublatus sit admirabilis ille

[1] 3 Reg. 13. — [2] Esaï. III, 3. — [3] Phili. III, 5. — [4] 1 Cor. III, 10. — [5] Ephes. II, 2. — [6] Exod. XXXI, 3. — [7] Prov. II, 15. — [8] Esaï. III, 3.

consiliarius, quadam consequentia etiam prudens auditor simul ablatus est. Ubi enim argentum non est, otiatur trapezita. Est autem molestum quiddam, cum sermo quidem intelligentiæ et sententiarum plenus habetur, et qui de officiis tractet, nec tamen adest quisquam qui isthæc prudenter percipiat, propterea quod eas animæ aures non habeat, quas Dominus ad suorum sermonum auscultationem requirit, dicens : « Qui habet aures » audiendi, audiat[1]. »

X. « Et imponam adolescentes principes eorum : » derisores dominabuntur eis[2]. » Duplex est pœnæ genus, et bonis privari, et tradi deterioribus. Posteaquam enim dominator Dominus abstulit ab Judæa et ab Jerusalem robur panis et robur aquæ, gigantem fortem, hominem bellatorem, judicem, conjectorem, principem super quinquaginta, admirabilem consiliarium, sapientem architectum et prudentem auditorem : tunc minata est Scriptura fore, ut ipsis adolescentes principes mitterentur. Adeo noverat hanc pœnam gravissimam, cum ab adolescentibus regitur administraturque civitas. Est enim adolescentia levitati obnoxia et ad flagitia prona : cupiditates effrænatæ, belluinæ iræ, petulantia, contumelia, superbia et arrogantia vitia sunt una cum juventute enutrita. Excitatur invidia adversus virtutem præstantissimam, suspiciones habentur adversus domesticos. Innumerabilium malorum turma juventutem comitatur, quorum omnium consortes esse subditos necesse est. Quippe principum vitia, calamitates sunt subditorum ac cruciatus. « Imponam adolescentes principes eorum. » Bona quidem numero singulari expressit, puta validum, validam, bellatorem, judicem, prophetam, conjectorem, principem super quinquaginta, admirabilem consiliarium,

[1] Matth. II, 15. — [2] Esaï. III, 4.

sapientem architectum, prudentem auditorem. E contrario ea quæ intentantur mala in pluralem numerum excrevere : nimirum « Adolescentes principes, et derisores » dominabuntur vobis. » Non is qui ætate est juvenis sed qui juvenis est moribus, insimulatur. Non enim is cui deficit ætas, est continuo culpandus, sed qui vitam agit cupiditatibus addictam. Ejusmodi erat Roboam, de quo scriptum est : « Et Roboam erat junior, et timidus » corde[1]. » Quare et Ecclesiastes : « Væ tibi, » inquit, « civitas, cujus rex tuus junior, et principes tui mane » comedunt[2]. » Non enim qui ætate juvenis, sed qui secundum animam imperfectus est, etiam hîc dicitur junior. Nam quod ætas minor impedimento non sit ei, qui ex præscripto virtutis vivere voluerit, ostendit Dominus cum allocutus est Jeremiam, dicens, « Noli dicere, » quia junior sum. » Nec enim negavit esse impedimento propter animi perfectionem : « Quia ad omnes ad » quos misero te, ibis[3]. » Ego enim qui canitiei quæ in occulto est gravitatem video, ipse te conspexi mente et prudentia senem.

XI. « Derisores autem dominabuntur[4], » eis videlicet qui sese peccati addixerint servituti. Etenim si communis inimicus evadat eorum dominus, jam non quasi propriis mancipiis utitur, sed abutitur tanquam alienis. Nam hic noster communis hostis eum quem irretivit peccato, ceu in pompa ostentat, insultatque, et se adversum nos effert; nec adversus nos solum, sed etiam adversus Dominum nostrum, a quo nos impulsu ipsius defecimus : atque turpitudinem nostram detegens, de captivis triumphare, ac subditos illudere non cessat. Nam quoniam destinatus est irrisioni, « Hoc enim, » inquit, « est » principium formationis Domini, factum ut illuderetur

[1] 2 Par. XIII, 7. — [2] Eccle. X, 16. — [3] Hier. I, 7. — [4] Esaï. III, 4.

» ab angelis ejus[1] : » Et psalmus, « Draco iste quem for-
» masti ad illudendum ei[2], » ea quæ pati debuerat, in nos rejiciens, dominum in nos per suas illusiones habet. Unde qui sentiebat peccatum, quod diaboli opera admiserat, dicebat : « quoniam lumbi mei impleti sunt illu-
» sionibus.[3] » Et fere quemadmodum Samson alienigenis ob stuprum præda effectus atque ab eis excæcatus, eo adductus est ut sibi illuderetur : sic quoque quemcumque excæcaverit peccatum, is ab alienigenis illuditur. Hos autem irrisores non comminatur Dominus se esse perinde instituturum, atque adolescentes principes : sed ait hosce derisores ipsis volentibus esse dominaturos, quod suis quisque operibus se ipse eorum dominio subjiciat. Fortasse igitur, quod ante crucem Domino illusere illum crucifixuri, recentiori Romanorum imperio traditi sunt, eisque dominati sunt derisores, qui apud se veritatem minime habebant. Quod si Ecclesiam ab iis qui sua versutia adulterant verbum et per simulationem mendacium dicunt, gubernatam conspexeris : scias ipsi dominari derisores, qui blandiloquis ac persuasibilibus verbis simpliciores decipiunt.

XII. « Et confliget populus, homo ad hominem, et
» homo ad proximum suum[4]. » Palam enarrat Propheta quæ facta sunt ante extremam illam Jerosolymorum expugnationem, post quam dispersi sunt. Non amplius sermonem profert per ænigmata prophetica, sed nude et perspicue ipsas res gestas narrat, cum scilicet inter se congressi, seditione et cæde civitatem implevere, neque a suis hostibus ipsos undique obsidentibus ad concordiam quæ necessaria erat, sunt adducti sed extrema sibi metuentes, civitate tantum non capta, disjectis muris, hos-

[1] Job. xl, 19. — [2] Psal. ciii, 26. — [3] Id. xxxvi, 8. — [4] Jud. xvi, 25. — [5] Esaï. iii, 5.

tibus ingredientibus, in se invicem dominii ac primatus obtinendorum studio invaserunt. Atque hæc ideo patiebantur, quod ablatus esset ab eis propheta, conjector, senior, et admirabilis consiliarius : contra, supra ipsos constituti essent adolescentes principes, eisque dominarentur derisores. « Et invehetur puer in senem, inhonoratus in honoratum[1]. » Quæ sunt perturbationis confusionisque propria enarrat. Nam seditionis proprium est, nihil ut discernatur : sed ut puer seni molestum se præbeat, et in ejus documenta invehatur. Et qui inhonoratus est ob inustum sibi per ignominiæ vitia dedecus, honestior majorique reverentia dignior quam qui honorabilis est, volet haberi. Metuo autem ne isthæc ad nos etiam pertingant, et ne hæ ipsæ prophetiæ hac ætate impleantur, qua pueri ætate juvenes, moribus juniores, adoriuntur Ecclesiæ præsbyteros, neque sacra illorum ministeria admittunt, neque congruum debitumque Ecclesiæ ordinem servant. Quinetiam cum qui male vixerunt, probis reipublicæ administratoribus inferunt bellum, tum inhonorati adversus honorabiles insurgunt. Enimvero nonne quotidie viros cernimus, qui ex ebrietate et ingluvie, et lupanari egredientes, de Deo sermonem habent; ac eos qui ex populo sunt honorandi, judicant?

XIII. « Quia apprehendet homo fratrem suum, et propinquum patris sui, dicens : vestimentum habes, princeps esto noster, et cibus meus sub te sit[2]. » Aperte et isthæc spectant ad Judaïci excidii tempus, quando fame tabescentes, ita ut etiam alii alios manducarent; in partes transibant eorum qui opulentiores videbantur; atque ut sibi præessent, rogabant. « Vestimentum habes, princeps esto noster. » Qui vere princeps est, non ab externis insignibus dignoscitur, uti purpura, paluda-

[1] Esaï. III, 5. — [2] Ibid. 6.

mento et diademate : sed ab imperatoria qua præditus est virtute. Qui enim subditur voluptatibus, ac variis cupiditatibus ducitur, servus cum sit peccati[1], ad imperandum idoneus non est. Hîc quidem testimonium quo imperandi facultas designatur, non ab animi ornatu, sed a vestimentorum cultu desumitur. Atqui oremus nos, ut ecclesiarum principes, populique duces neque ab exteriori amictu, neque ab eo quem præ se ferant habitu, sed ab ipsamet veritate testimonium habeant; ita ut dicere possimus : Non quod quæ in te extrinsecus apparent, ornata sint, aut pietatis larva a te multum exculta sit, sed quod animam tuam vestimento salutaris tunicaque lætitiæ Deus induit[2], omnique divitiarum genere te magnificavit, princeps sis noster, ut per abundantiam in sermone et sapientia et operibus bonis reconditam nobis ex tuo ministerio comparemus spiritualium deliciarum copiam. « Et cibus meus sub te sit, » hoc est, tritici mensura sub te sit.

XIV. « Et respondens in illa die, dicet : non ero » princeps vester. Non enim est in domo mea panis, » neque vestimentum[3]. » Adhuc ea quæ in illa seditione gesta sunt, quod ad historiam attinet, significat Scriptura : nimirum enarrat extremum populi excidium : ita ut ne unum quidem indumentum suppeteret iis, quos ad principatum trahebant. Hoc autem tumultuosum rerum in seditione gestarum statum ostendit, quod omnes communi consensu et concordibus animis ad eligendum eum qui ipsis præesse posset, non concurrerent : sed unusquisque quemlibet obvium assumeret, non eum qui esset electione dignus, sed qui sibi familiaris esset ac necessarius; non eum qui salvos ipsos ac incolumes servare posset, sed qui sanguinis necessitudine ipsum contingeret.

[1] 2 Tim. III, 6. — [2] Esaï. LXI, 10. — [3] Id. III, 7.

« Apprehendet enim, » inquit, « homo fratrem suum, » et domesticum patris sui. » Absit certe ne id fiat in tribuendis ecclesiarum præfecturis : ita ut quilibet quemlibet eligat, eum nempe qui nuptialibus indumentis careat, qui sit decenti cultu destitutus, qui spiritualium egeat alimentorum : et qui in domo sua, hoc est, in arcano cordis sui secessu panem verum ac viventem nequaquam habet, qui possit cor hominis confirmare[1]. Nunc autem timeo ne, ut olim in Judaïca seditione erant qui seipsos arbitrarentur indignos, qui cæteris præficerentur, utpote suæ ipsorum paupertatis conscii, ita hoc tempore sint nonnulli, qui licet Christum et miserationis viscera induti non sint secundum Apostolum[2], si quis tamen eos promoveat, non contradicant : et si promoveat nemo, plurimi se intrudunt. Nam principatum ambiunt non pauci, sua ipsorum opera creati, præsentem claritudinem consectantes, futurum vero judicium nequaquam prævidentes. Atqui non ejusmodi fuit Moyses, sed in omnibus obediens ac morigerus, quando ad populum mittebatur, aiebat : « Obsecro Domine, elige » alium quem mittes[3]. » Ex quo factum est ut Deus ipsum urgeret quasi pertinacius utpote qui hac ipsa recusatione et suæ infirmitatis confessione se primatu dignum ostenderet. Quapropter egregia est admonitio illa : « Ne » quæras fieri judex, ne forte non possis auferre iniqui- » tates[4]. » Attamen recusationem eorum qui a seditiosis ad excipiendum principatum compellebantur, generalem non fuisse declarat sermo propheticus. Non enim simpliciter ait : « Non ero princeps : » sed cum adjectione, « Non ero princeps populi hujus. » Aque causam subjunxit.

XV. « Quia dissoluta est Jerusalem, et Judæa

[1] Psal. CIII, 15. — [2] Coloss. III, 12. — [3] Exod. IV, 13. — [4] Eccli. VII, 6.

» concidit, et linguæ eorum cum iniquitate, his quæ » Domini sunt, non obtemperant[1]. » Jerusalem enim, quæ hactenus per Domini manum fuerat concordiæ vinculo colligata, nunc dissoluta est et repudiata. « Et Judæa » concidit, » subductis ejus fulcimentis. Ac calamitates quidem nonne tales sunt, quæ diligentia ab eis adhibita est ad se reddendos Deo gratos, et quod studium ad pœnitentiam agendam ostensum est, ut inde affulgeret spes finem malis intentatis impositum iri? Atqui « linguæ » eorum his, quæ Domini sunt, non obtemperant, » nec inobsequentes sunt simpliciter, sed « cum iniquitate. » Nam lingua eorum cum nocte ac die legem Domini meditari debuisset, contradicit ac refragatur, quod alienatum a Deo sit cor eorum, neque legi divinæ subditum. Cui ergo, inquit, imperabo? Jerusalem? sed ejecta est et dissoluta. An Judææ? sed non amplius stat recta : siquidem collapsa est. Iis ne qui pœnitentiam agunt? sed linguis suis imperium detrectant. Fortasse igitur ob pristinam gloriam gloriosum fuerit in hos imperium habere : sed « humiliata est, » inquit, gloria eorum, et confusio » vultus eorum resistit eis. » Hoc est, nulla eis relinquitur fiducia oculos sustollendi ad Deum, quod peccatum eorum non qualecumque sit, sed dignum quod crimini comparetur Sodomitarum, quod neque clanculum, neque pudore suffusi admisere. Imo quasi de flagitiis perpetratis gloriantes, ea nuntiaverunt omnibus ac prodiderunt, perinde atque illi in scelestissimas libidines festinantes, lasciviam suam speciosis verbis non occultarunt. « Ubi » enim sunt, » inquit, « viri qui ingressi sunt apud te? » Educ illos ad nos, ut coëamus cum eis[2]. » Peccatum illud sunt imitati. Nam peccatum suum, quemadmodum peccatum Sodomorum vulgatum fuerat, evulgaverunt

[1] Esaï. III, 8. — [2] Gen. XIX, 5.

ac prodiderunt. Quisquis in historiam eas quæ ante Jerosolymitanum excidium acciderunt calamitates enarrantem inciderit, evidentiam perspicuitatemque prophetiæ admirabitur. Duplex itaque speciosæ illius detrectationis ratio suppetebat iis, qui imperium in populum accipere compellebantur, propria imbecillitas, ac difficilis rerum status : quandoquidem populus vix ad frugem bonam redire poterat, ob plurimam peccatorum congeriem : quod utrumque hic sermo complectitur. Nam qui recusat principatum, de sua ipsius infirmitate dicit : « Non est » panis in domo mea, neque vestimentum : » populi vero malum insanabile ostendit, dum dicit : « Non ero » princeps populi hujus, quia dissoluta est Jerusalem, et » Judæa concidit; et linguæ eorum cum iniquitate his » quæ Domini sunt, non obtemperant. Iniquitatem enim » suam quasi Sodomorum divulgarunt ac prodiderunt[1]. » Neque enim servare poterat unus aliquis Sodomitas, sed decem saltem justis egebant, qui reorum pœnam deprecarentur.

XVI. « Væ animæ eorum, quia inierunt consilium » malum contra se, dicentes : alligemus justum, quia » inutilis est nobis. Itaque fructus operum suorum » comedent[2]. » Posteaquam tandem advertisset Propheta populum instar Sodomorum sine ullo pudore ad peccatum præcipitem ferri, ita ut ne occulte quidem aut abscondite peccarent, imo cum plurima audacia et impudentia sese gerentes, ex ignominiosis facinoribus gloriarentur, ipsos deflens, hæc verba profert : « Væ animæ » eorum, quia inierunt consilium malum adversum se, » dicentes : alligemus justum, quia inutilis nobis est. » Consilia adversus justos inita in consultantium capita retorquentur : quemadmodum tela jacta a solidis ac

[1] Esaï. III, 8, 9. — [2] Ibid. 10.

repulsu prœditis corporibus in suos iaculatores resiliunt. Eam ob rem ait : « Inierunt consilium adversum se, » dicentes : alligemus justum, quia inutilis nobis est. » Judæi autem adveniente Domino hæc faciebant : quippe ipsum ligatum deduxere ad Caïpham[1]. Ligabant manus, quæ ipsos beneficiis cumulaverant; nec justitiæ ferebant præsentiam, quod malitiam aboleat et exterminet. Est enim justitia injustis ac iniquis molesta, perinde atque sol lippientibus. Quapropter ait : « Fructus operum suo- » rum comedent. » Illorum autem operum fœtus sunt captivitas, dispersio, templi eversio, lapsus a gloria, confusio vultus eorum, per quam eis non licet oculos ad Deum, ob impium facinus in Unigenitum admissum, tollere. Itaque fiduciam priorem perdidere, quippe qui nec prophetas, nec cultum habeant. Verbo autem ligato, ligata veritate, luce ligata, justitia ligata, ligato Salvatore, ligato medico, liberatore ligato, quæ omnia Christus est juxta variam quæ de eo habetur notionem; privati sunt lumine, privati sunt verbo, privati sunt veritate, in iniquitate degunt, morbo insanabili laborant. Hi sunt fructus operum eorum quos comedunt.

XVII. « Væ iniquo : mala pro operibus manuum ejus » evenient ei[2]. » Hæc de divino judicio quod unicuique pro merito mercedem rependit, dicta fuisse arbitramur, Quod si ideo « Væ iniquo » dicitur quod « mala pro ope- » ribus ipsius evenient ei. » Cujus malitia ad opus usque non processit, sed in arcano cordis recessu consummata est, nonne ei infligetur pœna, ita ut *Væ* ipsi etiam adaptari possit? Aut ubi quod in malitia perfectum est, retulit; quod minus est, id tibi proportione servata reliquit excogitandum. Est enim perfecta malitia, cum quis et voluntate peccat et factis : dimidia vero mali pars

[1] Joan. XVIII, 28. — [2] Esaï. III, 11.

est, cum peccatum in animi proposito manet. Itaque qui cogitatione peccat, non omnino remansurus est inultus : sed quantum deficit a malo, tantum ei pœnarum remittetur. Væ igitur iniquo, quia ei mala secundum iniquitates et secundum opera manuum ejus evenient, quod manus organa sunt cogitationis. Quoquo igitur modo moveatur id quod principium est, eodem movetur id quod exequitur.

XVIII. « Popule meus, exactores vestri demetunt vos, » et exigentes dominantur vobis[1]. » Vox isthæc, « Popule » meus, » est adhortantis populum, et male affectos miserantis. Priusquam alligassetis justum, priusquam eo uti recusassetis, quid passi fueratis? jam debitis multis obstricti estis. Idcirco traditi estis in manus exigentium a vobis debita, qui cum neque manipulos, neque uberes fructus apud vos inveniant, in modum spicilegii exiguos vos atque viles demetunt, confractos animarum vestrarum fructus colligentes. Sumus autem ejusmodi, si cum pusillo abjectoque animo ac sine fructu pœnitentiam agimus. « Quod enim seminat homo, hoc et metet[2]. » Qui igitur eleemosynam, commiserationem, obsecrationem, justitiam, lacrymas assiduas per præclaram laudabilemque pœnitentiam in Spiritu abundanter seminat, hic seminans lacrymis, metet in exultatione[3]; atque manipulos pœnitentiæ auferet, adeo ut exactori debitum omne exsolvat. Quem vero pœnitet peccatorum ante commissorum, si exigua quæpiam seminat in eleemosyna et in precatione; is vacuam fructu stipulam nutriens, ne hanc quidem retinere permittetur ab exactore. Quis autem iste sit exactor edoceamur per evangelicam admonitionem, dicente Domino : « Cum enim vadis cum » adversario tuo ad principem in via, da operam ut

[1] Esaï. III, 12. — [2] Gal. VI, 8. — [3] Psal. CXXV, 6.

» librereris ab eo, ne forte pertrahat te ad judicem, et » judex tradat te exactori, et exactor mittat te in carce- » rem[1]. » Profecto hîc consideres velim « adversarium » *et* viam, » postea « principem, » qui adversario nostro præfectus est. Via quidem, nostra vita est : adversarius vero, virtus est nobis obluctans, vitæque socia, quæ nullas non excogitat insidias, quibus nos a via ad Deum deducente abducat. Princeps autem, est ipse mundi hujus princeps, de quo Dominus dixit : « Nunc venit » princeps mundi hujus, et in me non inveniet quid- » quam[2]. » Sane in Domino quidem nihil invenit, quia « peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus[3]; » licet tentatus fuerit per omnia pro similitudine, absque peccato.

XIX. Cum igitur in nobis invenerit multa[4]; nos multis peccatorum quorum auctor est vinculis pertractos, quibus nosmetipsos obstrinximus, tradet judici. Judex autem cui judicium omne dedit Pater[5], nos criminibus multis ab adversario et ab ultore coargutos apprehendens, tradet exactori exigendis pœnis præstituto; qui nos mittet in carcerem[6] : hoc est, in supplicii locum, flagris immanissimis pro rebus vel minimis et pro peccatis a nobis cum contemptu patratis reposcens ac exigens pœnas. Quocirca consilium dat Dominus, ut dum in via cum adversario sumus, demus operam ut ab illo liberemur, hoc est, ea efficiamus opera, quibus ab inimico valeamus liberari; nec unquam inducamur, ut adventum extremæ illius horæ expectemus, qua princeps astans nos perscrutabitur. Qui si multa quæ sui ipsius impulsu patrata fuerint, in vita nostra invenerit, tradet nos judici, coarguens nos, nec negare nos sinens, ut qui nobis revocaturus in memoriam sit locum in quo pecca-

[1] Luc. XII, 58. — [2] Joan. XIV, 30. — [3] 1 Pet. II, 22. — [4] Hebr. IV, 15.
[5] Joan. V, 22. — [6] Luc. XII, 58.

tum admisimus, quod esset nobiscum, et una nobiscum, malum conficeret : item modum quo deliquimus, atque eum quo peccavimus affectum. Itaque interea dum agendi habemus potestatem, navemus operam; ut ab adversario liberemur. « Et exigentes dominantur vobis. » Pauperes multo ære alieno oppressos in servitutem redigunt exactores. Et quidem operæ pretium est nihil debere : proximum autem fuerit, æris alieni dissolvendi non deesse facultatem : sin minus, cum rationes repetentur, servum esse necesse est omnino. Hæc dicta sint propter illud : « Exactores vestri demetunt vos, et exigentes » dominantur vobis. »

XX. « Popule meus, qui beatos vos prædicant, deci» piunt vos, et semitam pedum vestrorum turbant[1]. » Qui adolescentibus subjiciuntur, et derisorum subduntur dominio, qui instar spicilegii demetuntur ab exactoribus, et addicuntur servituti, quod non habent unde solvant, atque ob nimiam inopiam amisere libertatem, ii profecto digniores sunt qui commoveant miserationem, quam ut beati prædicentur. Qui igitur tales beatos prædicat, adulatoris partes agit; præter decorum ad captandam gratiam loquens, eos decipit; nec mediocriter nocet : cum sensum peccatorum adimat; atque dum ob beatitudinem immerito attributam decipiuntur, semita pedum eorum conturbatur. Quapropter calamitates quidem provocant ad humilitatem, beatitatis vero felicitatisque prædicatio tumorem parit et superbiam. Dixit autem generatim, « Popule. » Nimirum ostendit non modo eum populum qui ita depressus est ut in malis enumeratis versetur, sed in universum quemvis populum, utpote qui sit cœtus hominum, ex diversis studiis ætatibusque et vitæ institutis collectus, unum et idem beatitatis genus

[1] Esaï. III, 12.

ex æquo assequi non posse. Aliæ enim alio modo, et suæ quemque calamitates divexant. Hunc quidem senectæ incommoda, hunc vero servitutis miseriæ : alium paupertas, cæteros necessariorum amissio, alios morbi affligunt. Quomodo igitur beatitatis prædicatio populo omni attributa, fucata non est et captiosa? Dominus autem etiamsi multitudinem declaret in beatitudinibus designandis, « Beati pauperes spiritu, *et*, beati qui esuriunt, » *et*, beati qui lugent[1], » tamen quod eos qui præsentes aderant alloqueretur, eos qui beati prædicantur, facile numerari posse docet. Planum est enim eum de discipulis sermonem habuisse, qui laudabilem edocti fuerant humilitatem, atque ad similitudinem ejus qui propter nos egenus factus est[2], paupertatem spiritus erant amplexi. Quamobrem ait : « Vestrum est regnum cœlorum[3]. » Et illud, « Beati qui nunc esuriunt, quia ipsi saturabuntur[4]. » Quod si angusta est via, et pauci sunt qui inveniant eam, qui fieri potest ut multi sint qui prædicentur beati? Itaque quisquis omnem omnino populum prædicat beatum, seducit ipsum et conturbat, nec illum tranquille incedere sinit. Facile autem est iis qui minime sunt attenti, laudum affectu ac studio capi; cum unusquisque assentationum fallaciis præ sui ipsius amore haud difficulter seducatur. Est autem viri provecta virtute præditi, nequaquam dejici, convitiis quorumdam succumbentem, neque ob id animo contrahi, neque facile præ laudibus intumescere ac inflari sui ipsius statum ignorantem. Quia vero semita iter est jam tritum, et ab iis qui præcesserunt confectum; quisquis eos qui a decessorum studio deficiunt, mœsto ac tristi sensu affici non sinit, imo vero delinquentes quasi recte se gererent, prædicat beatos, is semitam pedum eorum conturbat.

[1] Matth. v, 3, 5, 6. — [2] 2 Cor. viii, 9. — [3] Matth. v, 3. — [4] Ibid. 6.

XXI. « Sed nunc constituetur in judicium Dominus, » et sistet in judicium populum suum[1]. » Omnia divino judicio ac prudentia unicuique pro merito distribuuntur juxta inenarrabilem sapientiam; tum ea quæ nunc temporis inferuntur, tum quæ in futuro sæculo reservantur. Quoniam igitur, inquit, talibus sese iniquitatibus obnoxium præstitit populus, tales item ei irrogavit pœnas Dominus. Quasi quæ ad Dei justitiam pertinent oculis subjici debeant, quod videlicet iniquitatum mensuram vindictæ magnitudine non superarit, idcirco dictum est : « Sed nunc constituetur in judicium Dominus : » ut particula, « nunc, » distinguatur a futuro sæculo. Aut forte illud, « nunc, » apud nos quidem minimum et individuum temporis momentum significat : sed in Deo juxta significationem vocis, « nunc, » adjacent et astant omnia. Nihil enim apud ipsum præteritum est, nihil futurum : sed cuncta sunt præsentia. Et quæ procul a nobis futura expectantur, tanquam jam præsentia a divinis oculis conspiciuntur, ita ut in Deo illa temporis pars *nunc* ævum etiam futurum complectatur. Cum igitur, quantum ad Deum attinet, non longe absit definitum judicii tempus, vocem hanc *nunc* ad universale judicium referri duximus. « Constituetur autem in judi- » cium. » Declarat rationes justitiæ suæ, juxta quas ob ipsa opera æquam in sumendis ejusmodi suppliciis vicem adhibet : sic ut ii etiam qui condemnantur, pronuntiato adversum se judicio tanquam justissimo assentiantur.

XXII. « Et sistet in judicium populum » Israëliticum. « Quicumque enim in lege peccaverunt, per legem judi- » cabuntur[2]. » Nequaquam sententiam parem prolaturus est in reliquos populos. Nam « quicumque sine lege pec- » caverunt, sine lege etiam peribunt[3]. *Et* impii non

[1] Esaï. III, 13. — [2] Rom. II, 12. — [3] Ibidem.

» resurgent in judicio[1], » sed in condemnatione. Judicium autem penes est omnem legislatorem in eos qui secundum legem ab eo scriptam judicantur, cum et ea quæ acta sunt, et legislatoris voluntas inter se comparantur. Quapropter ait etiam Dominus : Sermo quem locutus sum, ipse vos judicabit[2] : quippe cogitationes sibi invicem adversantur, tum ea quæ a Domino suggeritur tum ea quæ ad peccatum invitat. Nam juxta Osee, circumdabunt unumquemque cogitationes ipsius[3]. Videbimus enim simul omnia opera nobis per memoriam veluti astantia, atque ex adversa facie cum propriis formis menti nostræ objecta, prout unumquodque vel gestum, vel prolatum est. Postquam enim Dominus, quod ad gentium a se assumptarum curam attinet, ea omnia quæ muneris illius sunt, omnino præstitisse se ostendit, tum dicitur vincere, cum apud nos judicatur[4]. Sane haud putandum est multum temporis consumptum iri, ut se quisque cum actionibus suis conspicere valeat; quippe animus vi inexplicabili, momento temporis, tum judicem, tum quæ divino judicio conjuncta sunt, sibi ipse finget, sibique repræsentabit omnia, ac velut in speculo, eorum quæ gesta sunt formas acie mentis contuebitur.

XXIII. « Ipse Dominus in judicium veniet cum senio-» ribus populi, et cum principibus ejus[5]. » Acriorem quodam modo commotionem Scriptura indicat his verbis : « Ipse Dominus in judicium veniet. » De populo quidem dictum est : « Constituetur in judicium Domi-» nus, et sistet in judicium populum suum[6]. » At vero de senioribus principibusque dicitur : « Ipse Dominus in » judicium veniet. » Primum quidem, ut doceamur

[1] Psal. I, 5. — [2] Joan. XII, 48. — [3] Osee. VII, 2. — [4] Psal. L, 6. — [5] Esaï. III, 14. — [6] Ibid. 13.

fore, ut suo quique ordine judicemur, populus, seniores, principes. « Exiguo enim conceditur misericordia : » potentes autem potenter examinabuntur[1]. » Liquet autem in judicium venientem, non ad judicandum, sed ad discernendum venire. Non enim est judicis cum iis qui judicantur, ad judicium venire : sed eorum est, qui judicandi sunt, simul collectos judicem adire. Cum autem ad judicium cum ipsis venerit, statim eos coarguet, modo objurgatorio dicens : « Vos autem, ut quid incen» distis vineam meam, et rapina pauperis in domibus » vestris? Ut quid vos injuria afficitis populum meum[2]?» Seniores ac populi principes, quid simus ei in jus vocanti responsuri, perpendamus : imo vero precemur, ut in nobis talia minime inveniantur, quæ reprehensione digna sint. Compertum est enim hæc verba ad nos spectare, quorum alii cooptati sunt in præsbyterorum ordinem, alii vero in honore et gradu majori constituti, populo præsunt. Concredidi vobis vineam fertilem, totam veram, ut cura vestra ac diligentia fructus idoneos ederet : vos autem non ei solum intulistis vastitatem, sed ipsam etiam incendistis. Id autem contingit, cum præter quam quod non docemus quæ officii sunt ac muneris, etiam ex impietate incendium quasi quandam flammam ubique serpentem, et perpetuo partes contiguas invadentem, in vineam inducimus. Qui virentes hactenus uberesque palmites reddunt aridos, deformes, infructuosos, et qui vitia ex ignitis diaboli jaculis nata non extinguunt, imo etiam suæ vitæ privatæ intemperantia vitiis multis dant locum, hi vineam incendunt. Quinetiam qui per stolidam avaritiam ad aliena bona concupiscenda multos invitat, is incendit vineam. Adjungit igitur illud : « Et » rapina pauperis in domibus vestris. » Itaque qui injus-

[1] Sap. VI, 7. — [2] Esaï. III, 15.

tas opes rapina et vi colligunt, vineæ incendio causam ansamque dant exemplo pravo, quo omnis etiam populus alii aliorum bona præfectorum imitatione concupiscere edocentur. Seniores igitur ac principes, qui per sanam doctrinam ac per bona vitæ privatæ exempla non excolimus vineam, horum accusabimur. Nec immerito sumus audituri illud : « Et rapina pauperis in domibus vestris, » si quæ concessa sunt pauperum sublevandorum causa, domi retineamus, atque spoliemus indigentes.

XXIV. « Quid vos injuria afficitis populum meum, » et vultum pauperum confunditis[1] ? » Mos est iis qui injuriam inferunt, et spoliant, ut cum a læsis expostulantur, contumeliis et convitiis ipsos confundant, vilipendentes ac plagas comminantes, eosque tanquam litigandi cupidos traducentes. Itaque non solum ait : « injuria afficitis pauperem, » qui facile potest spoliari, cuique utpote auxiliis destituto haud difficulter parantur insidiæ : sed et additur : « confunditis vultum pauperum. » Pudorem quo ex illata injuria affici debueratis, tyrannide vestra in pauperes refunditis. Subornantes testes, mercede conducitis patronos, corrumpitis judices, donec præter reliquam iniquitatem pudorem etiam ex sycophantia ortum in pauperes transtuleritis. Sed et alias incurrimus in crimen, cum ob paria delicta pauperes acriter lacessimus : qui scilicet prodamus quidem eorum peccata; probroque omni adhibito, Deique zelo in pauperes ostenso, hoc pacto vultus ipsorum confundamus. Quia vero nonnulli pauperes dicuntur beati[2], qui pietatis causa aspernati sunt omnia, atque acquirendarum Dei divitiarum spe educti, mundanas opes nihili æstimarunt; quando ii qui male præsunt populo, cum hujusmodi pauperes beatos prædicare debuissent, eos calumniantur,

[1] Esaï. III, 15. — [2] Matth. v, 3.

vilipenduntque, et commendabilem eorum humilitatem contemptui habent, tum merito objurgantur, maxime si seniores sint aut principes, siquidem sanctorum pauperum vultibus incutiunt pudorem. Joannes erat hujusmodi pauper, domum non habens, non famulum, non bovem aratorem, non agellum, non lectum, non mensam, non panem. Talis Elias erat. Ejusmodi erant sancti omnes, qui « circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egen- » tes, angustiati, afflicti[1]. »

XXV. « Hæc dicit Dominus : Pro eo quod elevatæ » sunt filiæ Sion, et ambulaverunt erecto collo, et in » nutibus oculorum, et gressu pedum simul trahentes » tunicas, et pedibus simul ludentes : et humiliabit Deus » principes filias Sion[2]. » Etsi verba isthæc res quaspiam majoris momenti potissimum significant, tamen quæ dicuntur, continent etiam in seipsis quiddam populis utile, et moribus corrigendis accommodum. Refrenant enim mulierum lascivarum vitam, quæ habitu, aspectu, incessu, amictuque suam ad stuprum proclivitatem produnt. Cum enim ob corporis pulchritudinem ac elegantiam nimium sibi arrogantes, sese supra cæteras efferunt, fastu inani utuntur atque de re cito marcescente et evanescente gloriantur : deinde collum in sublime erectum ferunt, ut earum vultus valeant omnium oculis spectari. Nam quæ pudica est mulier et bene morata, defixis præ pudore in terram oculis, faciem habet deorsum demissam : quæ autem pulchritudinis suæ laqueo captare ac venari multos in animum induxit, incedit surrecto collo. « Et in nutibus oculorum. » Accusatio est in mulierem stuprum anhelantem conflata, cum videlicet ea oculis curiosis aspiciens, obtutibus suis impuritatem animæ declarat, atque subridens, meretricie oculis suis prolicit

[1] Hebr. xi, 37. — [2] Esaï. iii, 16.

ac provocat; dum aspectu ipso exitiosum quoddam virus jaculatur. Sane simile quiddam narrat rumor de basilisco, quem ferunt solo intuitu interficere spectatores. Jure igitur ac merito sententia isthæc adversus eas quæ arrecto collo, hoc est, inverecundo vultu, et in nutibus oculorum incedunt, indignationem præfert. Cæterum colli elatio indicat mulierem continentiæ jugo nequaquam subjici. Cum autem ita incedit, ut tunicam trahat, hicque incessus non secundum naturam, sed ad numerum inconcinnum dissolute ac studiosius perficiatur, id efferentis sese, et in deliciis viventis indicium est. Itaque ob eam rem « humiliabit Deus principes filias Sion. » Quoniam non sponte sua amplexæ sunt humilitatem, sed ambulaverunt collo elato; humiliabit, inquit, illarum duces, filias Sion. Licet etiamnum multis in locis videre Judæas mulieres, uniuscujusque pedibus illudentes, quæ hanc Prophetæ vocem minime revereantur. Atque utinam Ecclesiæ quoque filiabus hoc idem exprobrari non posset. Multæ enim tanquam catervatim in oculis eorum qui in diebus festis verbum divinum audituri accedunt; lætitiæ spiritualis ignaræ, inhonestis ludis vacant, ac in conviviis lascivis atque in ebrietate volutantur, nec admonitionem illam observant, quæ dicit : « oculi tui » recte videant : » nempe dum in obliquum detorquent oculos ac deflectunt; pravæ voluntatis argumentum ac specimen præbent. Multis autem locis in malam partem accepti sunt oculorum nutus, uti in Proverbiis observatum est de homine nequam : « Ipse autem innuit quidem » oculo, pede vero significat[1]. » Et rursus, « Qui innuit » oculo cum dolo, congregat viris tristitias.[2]. » Item illud : « Qui oderunt me gratis, et annuunt oculis[3]. » Quin et aliquando ad viros pertingunt istiusmodi cri-

[1] Prov. vi, 13. — [2] Prov. x, 10. — [3] Psal. xxxiv, 19.

mina, qui inferiores superbo quidem animo aspernantur, gestu vero supino habituque et superciliorum nictatione superbiam detegunt : qui et fastoso et elato gradu numerose incedentes, arrogantiam suam, vestibus ad malleolos usque demissis, declarant : quos tandem ad ludos immoderatos animum suum adjungentes manet intentata ruina, ipsos a celsitudine per humilitatem dejectura.

XXVI. « Et Dominus revelabit habitum earum[1]. » Hunc habitum superbum, ad intemperantiam omnemque impudicam cogitationem incautorum animis ingenerandam compositum revelabit Dominus, cum patefactis arcanis, carnis quidem auferentur integumenta, anima vero nuda et sola una cum turpitudinis operibus proferetur in medium[2]. Atque etiam in hoc sæculo ad eorum quibus istud contingit, utilitatem revelatur interdum habitus : ita ut rebus quæ antea multos latuerant, denudatis, atque peccatorum turpitudine ad plurimorum cognitionem perveniente, hi ipsi qui prius latitantes in malo persistebant, jam pudibundi convertantur ac resipiscant. Quamobrem fucatum simulatumque habitum revelare, munus Domini est. Quare si qui nostrum qui in dignitate et honore constituimur, vitam indecoram per simulationem contegunt, metuant eum qui nostrum habitum revelaturus est, atque cordium nostrorum consilia patefacturus[3], adeo ut pejores cogitationes in cujusque animo conceptæ ob omnium oculos ponantur. Circumdabunt enim unumquemque nostrum cogitationes ipsius[4]. Quin et actiones nos circumsistent, eæque suis notis insignitæ, pudorem probrumque æternum nobis inferentes, quandoquidem sermoni doctrinæque deprehendentur contrariæ : ita ut qui prædicat non furandum, is furti inveniatur reus : qui

[1] Esaï. III, 17. — [2] 1 Cor. IV, 5. — [3] Ibidem. — [4] Osee. VII, 2.

dicit non mœchandum, is suam cum adulteris portionem habere comperiatur : qui abominatur idola, idem non sibi temperet a sacrilegio[1]. Nihil enim occultum est, quod detegendum non sit : nihil absconditum quod revelandum non sit[2].

XXVII. « In die illa auferet Dominus gloriam vestimenti earum, et ornatum earum[3]. » Quandoquidem rebus quæ ad usum fuerant concessæ, utebantur contra decori rationem, « auferet Dominus gloriam vestimenti » earum, » quo in suum et occurrentium malum amiciebantur. Itaque omnem mulierem vestimenti cultu abutentem, eo spoliatum iri minitatur. Quoniam, inquit, incedebant etiam simul tunicas trahentes, quasi non uterentur vestimento, sed quæ abuterentur, ideo jussæ sunt vestimenti gloria privari. Aufert quidem et a nobis vestimenti gloriam, si eo deprehendimur indigne uti, illud conculcantes, atque carnalibus inquinamentis complentes. Hoc autem vestimentum quodnam est, nisi sanctorum indumentum, ipse Dominus noster Jesus Christus ? « Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum » induistis[4], » quem ab iis aufert Dominus, qui corpus proculcant per peccatum, et testamenti sanguinem pro polluto ac communi habent[5]. Indumenti hujus figura erant Israëlitici populi vestes, nequaquam detritæ, ut scriptum est in Deuteronomio : « Vestimenta vestra non » sunt detrita, et calceamenta in pedibus vestris non » sunt vetustate consumpta[6]. » Enimvero hæc etiam calceamenta symbola erant ac figura præparationis Evangelii pacis. Nam novum testamentum quod Jesus Christus tradidit, novum perseverat, nec est unquam antiquandum[7]. Nam quo magis hoc vestimento calceamentisque

[1] Psal. XLIX, 18. — [2] Luc. VIII, 17. — [3] Esaï. III, 18. — [4] Gal. III, 27. — [5] Hebr. X, 29. — [6] Deut. XXIX, 5. — [7] Ephes. VI, 15.

utimur, eo utraque fiunt recentiora, quandoquidem fide quæ in Christum est proficiente, præparatio Evangelii recens semper ac nova in nobis succedit. « Et cosymbos. » A mulieribus nimio cultu exornatis cosymbos etiam ablaturum se Dominus per Prophetam comminatur. Hoc autem « cosymbi » vocabulum non valde admodum græco usu est receptum, unde minime perspicua est illius intelligentia. Quia tamen in vestis pontificiæ apparatu tunicam cosymbis ornatam et malis punicis ac tintinnabulis instructam reperimus[1], « cosymbos » existimavimus quosdam esse fimbriarum nodos, una cum tintinnabulis aureis et malis punicis ab extremis vestimenti partibus dependentes, quos etiam filiæ Sion præ suo nimio luxu imitabantur in sui vestimenti ambitu. Quo pacto peculiarem vestium sacerdotalium prærogativam dedecorabant, cum circumferrent nodosa fimbriarum ornamenta ab ima vestis ora pendentia, eaque hyacinthina et coccinea.

XXVIII. « Et lunulas et monile demissum, et ornatum » faciei earum[2]. » Mundum muliebrem singulatim percurrit, atque id quod in hoc ornatu superfluum est, reprehendit. Auferet enim Dominus « et lunulas et » monile demissum. » Alius autem interpretatus est clarius pro lunulis dicens : « Et torques, » dicensque loco monilis demissi : « Et catenulas. » Lunula igitur aureum est ornamentum collo circumpositum, orbiculatim effectum, quod cum sibi adaptant mulieres, student collum nudum palam ostendere, et ea quæ convenientius tegerentur, impudenter denudare. At « monile demissum, » quidam mundus est, et ipse quidem demissus, et ad pectus usque descendens, levibus ac laxatis quibusdam catenulis dependens; qui ut omnibus sit conspicuus, pectus

[1] Exod. XXVIII, 33. — [2] Esaï. III, 18, 19.

decenter tegi non posse omnino necesse est. « Et ornatum » faciei earum. » Sunt et colores quidam a mulieribus ad decorandam faciem valde exquisiti, albus, rubens, et alius niger. Albus albitudinem ementitur corporis : rubens in genis efflorescit : niger in modum lunæ in cornua curvatæ circum oculos supercilia depingit : quem ipsum etiam Dominus ablaturum se interminatur. Hæc quidem dicit, ne virorum circumveniatur continentia, neve ejusmodi picturis miserabiles oculi juvenum corripiantur. Alioqui tunc auferentur isthæc, cum omnia coram judice sistentur nuda et aperta : quandoquidem concidet supercilium, gena præ se feret tristitiam, color lividus erit præ timore. Itaque et ornatum aufert Dominus. « Et » compositionem ornatus gloriæ, » materiam videlicet ornatui inservientem ipsaque artis opera ac inventa. Et quoniam ne uno quidem ornatu licet usque adeo efferri, aut ejus causa inflari, at omnibus tamen simul junctis cogitatio superba accedit, Dominus minitatur se etiam ornatus compositionem ablaturum. Qualis autem est ornatus, talis est utique et gloria de eo nata. Atqui corporis ornatus vanus est et inanis : proinde gloria quoque ex illo emergens, interitura est, nec subsistere potest.


XXIX. « Et chlidones, et armillas, et reticula[1]. » Totus quidem qui recensitus est mundus, mulieris deliciis deditæ studium est, hoc est, voluptariæ ac gaudio indulgentis : potissimum tamen « chlidones » quod conveniant nomine cum voluptate, hinc fortasse brachiis circumponebantur. Armillæ autem sunt quæ in manuum extremitate aptabantur omnibus spectandæ. Aliquando tamen in bonam partem acceptæ sunt armillæ; exempli causa, cum senior domus sanctam Rebeccam exornaret[2]. Siquidem par erat illam utpote Patriarchæ contubernio

[1] Esaï. III, 19. — [2] Gen. XXIV, 22.

usuram, ab eo cujus opera erat despondenda, in antecessum practicam mentis dotem erudiri. Quapropter armillis aureis, id est, eximiis actionibus manus ipsius condecorabat. Decem vero aureorum erat pondus earum[1], quod capitibus decem tota legis observatio concluditur[2]. « Et » inaures » singularum drachmarum pondus habentes, quia fide unum Deum profitente par est obedientiam exornari. Hic tamen adimuntur armillæ, propterea quod gloriarentur de earum ornatu. Uno verbo hisce verbis edocemur eum qui ob præstantiores quibus dotatus est facultates effertur, a custodia se conservante destitui. Videtur autem « reticulum » ornatus quidam fuisse capillis intertextus, ut eximio suo colore capillis colorem excitaret. Hæc autem parvipendat nemo. Nos enim non sumus Spiritu sancto graviores, ut voces in Scriptura positas perscrutari fastidiamus. Didicimus enim in canticis, reticulum quoque sponsæ quæ laudabatur, commendatum fuisse. « Nam caput tuum, » inquit, « sicut Carmelus, et reticulum capitis tui ut pur» pura[3]. »

XXX. « Et inaures et annulos[4]. » Novimus quidem inaurium usum in Rebeccæ sponsalibus fuisse laudatum. Quod erat argumento documenta eidem domum Abrahæ ingressæ de rerum spiritualium veritate tradenda esse. At inaures fuisse sæpe condemnatas deprehendimus. Primo quidem id ex hoc liquet, quod cum mulieres essent ascensuræ in Bethel, eas jussit Jacob inaures una cum diis alienis ablegare[5]. Nam idololatria et inaurium usus erant impedimento, ne ascenderent in domum Domini : quippe si Bethel interpreteris, sonat domum Dei. Deinde Aaron in Exodo populi seditione ad conflandum

[1] Gen. XXIV, 22. — [2] Deut. X, 4. — [3] Cant. VII, 5. — [4] Esaï. III 20, 21. — [5] Gen. XXXV, 24.



idolum adactus, inaures tanquam materiam faciendis rebus prohibitis idoneam delegit. « Abstulerunt » enim, inquit, « omnis populus inaures aureas quæ in auribus » earum erant, et attulerunt ad Aaron, et formavit illas » vitulum fusilem[1]. » Quin et Gedeon postquam ex Ismaelitarum spoliis inaures a populo accepit, « fecit » eas in Ephod, et statuit illud in civitate. Et fornicatus » est omnis Israël post illud illic, et factum est Gedeoni » et domui ejus in scandalum[2]. » Atque inaures isthæc nunc dantur crimini, quod animus filiarum Sion inde efferretur. « Et prætextas, et vestes ex media parte pur- » pureas[3]. » Vestium ornamentum quod a mulieribus gloriam ex his aucupantibus adhibetur, tanquam superfluum perstringit. Aliquando quidem illæ purpuram attexebant ad extremum, aliquando vero parti mediæ eam inserebant. Cæterum doli fallaciæque figura purpura est quæ nativum colorem tegat, proprium vero florem in medium proferat, haud aliter atque illi, qui in speciem læta sunt fronte, intus vero malum occultant. Quod sane fugiendum est, sive extremum vitæ, sive medium occupet. Quare et « prætextas purpureas » Scriptura rejicit,

XXXI. « Et indumenta quæ sunt per domum, et pel- » lucida Laconica[4]. » Immodicam luxus deliciarumque copiam declarat hæc sententia, dum ait recondita domi indumenta præ nimia tenuitate esse pellucida. Sumptus enim ad ostentationem factus, pro scopo gratiam hominum ac benevolentiam sibi proponit. Cum autem quis etiam nemine spectante, privatim domi degens, pellucidis vestibus amicitur, id rerum nostro usui concessarum abusum perquam immodicum esse ostendit. Itaque indumenta Lacænarum imitabantur, quæ cum inter

[1] Exod. XXXII, 2. — [2] Jud. VIII, 27. — [3] Esaï. III, 21. — [4] Ibid. 22.

saltandum plane nudari nolint, tanquam id sit indecorum; lineam vestem quam tenuissime contextam induunt, per quam objiciant spectanda, quæ virorum oculis non conspici oportebat. « Et byssina, et hyacin-» thina, et byssum, cum auro et hyacintho intertexta[1]. » Jam vero immodestam vitam agentes et præ immodico luxu sanctis insultantes filiæ Sion, etiam vestem circumferebant similitudine ad indumentum sacerdotale accedentem[2]: vestimenta scilicet byssina et hyacinthina gerebant, qualibus ceu symbolis elementorum ex quibus omnia constant, induti sacerdotes, introibant in sancta seorsum, Deo pro mundo supplicaturi. Byssus quidem pro terra, hyacinthus pro aëre, purpura pro aqua, coccinum pro igne ponitur. Hæ autem mulieres harumce rerum ornatu non contentæ, ad varietatem efficiendam et ad majorem ostendendam magnificentiam, aurum cum iis contexuerunt. « Et theristra accubitoria. » Theristrum videtur esse indumentum æstivum : ita ut et tegere videretur, nec tamen in æstu gravaret. Quemad modum et in Genesi didicimus Rebeccam obviam Isaac euntem[3], theristro fuisse indutam. Quæ autem nunc Scriptura vituperat, vocantur theristra; quæ videlicet ad discumbendum præ nimio voluptatis studio lectis insternebantur. Sed dictionem hanc « tataclita » ne reddidere quidem interpretes alii. Quapropter tanquam quæ nullum sensum exhiberet, notata obelo est.

XXXII. « Et erit pro odore suavi pulvis : et pro zona » funiculo cingeris, et pro ornatu capitis aureo calvi-» tium habebis propter opera tua[4]. » Pars voluptatis suavitas est odorum, quandoquidem incensis quibusdam unguentis inficiunt aërem, suavemque sibi halitum reddunt. His igitur mulieribus voluptate perfusis et odorem

[1] Esaï. III, 23. — [2] Exod. XXVIII, 5. — [3] Gen. XXXVIII, 14. — [4] Esaï. III, 24.

jucundum olfactui accersentibus, ab eo qui minas intentat, pulvis retribuetur. Pulvis autem est tenuis terra, aëri commixta, quæ dum meatus obstruit, quamdam respirandi difficultatem et molestiam multam creat. Et quidem unguentis ac suffitu delectatur anima, sed unguentis spiritualibus; cujusmodi erat qui dicebat : « Christi bonus odor sumus. » Et, « Gratia Deo qui » odorem notitiæ suæ manifestat in omni loco[1]. » Odore ejusmodi fragrante Isaac Jacobi pater recreabatur : « Ecce » odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit » Dominus,[2]. » Quin et in Cantico adolescentulæ cælestem gratumque Verbi odorem sentientes, dicebant : « In » odorem unguentorum tuorum curremus[3]. » Sed et pontificium chrisma, unguentum erat bonum et oblectans[4], dignum quod fratrum concordiæ compararetur[5]. Ejusmodi unguentum indiget artifice, qui accipiat a Deo artem unguentariam, ut chrisma sanctum conficiat, quod in carnem hominis nequaquam ascendet. Quando igitur suavitas odoris instigat ad libidinem, meatus sensui inserviens oppilatur pulvere, quod fit Domini hæc eis largientis beneficio[6]. Fortasse autem, quod in templo erant odorum condimenta, unctionis videlicet unguentum, et compositionis thymiama[7]; dirutum autem est templum, jacetque nunc in pulvere, eversum et humi dejectum, pro grato odore juxta legalem cultum olim fragrante nunc pulvis est, ob eas animas, quæ erecto et intractabili collo ambulavere, quibus dictum est : « Ecce » relinquitur vobis domus vestra deserta[8]. » Attamen si voluerint, licet eis, excusso pulvere, suavi Christi odore compleri, secundum admonitionem ejus qui dicit :

[1] 2 Cor. II, 15 et 14. — [2] Gen. XXVII, 27. — [3] Cant. I, 3. — [4] Exod. XXX, 25. — [5] Psal. CXXXII, 2. — [6] Exod. XXX, 32. — [7] Ibid. 11. — [8] Luc. XIII, 35.

« Excute pulverem tuum, et surge Jerusalem : et induere » gloriam brachii tui[1]. »

XXXIII. « Et pro zona funiculo cingeris[2]. » Qui quidem secundum Deum cinctus est, ejus lumbus in veritate cingitur. Ejusmodi erat Petrus, qui expandebat manus, et ad bellum pro Christo sustinendum ab iis accingebatur, qui eum ad mortem usque causa testimonii veritatis provocabant. Sanctus itaque circumcingitur virtute. « Deus » enim, » inquit, « qui circumcingit me virtute[3]. » At zonam hanc qui perdidit, cingitur vinculo peccatorum suorum, quod « catenis peccatorum suorum unusquisque » constringitur[4]. » Quorum delictorum symbolum erat flagellum illud e funiculis contextum, quo expulsi sunt e templo ii qui sancta profanabant[5]. Ostendebat enim Dominus proprios peccatorum nexus ceu flagella unicuique inesse, et suis quemque peccatorum funiculis se circumplectentibus flagellari. « Pro ornatu autem capitis » aureo, calvitium habebis propter opera tua[6]. » Quemadmodum illæ præ nimia rerum ad odoratum attinentium sollicitudine requirentes quæ erant præter naturam, ab his quæ ex natura sunt, exciderunt; haud enim aëris simplicis aspiratione contentæ, sed unguentis suffimentisque eum imbuentes, postmodum ne aërem quidem purum, sed pulvere permixtum spiritu duxerunt : hunc ad modum proptereaquod in nativo capillorum ornatu, mulieribus pro velamine dato, non permansere[7] : sed reticulis quibusdam capillos implicantes, ad fastidium usque se ipsæ adornabant, ornamento etiam naturali spoliatæ sunt; atque amissis crinibus (quo ornatu ceu proprio nativoque ab ipsa natura vestitæ mulieres sunt) eædem factæ sunt spectaculum fœdissimum. Etenim si

[1] Esaï. LII, 1 et 2. — [2] Id. III, 24. — [3] Psal. XVII, 35. — [4] Prov. V, 22. — [5] Joan. II, 15. — [6] Esaï. III, 24. — [7] 1. Cor. XI, 15.

fœdum est mulieri tonderi aut radi[1] : quanto utique fœdius fuerit ipsam deturpari calvitio : quod tamen eis quæ sua venustate male utuntur, deformitatem utiliter inducit? « Pro tunica autem clavatæ purpuræ circumcingeris » sacco[2]. » Id quoque sancit Dominus in commodum earum quæ suum decorem ostentant, hancque fieri jubet permutationem : quandoquidem vestis purpurea mollitiei et jactantiæ materia est et occasio : saccus vero contritionis humilitatisque comparandæ facultatem præbet. Et qui purpura indutus est, abjicere se in terram, Deumque adorare fastidit; cavetque ornatui, ne scilicet vestis suæ color deformetur : qui vero amictus est sacco omnem locum sibi ad adorandum idoneum esse ducit.

XXXIV. « Et filius tuus pulcherrimus quem dilexisti, » gladio cadet[3]. » Præstiterit iis qui pravis moribus essent informandi, præripi morte ante adolescentiam quam diutius educatione mala a parentibus imbui. Habebas igitur filium, aut corpore pulcherrimum, aut qui maternis oculis talis esse videretur. Hic in ipsa juventute et in ætatis flore morietur. Et hinc malum augetur, quod nequaquam morte sponte proveniente, aut naturali, sed violenta sublatus e medio est, utpote per manum hostilem gladio sauciatus. « Et fortes vestri gladio cadent[4]. » Et hæc dum patietur, ne ulciscendi quidem facultas ei suppetet. Nam ulcisci interfectos, eisque qui mœrorem conficiunt, vices rependere, in malis solatium est. At ne hoc quidem penes te erit. Qui enim ætate vigent, morituri sunt in bello omnes, adeo ut relinquenda sit ætas inutilis sola et imbellis, quæ cum auxilio sit destituta, ad omnia mala toleranda valde est exposita, quæ ei inferre visum fuerit hostibus. « Et humiliabuntur et luge» bunt thecæ ornatus vestri[5]. » Thecæ auri et argenti,

[1] 1. Cor. xi, 6. — [2] Esaï. iii, 24. — [3] Ibid. 25. — [4] Ibid. — [5] Ibid. 26.

vestisque sumptuosæ et pretiosorum lapidum, quamdiu supellectili pretiosa replentur, studio multo atque diligentia asservantur, seponunturque in tutis ædium partibus et in excelsis locis. Atque adhibentur vectes, claves, sigilla, custodes, ac tandem omnia, quæ ad munimen et custodiam sunt excogitata. Sed postquam capsæ istæ supellectili sunt exinanitæ, jam neglectæ et derelictæ, contemptui habentur. Hæc et nobis prosint : quippe eæ animæ quæ verbi divini donum acceperunt, pretiosarum rerum factæ sunt apothecæ, dignæ utique quæ in divinis thesauris recondantur. Cum autem deprehensæ fuerint divinis ornamentis vacuæ, humiliabuntur utpote abjectæ, et de inutilitate damnatæ. Eam ob rem inutilis, inquit, factus est Jechonias, sicut vas cujus nullus est usus[1]. Itaque ut maneamus in regalibus apothecis, pretiosam hanc margaritam nobis concreditam furibus ne prodamus.

CAPUT IV.

I. « Et apprehendent septem mulieres hominem » unum, dicentes, panem nostrum manducabimus, et » vestimentis nostris operiemur : cæterum nomen tuum » vocetur super nos : aufer opprobrium a nobis[2]. » Ad litteram quod attinet, sententia isthæc virorum paucitatem quæ in populo ex bellis aut morbis ob Dei iram contigerat, videtur significare. Itaque ne qua infœcunda aut sterilis esset, quod utrumque apud veteres maledicto fuit obnoxium[3], mulieres plures omni pudore posito apprehendunt virum unum, atque molestiam quam ei

[1] Jerem. xxii, 28. — [2] Esaï. iv, 1. — [3] Deut. vii, 14.

illud in plures mulieres regimen exhibere potuisset, solaturæ, dicunt : « Panem nostrum manducabimus, et » vestimentis nostris operiemur. » Ea igitur sollicitudine quæ ad quæstum faciendum necessaria est, omissa, nomen tuum nobis commoda; ut solitudinis nostræ probrum effugiamus et dedecus. Hæc est utique nativa et propria verborum significatio : sensus autem figuratus ad majora investiganda mentem nostram invitat. Quemadmodum igitur si versaremur in loco quem conspicere vix possis, quemque tenebræ multæ operiant ob obscuritatem; aliquid ejusmodi de his septem mulieribus cogitamus; nimirum quod et vita hæc, et is qui secundum carnem est Israël per septenarium numerum plerumque designentur. Tempus quidem in rebus initio creandis insumptum significatur[1], quia septena dierum conversione ac circuitione completur. Unde et æternitas statum hunc secutura, in Scriptura dicta est « Octava. » Hinc Psalmi pro « octava[2], » id est, pro sæculo huic tempori successuro. Sed et qui in manifesto sunt Judæi[3], et ipsorum regimen sæpe de septenario numero accipiuntur. « Da, » inquit, « partem ipsis septem, et » quidem ipsis octo[4]. » Nam testamentum tum vetus, tum novum testimonium accipere debent, quod veniant a Deo, unamque mutuam societatem ineant ac concordiam. Itaque mulieres septem adumbrant vetus testamentum. Apprehendet hominem unum, Dominum, qui non unus est ex multis, sed tamen unus est. Dicunt, « Panem nostrum comedemus; » hoc est, in nostro substantiæ modo manebimus. Etenim futurorum erimus umbra, cælestiumque imagines[5]. Vocetur duntaxat nomen Christi in veteri testamento, ut inutilitatis oppro-

[1] Gen. II, 2. — [2] Psal. VI, 11. — [3] Rom. II, 28. — [4] Eccl. XI, 2. — [5] Coloss. II, 17.

brium auferatur[1]. Sed et Israëlis synagoga, ea qua detinebatur lege destructa, jam libera facta[2], et cui velit nupta, potest vocari non adultera, tametsi ad Sponsum Verbum accedit, eique veluti amatorio complexu adhærescens valet dicere : « Nomen tuum vocetur super » nos. »

II. Dictum autem est a quibusdam mulieres septem, septem esse spiritus, quos paulo post enumeraturus est ille ipse propheta, tanquam requieturos super eum, qui ex radice Jesse[3] ceu flos erat erupturus : Spiritum inquam sapientiæ et intellectus, spiritum consilii et fortitudinis, spiritum scientiæ et pietatis, spiritum timoris Dei[4]. Qui quidem spiritus propterea quod declinarent omnes, simulque fierent inutiles[5], nec haberent in quo amanter requiescerent, apprehendunt Domini hominem, ac ea quæ sunt scripta, implent. Nam spiritus scientiæ et pietatis vacat et otiosus manet tum, cum non est qui intelligat, aut exquirat Deum[6]. Atque id virtutibus quasi probro est et dedecori, neminem reperiri qui eas amplectatur, sed eas, anima quæ ipsas suscipiat deficiente, esse tanquam viduas. Quia enim sua ipsarum pulchritudine capere neminem possunt, sed permanent in solitudine, per hoc et virtutes ipsæ quasi perstringi videntur. Qui autem in se ipso omne virtutis genus summe et perfectissime erat demonstraturus, is aufert ab eis opprobrium et ignominiam. Et quoniam ab iis etiam qui Deum ignorabant, scientiam, intelligentiam, consilium, fortitudinem, sapientiam, pietatemque excoli compertum est, postulant Christi nomen super se invocari.

III. « In die autem illa splendescet Dominus in consilio

[1] Cor. VII, 39. — [2] Rom. VII, 3. — [3] Esaï. XI, 1. — [4] Ibid. 2. — [5] Psal. XIII, 3. — [6] Ibid. 2.

» cum gloria super terram, ut exaltet et glorificet, quod » derelictum est ex Israël[1]. » Isthæc cum iis quæ superius tradita sunt, concinunt. Quem enim mulieres septem apprehenderunt uti virum, ille effulgebit tanquam Dominus. Nam quia nomen ipsius super se vocari desideravere, Deus desiderium earum comprobans, illucescet ipsis in consilio cum gloria super terram; hoc est, certo judicio et consilio, non inconsulte aut effuse id quod ex judicio bonum est tribuens. Dies autem ipsa est, in qua fulgebit Deus in consilio cum gloria. Dies est ipsa, quam facit ipse Sol justitiæ, Dominus noster, qui hoc de se ipso docet, se, quamdiu est in mundo, mundi esse lucem : quocirca admonebat, ut operarentur donec dies est[2]. Adnotandum autem est juxta aliam et aliam notionem, diem dici etiam præsentem vitam, noctem vero, judicii diem. Et rursus nox quidem, præsens est status : dies vero, illud quod speratur sæculum. Nam illud, operamini donec dies est, clare ad hanc vitam refert utpote Christi cognitione illustratam : hoc autem, «venit nox,» dictum est de futuro sæculo, quod ob eorum qui in peccatis deprehenduntur mœstitiam ac laborem, sic appellatum est. Quemadmodum et propheta eos compellat, qui licet in operibus flagitiosis versarentur, nihilominus tamen diem remunerationis urgebant. « Ut quid, » inquit, « vobis dies Domini? Et ipsa est tenebræ, et non » lux[3]. » Rursus autem et Apostolus noctem quidem vocat hanc vitam ob tumultum ipsius et perturbationem, itemque ob tenebras plerumque a carne et a sæculi hujus sollicitudinibus menti offusas : diem vero vocat resurrectionis tempus, cum dicit : « Nox progressa est, dies autem » appropinquavit[4]. » Itaque utravis significatione acceperis, illucescet Deus in consilio cum gloria super ter-

[1] Esaï. IV, 2. — [2] Joan. IX, 4. — [3] Amos. V, 18. — [4] Rom. XIII, 12.

ram. Quoniam igitur cum consilio illucescit, nosmetipsos reddamus dignos, qui ejus splendorem suscipiamus : sicut qui singulis prout idonei sunt, fulgorem suum largitur, pro majori animæ nostræ studio dona etiam majora perfectioraque subministret. « Et exaltabit quod derelic» tum est ex Israël [1] : » hoc est, reliquias Israëlis secundum electionem gratiæ, supra terrena et crassa attollet, atque ad rerum incorporearum provehet contemplationem. Quod si gloriam qua afficiendi sunt sancti, discere cupis juxta Scripturæ placitum : excogita, quæso, sacrum illum statum, in quo mens animusque eorum qui magna ac divina contemplantur, consistit [2]. Qualis erat Moysis status tum cum dignus habitus est, qui Deum conspiceret. Quoniam igitur affulgebit Deus in consilio cum gloria, his duobus duo adjunxit; nimirum « ut exal» tet, et glorificet : » quo intelligas munus esse consilii exaltare : gloriæ vero, glorificare.

IV. « Et erit, quod reliquum fuerit in Sion, et quod » relictum fuerit in Jerusalem, sancti vocabuntur omnes » scripti ad vitam in Jerusalem [3]. » Reliquiæ Israëlis secundum electionem gratiæ, vocabuntur sancti, et conscribentur ad vitam in Jerusalem, illustrati Dei adventu, et gloria ipsius exaltati. Sancti vocabuntur hi, quos sibi ipsi reliquit Deus, quod imitati sint eos qui non curvaverunt genu ante Baal [4]. Quanam autem ratione alios quidem in Sion, alios vero in Jerusalem? Quia in iis qui ad salutem pertingunt, discrimen est : quandoquidem unusquisque in suo ordine bonis a Deo paratis fruiturus est, eorumque futurus est particeps [5]. Sed quoniam pauci sunt qui salutem consequantur [6]; non plurali, sed singulari numero sensum reddidit Scriptura.

[1] Rom. XI, 5. — [2] Exod. XXXIII, 14 et 23. — [3] Esaï. IV, 3. — [4] Rom. XI, 4. — [5] I. Cor. XV, 23. — [6] Matth. XX, 16.

Non enim dixit : « qui fuere relicti ; » sed, « quod relic« tum est. » Id autem quod derelictum est in Sion, videtur ordo esse deterior, veluti dimissus ab iis qui in anteriora festinant : qui autem ordo perfectior est, pro operum merito sedem in ipsa Jerusalem videtur obtinuisse. Quin et historia ipsa suggerit nobis ordinum differentiam, ex eo quod Sion civitas vetus sit et deterior : Jerusalem vero, regia civitas sit, in qua viget sanctimonia. Certe hi omnes scribentur ad vitam in Jerusalem, atque beatus est quisquis habebitur dignus, qui conscribatur in Jerusalem. Etenim viventium librum in quo scripti sunt Christi discipuli, in illa Jerusalem reperiri condecet. « Gaudete enim, » inquit, « quod nomina vestra » scripta sunt in cœlis[1]. » Quoniam autem verbis his, « Scripti in Jerusalem, » adjungitur illud, « In vitam : » necessarium fuerit scire utrum sint quidam, qui scribantur quidem, sed non ad vitam juxta Jeremiam dicentem : « Qui recesserunt, in terra scribantur [2]. » Itaque juxta hunc sensum duæ intelligi possunt descriptiones : una quidem eorum est qui ad vitam, altera autem eorum qui scribuntur ad perditionem. Atque sæpe contingit scripturæ permutatio, uti cum a virtute ad malitiam dilabimur. Nam verba hæc : « Deleantur de libro viven» tium, et cum justis non scribantur [3], » item isthæc : « Dele et me de libro tuo [4], » dicuntur de quibusdam tanquam jam digni essent habiti qui in Dei libro conscriberentur.

V. « Quia abluet Dominus sordes filiorum, et filiarum » Sion, et sanguinem Jerusalem purgabit ex medio eorum » in spiritu judicii, et in spiritu combustionis[5]. » Verba hæc idem perspicue prænuntiant, quod Joannes de

[1] Luc. x, 20. — [2] Jerem. xvii, 13. — [3] Psal. lxviii, 29. — [4] Exod. xxxii, 32. — [5] Esaï. iv, 4.

Domino dixit : « Ipse est qui vos baptizabit in Spiritu » sancto et igne[1] : » de se ipso autem ait : « Ego quidem vos baptizo in aqua » in pœnitentiam[2]. Quoniam igitur utrumque conjunxit Dominus, illud, « Ex aqua » in pœnitentiam : item illud, « Ex Spiritu » in regenerationem, etiam baptisma utrumque designat Scriptura. Equidem haud scio an tres sint baptismatis acceptiones, expurgatio sordium, regeneratio per spiritum, et ea quæ in igne judicii fit probatio : adeo ut ablutio quidem de ea peccati depositione quæ hoc tempore fit, accipiatur : hæ vero dictiones « spiritu judicii et spiritu com» bustionis, » ad probationem per ignem in futuro sæculo exigendam referantur. Sed admissa per ignorantiam peccata, cum sint veluti sordes quædam, quæ animæ superficiem corrumpunt, ejusque nativam deformant pulchritudinem, expurgatione quæ per lavationem accessura sit indigent. Quæ vero ad mortem ducunt peccata, eorum, qui post acceptam cognitionem voluntarie delinquunt, sanguis vocantur, ac ustionis judicio egent. Quisquis igitur confitetur, seque ablui postulat et expurgari, fatetur suam quidem iniquitatem lotura, peccatum vero expurgatione indigere, cum ait : « Amplius lava me ab » iniquitate mea, et a peccato meo munda me[3]. » Qui certe de divinis documentis nihil omnino audivere, si priusquam verbum discerent, peccavere, ii uti sordibus operti indigent ut per aquam purgentur : qui vero post acceptam vitam sibi ipsi insidiantes, reddunt se sanguini obnoxios, necesse est hos purgari per ignem. Quin et illud simplicius potest explicari. Siquidem sita in superficie delicta similia sunt sordibus quibusdam : peccata vero ex delinquentium affectu in malum propendenti alte impressa, sanguini comparantur. Quapropter

[1] Joan. I, 33. — [2] Ibid. 26. — [3] Psal. L, 4.

expurgandus dicitur sanguis de medio etiam eorum qui peccavere per spiritus ustionem

VI. « Et veniet, et erit omnis locus montis Sion, et » omnia quæ in circuitu ejus sunt, obumbrabit nubes per » diem, et tanquam fumo, et tanquam luce ardente » per noctem, omni gloria protegetur. Et erit in umbram » ab æstu, et in protectionem, et in absconsionem ab » asperitate, et pluvia[1].» Postquam facta purgatio est per lavacrum, et post expurgationem quæ fit per pœnitentiam, tempus, inquit, veniet, cum locus omnis cum monte Sion necessitudinem affinitatemque habebit; hoc est, erit sublimis, ac dignus idoneusque efficietur, ex quo spectentur cælestia. Posteaquam apprehenderint virum mulieres septem, et illuxerit Dominus cum gloria in consilio, ut exaltet et gloria afficiat reliquias Israëlis; cumque sordibus filiarum Sion ablutis, ac sanguine de medio eorum expurgato, sancti vocati fuerint, tum ea quæ in circuitu Jerusalem sunt, obumbrabit nubes per diem; ita ut umbram suppeditet ad coërcendum æstum, protegatque ab asperitate ac pluvia; et lux accensa occupet noctem, sitque gloria quasi fumus quidam qui omnia apprehendit. Arbitramur autem hæc promitti iis qui requie fuerint digni. Nam cum in domo Patris mansiones multæ sint [2], diversæque conditionum distributiones reserventur in illa hæreditatis terra, quam possessuri mites sunt[3], compertum est aliquos quidem in splendore visionis Dei, aliquos vero sub tegmine cælestium virtutum requieturos, alios denique in gloria ex illa luce quasi ex fumo resiliente occultatum iri. Fortasse autem ipsi Sion lux affulgebit, atque loca ei circumjecta per diem illustrabit nubes, quæ non aliunde quam ab ipso lumine suum ortum trahit. Quemadmodum fumus ab

[1] Esaï. IV, 4, 5. — [2] Joan. XIV, 2. — [3] Matth. V, 4.

igne, ita a lumine habet existentiam nubes, sub qua qui degent, magna sunt fruituri gloria, quod ab ipsa nube illustrentur, quæ in æstu quidem se expendit supra capita eorum, eisque sua umbra gratam affert oblectationem : decidentibus vero asperis imbribus, vicem supplet densi ac solidi umbraculi, et magnopere protegit eos, qui opus habent quodam latibulo, et sua ipsius densitate obtutus arcet. Ejusmodi erat nubes lucida, quæ in Domini transfiguratione discipulos obvolvit[1]. Cum autem nubis quies ac velut concretio signum sit serenitatis; ejus qui tunc erit status tranquillitatem per ipsius nubis umbraculum indicat. Equidem ut adhuc clarius percipiamus quid sit illud, « In absconsionem velamenti » esse, » induci aliquo ejusmodi exemplo possumus. Sit unus aliquis qui ab adversariis quæratur, sed custodiatur a familiaribus suis in cubiculo quodam inventu perquam difficili. Sane consimile quiddam erga sanctum a divina illa nube ipsum protegente effici putandum est, ne facile in illum invadere possint inimici. Dicta sunto istnæc, ut dilucidius cognoscatur auxilium iis qui in circuitu Sion versantur traditum eo consilio, ut eos interdiu obumbret nubes, qua ab æstu protegantur, utque noctu lux ignis accendatur, eos illustratura, atque adeo utroque tempore ab insidiantibus tuti sint et securi.

CAPUT V.

I. « Cantabo dilecto canticum dilecti mei, vineæ » meæ[2]. » Cantica omnia lætiorem rerum statum videntur complecti. Quæ in Exodo reperitur ode, canticum

[1] Matth. xvii, 5. — [2] Esaï. v, 1.

est ob partam victoriam compositum : « Cantemus » Domino : gloriose enim magnificatus est [1]. » Canticum Canticorum nuptiale est carmen, dramatico opere pertextum. Hîc autem scriptura minas continet, ex justo Dei judicio in vineam intentatas. Numquid autem illa ipsa tremenda quæ intentantur, quod in bonum finem referantur, convenienter relata sunt inter cantica? Quæ autem persona canticum illud pronuntiat Spiritus sanctus est, qui vineæ dilectæ carmen canit. Hoc autem dilecti canticum est. Quis vero natura carissimus, nisi Unigenitus, illud ipsum bonum, quod appetunt omnia : cujus amor in animis omnium qui sunt ratione præditi, naturali ineffabilique modo est impressus? Quoniam igitur juxta Domini vocem, Paracletus ab Unigenito accipit omnia, et annuntiat nobis [2], hoc canticum ait dilecti esse, tanquam ab ipso acceptum. Eadem autem ode vineæ olim dilectæ, canticum est, si pœniteat : sed si in peccato persistat, fit lamentum et væ; quemadmodum in Ezechiele didicimus scriptum fuisse in eodem libro « carmen, lamentum, et væ [3]. » Quin et Domini sermo ad vitam æternam et ad bonorum cælestium fruitionem invitans, carmen erat; quod animas ad numerosum concinnumque motum et ad operationem virtuti consentaneam excitabat. At vero Joannis prædicatio, qua inobsequentes convertebantur ad pænitentiam, erat lamentatio, quæ ad salutem conferendam mœrorem haud pœnitendum pariebat [4]. Judæi autem præ cordis duritia neque verbis benignioribus comperiebantur ad vitam provocari, neque austerioribus ad pœnitentiam adduci. Atque adeo canticum quod in manibus est, tum priscæ illius generositatis et ejus quam Deus pro ipsis gessit curæ laudem complectitur, tum præsentem eorum malitiam

[1] Exod. xv, 1. — [2] Joan. xvi, 14. — [3] Ezech. ii, 9. — [4] 2. Cor. vii, 10.

exhibet, et infligenda mala comminatur. Neque tamen illa populum inobsequentem ad propriam dignitatem revocant : neque hæc ipsum compescere aut prudentiorem reddere potuerunt.

II. Sumit autem exordium ab antiquæ nobilitatis laudibus. « Vinea facta est dilecto in cornu, in loco pin- » gui [1]. » Vineam dicit populum Israëliticum. «Vineam» enim, inquit, « de Ægypto transtulisti [2]. » Et in Jeremia probrum infertur populo per eamdem similitudinem. » Ego autem plantavi te vineam fructiferam totam » veram. Quomodo conversa es in amaritudinem vitis » aliena [3] ? In cornu, in loco pingui. » De terra loquitur ab Israëlitico populo occupata, patribus eorum juxta Dei promissionem data [4]. « In cornu, in loco pingui. » Summa laus est paucis comprehensa. Cornu est altius firmiusque reliquo omni corpore : quod simul ornamentum affert capiti, et simul loco est armorum ad propulsandas injurias idoneorum. Sed siccum est et exsuccum : unde animalium cornigerorum catuli non ad matris cornu feruntur, sed nemine docente mammam requirunt, locum videlicet humidum ac pinguem. Cum igitur Scriptura doceat Judæorum regionem ad utrumque idoneam esse ac sufficientem, tum ad tuendos eos ab hostibus, tum ad incolas alendos, utrumque simul junxit, « in » cornu, in loco pingui, » hoc est, et in terra solida, et in qua plurimum est alimenti. Jam vero sunt qui dum sententiam hanc interpretantur, attingant intelligentiam reconditiorem. Nimirum sicut cornutorum animalium caput in ipsorum ortu primum erumpit, ultimum tamen absolvitur, atque tum demum enascentibus cornibus sero ornamentum suum recipit : ita et Israël qui primus gentium omnium ad Dei accitus est familiaritatem ac bene-

[1] Esaï. v, 1. — [2] Psal. LXIX, 9. — [3] Jerem. II, 21. — [4] Gen. XII, 7.

volentiam, « Factus est » enim, inquit, « populus Domini, » pars ejus, funiculus hæreditatis ejus Israël [1] » post omnes perfectionem suam consummationemque est consecuturus. Nam ubi plenitudo gentium introierit, tunc omnis Israël salvus fiet [2].

III. Ejusmodi autem fama obtinuit, quæ per traditionem non scriptam in Ecclesia servatur, nimirum Judæam primum habitatorem Adam habuisse, qui postquam e paradiso ejectus fuisset [3] in ea sedem posuit, bonorum eorum quibus exutus fuerat jacturam mitigaturus. Itaque excepit etiam prima mortuum hominem, cum Adam ibi mulctæ satisfecerit. Quamobrem os capitis nudatum carne quæ defluxerat, illius ætatis hominibus novum ac insolens spectaculum esse videbatur. Et quia in hoc loco deposuere calvariam, Calvariæ locum appellarunt [4]. Verisimile autem est Noë sepulcrum ducis mortalium omnium haud ignorasse, adeo ut post diluvium rumor iste ab ipso divulgatus sit. Eam ob causam Dominus mortis humanæ primitias perscrutatus, in memorato Calvariæ loco necem pertulit, ut quo in loco hominum interitus initium accepit, inde regni vita originem suam traheret, et quemadmodum mors invaluit in Adam, ita in Christi morte infirmaretur [5]. Quapropter et « In cornu, » veluti arma ad vim hostis propulsandam idonea habente, crucem videlicet Christi : et « Pingui, » veluti primas post paradisum inter omnes regiones quæ sub sole sunt, obtinenti.

IV. « Et sepem circumposui, et vallavi, et plantavi » vineam Sorech : et ædificavi turrim in medio ejus, et » protorcular fodi in ea [6]. » Non admodum cum natura rerum cohæret sententiæ series. Prius enim plantatur

[1] Deut. xxxii, 9. — [2] Rom. xi, 25. — [3] Gen. iii, 23. — [4] Matth. xxvii, 33. — [5] 1. Cor. xv, 22. — [6] Esaï. v, 2.

vinea, quam valletur : siquidem pedamenta viti sunt auxilio, ad fructus e terra erigendos. Cæteroqui numquid agricola providus, ubi omnia ad primum apparatum attinentia adornavit, tum demum plantare aggreditur? Quocirca primo circumsepit, deinde vallat, postea plantat vineam non qualemcumque, sed « Sorech, » quam vocem Symmachus interpretatur « electam. » Quænam est igitur sepes, nisi illa utique præcepta quæ ante dedit populo, quam eum in terram possidendam induceret [1]? Deinde eis a Deo tradita facultas est, qua superarent hostes, ac gentes quæ illic prius habitaverant, penitus tollerent[2]. Quod ipsum vallos appellavit, quod hos sublimes efficerent ac conspicuos, fructus levantes ne caderent, et ne ullo modo ad prædam essent expositi. Secundum hoc sequitur plantatio electorum, ut pote qui prodierint ex semine Abraham, Isaac, et Jacob electorum Dei. Turris autem in medio vineæ ædificata, utique est templum in media Judæa collocatum : protorcular vero ipsa est Judæorum Synagoga : quandoquidem torcular proprie dicitur Dei Ecclesia, ex cœtu undelibet convocato adornata, cujus gratia Psaltes epilenia cantica cecinit [3]. Quinetiam protorcular, præparatio est per legem exhibita, et antecedens quædam pietatis exercitatio. Et quidem torcular est, quatenus adducit ad unitatem : protorcular vero, quatenus præparat ad perfectiora. « Expectavi ut faceret uvam : fecit autem spi- » nas. » Conveniebat plantationi huic electæ, tantaque cura excultæ, ut dulces ederet fructus. Enimvero ab Abrahæ filiis Abrahæ opera repetuntur [4]. Sed pro expectata uva spinas fecit, hoc est, cum exhilarare et recreare debuisset eos qui accedunt, eosdem pungere, lancinare ac cruentare parata est. Quem enim prophetarum

[1] Exod. xx. — [2] Num. xxi, 3. — [3] Psal. viii, et lxxx. — [4] Joan. viii, 39.

non occiderunt, juxta evangelicam parabolam[1]? Meo quidem judicio non accusantur solum quod spinas fecerint per suam ad cædem proclivitatem; sed quod Deum amare desinentes, voluptatem magis amavere, ac vitæ hujus curis tanquam spinis animum suffocarint[2]. Quemadmodum autem spina non fert uvam, ita nec sarmentum spinas producit. Eam ob rem ait Dominus : « Numquid » colligunt de spinis uvas[3]? » Judæi tamen pro uvis proferunt spinas.

V. « Et nunc homo Juda et habitatores Jerusalem judi- » cate inter me, et inter vineam meam[4]. » Si Domini vinea domus Israël est, et homo Juda novella planta dilecta, quomodo coram vinea adversus vineam lis intenditur? Numquid vult scriptura ob evidentiam objurgationum atque perspicuitatem, eos adversum se ipsos adhibere judices? Fecit et hoc Nathan adversum David tum, cum eum constituit propriæ iniquitatis judicem[5]. Illud autem summan ostendit benignitatem, quod Deus cum famulis suis pari conditione in judicium venit. Quin et simul hinc demonstratur justitia, quod qui condemnantur, juris evidentiæ ac perspicuitati contradicere non possint. « Judicate, » inquit, « inter me » et vineam meam. » Et dicite quid factum non sit eorum, quæ huic conducere poterant ad proferendos fructus? « Quid » enim, inquit, « faciam vineæ meæ, et non » feci ei[6]? » Quid non præstiti eorum, quæ mihi ad eam curandam facere me decebat? Nonne pinguis locus est, idemque munitissimus? Nonne sepes, nonne valli, annon plantatio perquam eximia, annon turris, annon protorcular adhibita sunt? Nonne factum est quidquid quis in medium potest proferre? Cæterum putandum est

[1] Matth. xxiii, 37. — [2] Luc. viii, 14. — [3] Matth. vii, 16. — [4] Esaï. v, 3. — [5] 2. Reg. xii, 5. — [6] Esaï. v, 4.

scripturam hæc adversum nos etiam dicere : qui ad edendos justitiæ fructus vocati [1], incidimus præ nimio divitiarum studio in tentationem laqueumque et insulsas atque noxias cupiditates, quæ demergunt homines in exitium et interitum [2]. « Expectavi ut faceret uvam, fecit autem » spinas [3]. » Operæ pretium fuit eamdem repetere sententiam. Etenim qui superiore loco pronuntiabat canticum, dicebat : « Expectavi ut faceret uvam : » hîc vero eos alloquitur coram quibus judicatur : « Judicate inter » me et inter vineam meam. » Nimirum ferte judicium de hoc, « Expectavi ut faceret uvam, fecit autem » spinas. »

VI. « Nunc autem annuntiabo vobis quid faciam vineæ » meæ [4]. » Proprium est ejus quod Deus in homines habet studii, nequaquam silentio pœnas irrogare : sed eas prænuntiare, ut pote qui per minas peccatores provocet ad pœnitentiam : qua agendi ratione usus est erga Ninivitas Jonæ opera [5]. Nec tacite exitium perniciemque induxit Israëli peccanti : sed famulum suum ad fundendas pro populo preces excitans, his verbis prædixit : « Et nunc dimitte me; et delebo populum hunc [6]. » Rursus simile quiddam in evangelio etiam per parabolam a ficu sumptam sumus edocti; quippe dominus ejus dicit agricolæ : « Ecce anni tres sunt ex quo venio ad hanc » ficum, quærens fructum in ea, et non invenio : suc» cide illam. Ut quid etiam terram occupat [7]? » Hoc autem dicebat, tum ut agricolam incitaret ad eam accurandam, tum ut animam infructuosam ad producendos fructus sibi convenientes extimularet. Quod autem dicimus, id licuerit manifestius deprehendere apud Jeremiam. « Ecce » enim, inquit, « sicut lutum figuli, sic

[1] Jac. III, 18. — [2] 1. Tim. VI, 9. — [3] Esaï. V, 4. — [4] Ibid. 5. — [5] Jon. III, 4. — [6] Exod. XXXII, 10. — [7] Luc. XIII, 7.

» estis vos in manibus meis, domus Israël, dicit Domi-
» nus. Ad summam loquar super gentem aut super
» regnum, ut auferam illos, et disperdam : et converte-
» tur gens illa a malis suis, et pœnitebit me malorum
» quæ cogitaveram facere eis. Et ad summam loquar
» super gentem et super regnum, ad reædificandum et
» plantandum, et facient mala coram me non audiendo
» vocem meam; et pœnitebit me bonorum quæ locutus
» fueram, ut facerem eis[1].» Ad hunc igitur modum etiam hîc accipimus hanc prædictionem, non velut rei certo eventuræ denuntiationem, sed ceu comminationem ejus qui a peccato avocat. Quid igitur est, quod interminatur?

VII. « Auferam sepem ejus, et erit in direptionem.
» Et diruam maceriam ejus, et erit in conculcationem.
» Et dimittam vineam meam, et non putabitur, neque
» fodietur, et crescet in ea tanquam in inculta terra spi-
» na[2]. Et nubibus mandabo ne pluant super eam, plu-
» viam. Nam vinea Domini, domus Israël est : est homo
» Juda, novella plantatio dilecta. Expectavi ut faceret
» judicium, fecit autem iniquitatem, et non justitiam,
» sed clamorem[3].» Itaque resumptis expensisque singulis comminationibus, et earum sensu diligenter explorato, perscrutemur utrum quæ dicuntur nos etiam attingant? « Auferam, » inquit, « sepem ejus. » Par est sepem hanc, præcepta legalia aut Israëlem interpretari juxta Pauli ad Ephesios epistolam, dicentis : « Ipse est qui medium
» parietem maceriæ solvit, legem mandatorum decretis
» evacuans[4]. » Nam idem ille paries medius et Israël custodire, et permistionem conjunctionemque populorum impedire videbatur, quod reformidarent ob grave legis jugum pietatis sermonem excipere. Qui igitur in decretis, hoc est, in altis sublimibusque contemplatio-

[1] Jerem. XVIII, et seq. — [2] Esaï. v, 6. — [3] Ibid. 7. — [4] Eph. II, 14.

nibus carneam et humilem legalis litteræ observationem abrogavit, is medium parietem maceriæ solvit, non quod populum suum dereliquerit absque circummunitione, sed quod in uno ovili illum incluserit, ut fiat unus grex, unus pastor [1]. Nunc igitur scriptura minatur Deum maceriam esse diruturum; id est, munimentum omne ab Israële ablaturum [2]. Et fortasse cum per angelos in manu mediatoris data lex sit, ipsam etiam custodiam angelorum terminos Israëlis tuentium sublaturum se indicat. Fortassis etiam cum unusquisque nostrum qui habeat sanctum angelum castrametantem in circuitu timentium Dominum, in peccatis versatus, intentatæ huic plagæ futurus est obnoxius; et muro privabitur, tutela videlicet sanctarum virtutum, quæ quidem quamdiu affuerint, eos quos ipsæ custodiunt, inexpugnabiles servant. Anima autem omnis quæ hoc præsidio destituitur, objicitur hostibus ad direptionem, hoc est, adversariis virtutibus, et ad conculcationem ejus qui gloriabundus dicit : « Postquam perambulavi terram, adsum [3]. » Tale quiddam et psalmus de vinea dicit : « Ut quid destru- » xisti maceriam ejus? » Et, « Devastavit eam aper de » silva [4]. » Qui enim consilio et virtute angelorum communiti non sunt, ii stolidis absurdisque commotionibus exponuntur, suntque excipiendis porcis idonei ob peccati graveolentiam in ipsis redundantem, cum magis ac magis peccati cœnum commoveant, seseque in eo volutent. Aliquid etiam ejusmodi narrat Apostolus : « Et sicut » non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit » illos Deus in passiones ignominiæ; ut faciant ea quæ » non conveniunt [5]. » Hoc est, qui rationis custodiam rejiciunt, ii patent belluinis cogitationibus et dæmonibus

[1] Joan. x, 16. — [2] Gal. iii, 19. — [3] Job. i, 7. — [4] Psal. lxxix, 13 et 14. — [5] Rom. i, 28 et 26.

improbis, qui ipsis eis auctores sunt impuritatis. Et quidem pertigit ad Israël comminatio tum, cum ob peccatum adversus Dominum admissum traditi gentibus, eisque permissi, facti sunt in direptionem atque in conculcationem hostium.

VIII. Deinde ait : « Et diruam maceriam ejus et erit » in conculcationem[1]. » Collata a se in populum beneficia superius cum recenseret; aiebat : « Sepem circumposui, » et ædificavi turrim : » hîc vero, « Auferam sepem ejus, » et diruam murum, » pro turri, ut puto, dicens murum : quoniam turris muris quatuor inter se per angulos conjunctis constat; ita ut illic altus murorum vineæ ambitus per turrim sit intelligendus, ut inaccessa esset hostibus atque inexpugnabilis. Quin et evertitur murus noster cum per socordiam ignaviamque reddiderimus nos tutela divinorum dogmatum indignos. Deus quidem justo turris est a facie inimici[2] : sed a peccatore ob derelictionem omnis custodia et totius arcis propugnaculum aufertur. « Et dimittam vineam meam, et non putabitur, neque » fodietur[3]. » Liquet inde eorum qui peccant dimissionem fieri per derelictionem. Ait enim Scriptura de iis quibus providet : « Non te deseram, neque te derelinquo[4] : » e contrario de quibus prorsus desperat, hos ad carnis et cogitationum suarum desideria explenda liberos dimittit[5], quod eis profutura non sit animadversio. « Dimittam igi- » tur, » inquit, « vineam. » Ecquid ei posthac contingit? « Non, » inquit, « putabitur, neque fodietur » amplius. » Quemadmodum enim qui vitem putant, astringunt continentque ejus virtutem, sic ut necessaria profundens, certa temperatione et moderate procedat : ita et anima afflictionibus incurvata, quasi contrahitur, humiliaturque utiliter, et ad curam sui ipsius habendam

[1] Esaï. v, 5. — [2] Psal. LX, 4. — [3] Esaï. v, 6. — [4] Jos. I, 5. — [5] Rom. XIII, 14.

revocatur, ut quæ in rebus peragendis id quod utile est conducibile, eligat. E diverso, quæ dimissa est libera, perinde atque vinea quæpiam neglecta, eluxuriatur : seque in res vanas et inutiles effundit, atque omnia sua opera ostentat, quo plures in errorem pelliciat. Qui enim opera patrat corruptioni obnoxia, is vineæ consimilis est, ligna, folia et capreolos enutrienti, vinum autem non producenti, quod jucunditatem creet, quodque possit in regalibus apothecis recondi.

IX. Vinea igitur derelicta, mala duo patitur; « neque » putatur, » inquit, « neque foditur. » Dictum est quid sit non putari, hoc est, calamitatibus minime vexari, id quod ad utilitatem eorum qui afflictantur, decernitur. Qui autem omni materia sibi circumposita uti docetur ad suum ipsius commodum, is foditur. Exempli causa, dives cujus anima rerum terrenarum pondere premitur, et ad quem non dilabitur cælestis pluvia, fossus non est. Neque enim imber ob multam vanitatem in anima congestam ad radicem usque pertingit. Quisquis autem ex sermone contritioni ciendæ idoneo didicit terrestrium fluxarumque rerum turbam exuere; ab angustia et a coarctatione respirare, occulta sua detegere, amaritudinis radices evertere ac veluti per pœnitentiam arefacere, is fossus est. Quare et impeditur fusio spinarum et accretio, hoc est, locum nullum habituræ sunt hujus vitæ sollicitudines in terrenorum eversione. Insuper ad explicandum quid sit, « non putari, » assumendum est quoque id quod dictum est in Joannis evangelio. « Ego sum » vitis vera : et Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollit, et omnem » qui fert fructum purgat eum, ut fructum copiosiorem » afferat[1]. » Malus igitur rei familiaris administrator ait :

[1] Joan, xv, 1.

« Fodere non valeo [1] : » bonus autem ac prudens rei familiaris administrator scite circumfodiet, hoc est, sua omnia emovebit, atque principali suæ vitæ accommodabit. Ostendit nimirum quod quemadmodum terra quæ ab radice solvitur, fit plantæ alimentum, et ea quæ ei incumbit, comprimit illam et degravat : sic et opum exuperantia divitibus incumbens, eorum animas demergit, alienata vero a possessoribus, et indigentibus distributa, tunc eorum fit propria. Sed ex eo quod neque putata vinea sit, neque fossa, consequens est ut in ea tanquam in terra inculta crescant spinæ. Servator noster eos qui sese hujus vitæ curis ac sollicitudinibus implicant, ait esse terram spinas producentem, quæ quidem excipit verbi fructum, sed illum spinis suffocat [2]. Itaque ingens curarum turma invadit in animam incultam. Eam ob causam ait : « Crescent in ea tanquam in inculta » terra, spinæ [3]. »

X. Observa autem Prophetam superius quidem dixisse : « Expectavi ut faceret uvam : fecit autem spinas : » hîc vero addidit : « Et crescent. » Etenim magnam quamdam malitiam, et illius fusionem late serpentem indicat Scriptura, per spinarum ascensum accretionemque. Deinde quoniam prava sunt vineæ germina, ab ea tollitur pluvia : quandoquidem ejus, ut par erat, adjumento usa non est. Quare et nos cum occasione nobis a Deo data non ad bonum utimur, nobis adimitur cæleste præsidium. Quod si Israël vinea est, manet inculta, non solum quod domino non attulerit fructus sibi congruentes, sed quod servos prius ad se missos cæciderit, obruerit lapidibus et occiderit, ac postremo in ipsum heri filium manus ad necem injecerit [4]. Fuerunt autem spina-

[1] Luc. xvi, 3. — [2] Id. viii, 14. — [3] Esaï. v, 6. — [4] Matth. xxi, 35.

rum nomine insignitæ hæ omnes pravæ et injustæ actiones, quæ terræ maledictæ fœtus cum sint [1], jure ac merito nubes in vineam talia proferentem non pluere jussæ sunt. Ecquæ tandem nubes, ecquis imber? Conemur physicis rationibus ad nubes spectantibus ad eorum quæ dicta sunt, intelligentiam pertingere. Est igitur nubes aër crassus ex humidis vaporibus e terra excitatis constans, dein sursum ventis evectus, simul atque eorum ope in justum acervum congregatus est; et ex humore sibi insperso gravitas sufficiens accessit, tunc in terram guttatim labitur. Hæc quidem est imbrium natura, qui suam originem trahunt a terra, ac iterum per aëra in terram delabuntur. Ejusmodi erant et prophetæ, qui a communi quidem natura oriundi, sed propter animæ puritatem virtute spiritus in sublime erecti, animabus bonis et frugiferis vitalium verborum guttas instillabant. Talis erat Moyses, dicens : « Expectetur ut pluvia, elo» quium meum. » Et rursus : « quasi imber super gra» men, et quasi pluvia nivalis in herbam [2]. » Præcipitur itaque cælestibus istis virtutibus, ne in vineam spiniferam pluant, quæ Dominum meum suis spinis coronavit. Quare in synagoga illa nunc siletur Dei verbum; nec est amplius propheta, neque princeps, neque dux [3] : sed sudum grave, nubibus nullis obductum : quippe pronuntiata olim adversus eam maledictio confirmatur. Nimirum, « Et erit tibi cælum super caput tuum, » æneum : et terra sub te ferrea [4]. » Et rursus, « Det » Dominus pluviam terræ tuæ pulverem : et pulvis e » cælo descendet super te, quoadusque attriverit te [5]. » Non enim amplius extant nubes spirituales : neque amplius reperitur propheta : siquidem firme ac constan-

[1] Gen. III, 18. — [2] Deut. XXXII, 2. — [3] Dan. III, 38. — [4] Deut. XXVIII, 23. — [5] Ibid.

ter servatur Domini præceptum. Etsi nubes pluere dicuntur, nihilominus tamen qui pluit, Dominus est. Non est enim, ait propheta, qui pluat, sicut tu. Et iterum de persona Dei dictum est : « Et pluam super unam civita-» tem : super unam autem civitatem non pluam : pars » una irrigabitur : et pars super quam non pluero, ares-» cet [1]. » Sanxit nimirum Deus bonus, ne irrigetur deteriorum pars, ut in ea germina exarefiant malitiæ. Perspicue sensum exhibuit dicti hujus, nempe vineam Israëlem vocari, cui et quæ prænuntiata sunt et prædicta, eventura esse minitatus est.

XI. « Et homo Juda, novella planta dilecta. » Appellatio Jacob dispertita est in Israëlem et Judam. Nam primum quidem Davide post Saülis mortem regnante divisus est populus in filium Saülis et ipsum David[2] : postea vero sub Roboam, quo tempore Jeroboam filius Nabat, quo auctore peccavit Israël, tribus decem ad defectionem impulit [3]. Quare etiamnum duplicem sortitur appellationem. Constat autem ex quarto Regnorum libro amplius peccasse Israëlem, unde citius quoque deductus est in captivitatem [4]. Et in Ezechiele, pro peccatis Israël, nonaginta tres dies numerantur [5] : pro Judæ vero peccatis, quadraginta [6]. Quapropter et hîc spinifera quidem vinea domus Israël est : at Judæ domus, homo, non vinea, sed novella planta, nequaquam inculta, sed dilecta. Quisnam vero sit homo ille ex Juda oriundus, vita florenti præditus ac vere dilectus, facile cognosci potest a quovis, qui talia contemplari noverit. « Expec-» tavi ut faceret judicium : fecit autem iniquitatem, et » non justitiam, sed clamorem [7]. » Cum juxta Salomonem, « cogitationes justorum sint judicia [8], » exigitur a

[1] Amos. IV, 7. — [2] 2. Reg. II, 10. — [3] 3. Reg. XII, 20. — [4] 4. Reg. XVII, 6 et 18. — [5] Ezech. IV, 5. — [6] Ibid. 6. — [7] Esaï. V, 7. — [8] Prov. XII, 5.

nobis, ut cum judicio faciamus omnia, nihil vero citra judicium. Et quidem vitam sine judicio et inconsiderate actam comitantur iniquitates. Nam qui minime sequitur rectam rationem, nec judicat quid agendum sit, aut non agendum ex data legis regula, is patrat iniquitatem : nec facit justitiam, sed clamoris, tumultusque et confusionis est auctor. Quamobrem quies eorum qui judicantur, judicia justa sequitur, cum ea quæ decreta sunt, constanti tranquilloque animo excipiant : contra, clamor tumultusque seditiosus eorum qui ob injustitiam indignantur, judicia injusta comitatur. Ad hunc autem clamorem quod attinet, Apostolus etiam admonet, dicens : « Omnis clamor et tumultus tollatur a vobis cum » omni malitia [1]. » Est autem et clamor bonus, qualem stans in templo Christus emisit [2]; quali usus est et David, cum diceret : « Voce mea ad Dominum clamavi [3]. » Nec quidquam est miri, si idem nomen ad res contrarias designandas sit usurpatum, si videlicet modo tumultuosum quidpiam et turbulentum significet, modo vero altam magnamque cælestium dogmatum vocem. Profecto in præsenti dictione clamor cum eo qui a Sodomis et Gomorrha ascendit [4], affinitatem habet.

XII. « Væ, qui conjungunt domum cum domo, et » agrum ad agrum admovent, ut a proximo auferant » aliquid. Numquid habitabitis soli super terram ? » Audita enim sunt hæc in auribus Domini Sabaoth. » Nam si fuerint domus multæ; in desertum erunt, » magnæ et pulchræ, et non erunt qui habitent in eis. » Ubi enim operantur decem juga boum, faciet lagun» culam unam. Et qui seminat artabas sex, faciet men» suras tres [5]. » Deflentur nunc ii, qui plura concupis-

[1] Ephes. IV, 31. — [2] Joan. VII, 37. — [3] Psal. CXLI, 2. — [4] Gen. XIX, 13. — [5] Esaï. V, 8. — 10.

centes, quæ sunt proximorum, resecant : qui neque suis prædiis ruri sitis neque suis facultatibus domi reconditis contenti, sed in agris metandis vicinorum fines invadentes, suosque transgredientes, et interclusas vicinorum domos sibi ascribentes, inexplebili sua avaritia in angustum coacti, in suis sese finibus continere minime possunt : quin et specioso illo prætextu ad exsatiandam suam avaritiam abutuntur, quod vicinorum prædia ut pote contigua, et suis conjuncta, sui ipsorum juris esse videantur. Quibus Scriptura obsistit verbis perquam objurgatoriis cum ait : « Numquid habitabitis soli super » terram ? » Si enim a vicino terram quam colit, ideo æquum est auferri, quod tibi contigua sit : profecto eo ejecto, comperietur rursum alter tibi vicinus esse. Atque denuo avarum cor tibi suggeret, ut hoc idem etiam adversus illum dicas : suadet scilicet, fore, ut fiat aliquid rationi consonum, si tibi terram finitimam vindices. Postquam autem abierit ille, bonis suis spoliatus, et tertii ager possessionis tuæ partem effecerit : iterum adest vicinus alius : jam nascuntur aliæ curæ, quomodo illum quidem a suis prædiis abigas, ac quarti hujus finitimi bona tibi assumas. Quem ergo finem huic tuæ cupiditati plura habendi impositurus es? Etenim cor avarum igni consimile esse videtur per accensam materiam evaganti, alia quidem depascenti et corrumpenti, in alia vero involanti ac insilienti. Profecto sicut materiæ inopia incendium extinguit : ita et cor immodica cupiditate acquirendi flagrans, oculusque inexplebilis eo duntaxat coërcetur, quod neminem habeat suis possessionibus confinem. Itaque scriptura morbo huic remedium eminus afferens, animum divitiarum cupidum veluti carmine demulcens, profert isthæc : « Numquid habitabitis soli » super terram ? »

XIII. Etenim si quæ sunt vicini concupiscas, vicinus autem non sit utique tibi defuturus, necesse omnino fuerit ut ad terræ hujus nostræ habitabilis extrema pertingas. Quod si id fieri non potest, tuam ipsius ad malum proclivitatem, priori tuo consilio fotam reprime, o homo, iis quæ accepisti, contentus : iis quæ possides, immorans : præsertim cum noveris magnas illas ædes, quod per injustitiam constructæ sunt, destitui habitatoribus; amplamque regionem, quæ ex avaritia circum jaceat, infructuosam non raro ostendi. Nam justitia divina sæpe futurum illud judicium anticipat, jamque domos inique comparatas nullius frugis reddit, et licet prius ab habitatoribus multis frequentarentur, splendidaque opum copia replerentur, desertas inhospitasque efficit. Novimus sane integras familias non raro fuisse penitus e medio sublatas : ita ut deficientibus successoribus, in terram ruerent magnificæ illæ ac superbæ ædificiorum structuræ. Imo etiam quicumque usurpatis proximorum agris, limites possessionum suarum plus æquo extenderunt, eo quod possessiones illæ non sine gemitibus eorum qui injuria afficiebantur, fuerant acquisitæ, facti sunt omnino a divina benedictione alieni. Unde ubi decem boum juga araverant, vix laguncula una vindemiabitur, et ubi sex artabæ fuerant seminatæ, vix tres fructuum mensuræ colligentur : quæ seminum pars est minima.

XIV Et quidem sententia isthæc ex se multum habet utilitatis. Sed quivis si studiosus est et laborum patiens, ex hac prophetia juxta mysticum et reconditum sensum considerata emolumentum majus percipere potest. Etenim per uniuscujusque domum dogmata actionesque possunt intelligi ob densum adunatumque artificium, quod in opinionibus de unoquoque dogmate habitis reperitur.

Eam ob causam quemadmodum in domo fundamentum reliquæ structuræ supponitur : ita et in dogmatibus quædam bases sunt ac principia prima, quibus innixi dogmata sua disseminant; et quæ sequuntur, ordine et conjunctim principiis primis connectunt. Quicumque igitur fidei dogma, quod pro fundamento ac principio habet Dominum nostrum Jesum Christum, cum dogmatibus alienis et a pietate remotis consociant, ii sunt qui per Scripturam deflentur ceu rem indecoram peragentes, quippe qui domum domui conjungant. Quod enim pietatis dogmata domus appellata sint, Dominus ipse per parabolam nos edocuit, dicens : « Omnis qui audit verba » mea hæc et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui » ædificavit domum suam supra petram [1]. » Sed et Paulus nos in priore ad Corinthios epistola docere videtur, quemlibet eorum qui in Christum crediderunt, sibi ipsi ædificare domum. « Fundamentum enim aliud, » inquit, « nemo potest ponere præter id quod positum est, quod » est Jesus Christus. Siquis autem superædificat super » fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretio- » sos, ligna, fœnum, stipulam [2]. » Quoniam autem ex iis qui dogmata concinnant, alii quidem risu et ludibrio digna sentientes rem ædificant veluti ludicram et deridiculam, alii vero honestiores, res serias ac laudabiles struunt. Michæas domos eorum qui ridiculos se præbent, demoliens, ait : « Qui in Geth, ne magnificemini : et qui » in Acarim, nolite reædificare ex domo in derisum ves- » trum [3]. » Et rursus ille ipse pravos doctores increpans, dicit : « Audite nunc hæc duces domus Jacob, et reliqui » domus Israël : qui abominamini judicium, et omnia » recta pervertitis : qui ædificatis Sion in sanguinibus, » et Jerusalem in iniquitatibus [4]. » Quisquis enim dog-

[1] Matth. VII, 24. — [2] I. Cor. III, 11. — [3] Mich. I, 10. — [4] Id. III, 9.

mata aliena comminiscitur, ædificat Sion, hoc est, suam ipsius speculam, « in sanguinibus : » et qui constituit ecclesiam maligne agentium, ille extruit Jerusalem in injustitiis. Itaque si duo sunt ædificiorum genera : alterum quidem bonum, in petra et in Christi fundamento stabilitum, alterum vero malum, et irrisionem afferat et perniciem, jure optimo eos luget Scriptura, qui domum bonam cum deteriore conjungunt, et quodammodo quæ non possunt permisceri, permiscent. Velim autem animadvertas num omnes homines qualiacumque de veritate dogmata tradiderint, ex cogitationibus quibusdam sanis et veris, iisque juxta communes notiones præconceptis, sibique ab opifice rerum inspersis domum pulchram habentes, cum a veritate aberrantes ex errore externo aliquid a divina doctrina alienum et abhorrens promunt, animadvertas, inquam, num veluti domui pulchræ deteriorem adjungant. Et hæc quidem dicta sunto de domus vocabulo.

XV Quoniam autem sanctus non Dei solum ædificatio est, sed Dei etiam agricultura[1], uti beatus Paulus ait : et quoniam eadem anima fundata est ceu domus, ac radicata tanquam planta : « In caritate » enim, inquit, « radicati et fundati [2] » agedum etiam de agri ad agrum admotione disseramus; quam qui malitiose et cum errore præstant, subjectæ mulctæ fiunt obnoxii. Quæcumque igitur de agricolatione sunt dicta, ut pote iis quæ ad manum sunt confinia, simul excutiamus. Sane elegans est et proba plantatio, illa scilicet Salomonis, qui ait : « Plantavi mihi vineam : feci mihi hortos et pomaria, » et plantavi in eis lignum omne fructus [3]. » Contra, plantatio quædam est, quam non plantavit pater cælestis, quæ et eradicatur juxta Domini comminationem [4].

[1] 1. Cor. III, 9. — [2] Eph. III, 17. — [3] Eccl. II, 4. — [4] Matth. XV, 13.

Hæc autem plantatio habet vitem ex Sodomorum plantario consitam, et palmitem ex Gomorrha exportatum : profert itidem uvam fellis, atque suis possessoribus racemum edit amaritudinis. « Furor draconum vinum » eorum, et furor aspidum insanabilis [1]. » Qui igitur mentem suam omni plantatione fructus omnis generis ferenti, eaque spiritali consevit, atque in facultates naturales quæ in ipso a Conditore ad fructus justitiæ proferendos radicatæ sunt, injecit nequissimi agricolæ semina, hic ipse est, qui ob interdictam agri ad agrum admotionem, miser a Scriptura prædicatur. Quapropter ei etiam interminatur sterilitatem, ut qui fructuum specimina doctrina sibi traditæ convenientia editurus non sit. « Ubi enim arant decem juga boum, faciet lagunculam unam[2].» Littera quidem patriam Phœnicum consuetudinem docet, qui cum bobus arant vineam : sensus vero eos indicat, qui in utramque propendent partem, ac contraria amplectuntur dogmata, et alterum alteri connectunt : quorum animæ infructuosæ sunt ac steriles.

XVI. « Væ iis, qui mane surgunt, et siceram persequuntur, qui expectant vesperam : vinum enim comburet eos [3]. Nam cum cithara, et psalterio, et tympanis et tibiis vinum bibunt : opera vero Domini non » respiciunt, et opera manuum ejus non considerant [4]. » Apostolici dicti explanationem illa ipsa prophetiæ pars continet : nam illic, inquit, « Ebriosi regnum Dei non » possidebunt [5]. » Hîc autem : « Væ iis qui mane sur- » gunt, et siceram persequuntur [6]. » Etenim potionem quamlibet quæ temulentiam facere potest, siceram vocare solent Hebræi. Itaque qui juxta Proverbium mox

[1] Deut. XXXII, 32. — [2] Esaï. V, 10. — [3] Ibid. 11. — [4] Ibid. 12. — [5] 1. Cor. VI, 10. — [6] Prov. XXIII, 31.

adveniente die, ad pocula et phialas conjiciunt suos oculos, circumspectantque ubi fiant compotationes, et circumferunt oculos in tabernas ac cauponas, quique sese invicem ad compotandum deducentes, omne animi studium sollicitudinemque in ejusmodi curis consumunt, ii deflentur a Propheta. Hi quidem nullum sibi tempus reservant ad mira Dei opera consideranda, neque ad cælum neque ad ejus decorem suspiciendum oculis suis otium suppeditant, ut ex eorum ornatu perveniant ad Conditoris cognitionem [1] : sed tapetibus diversis et floridis peripetasmatibus adornant convivii locum, atque inane quoddam studium vanamque diligentiam in parandis poculis adhibent. Quippe vasa refrigerando vino accommoda, rhyta, phialas, poculum hederaceum, crateres, et alia id genus nomina ac figuras pro ebrietatis apparatu fingunt atque comminiscuntur : quasi hæc vasorum varietas ab eis removeret satietatem, et immutatio poculorum diversitasque, idoneam ad bibendum exercitationem ipsis præberet. Deinde vicissim sibi invicem propinantes atque potus certamen instituentes, quem modum ad suam ipsorum ignominiam prætermittunt? Victi, victores, inebriantur omnes.

XVII. Præterea autem sunt qui præsint conviviis : sunt et principes pincernarum et architriclini, et in re inordinata ordo est, et quædam in re incomposita compositio. Obruuntur vino præfecti, ministri vino merguntur. Complentur omnia risoribus et temulentis, spectaculum oculis christianorum miserandum. Postea vero, quemadmodum in dominiis mundanis potentiam auget satellitum gravitas : ita etiam temulentiæ tanquam reginæ obsequium quoddam in orbem præstantes, cultu impensiore dedecus ejus obtegunt. Ad hæc coronæ, flores

[1] Sap. XIII, 5.

in convivio conspersi, unguenta, thymiamata et innumera quædam oblectamenta extrinsecus adhibita homines perditos magis exercent, eisque supplicium æternum præsenti hilaritati haud impar accersunt. Deinde convivio longius progrediente, tibiæ, citharæque et tympana præparantur : quæ re quidem ipsa lugent perituros, sed ex ebriosorum instituto eo spectant ut sint oblectationi, per hanc modulationem omnes in se suscitent animi voluptates : quasi cupiditatum turmis in misera potoris anima excitandis proprius vini calor satis non esset. Imo vero, ut omnes eorum sensus præstigiis voluptatum decepti detineantur : aures tibiarum concentu demulcentur, olfactus suffimentis odoramentisque completur : os subservit transeunti vino : vident oculi quæ fiunt ; vel potius sensus vigore ac acumine per ebrietatem ablato, aliter ac sunt vident. Quapropter dictum est : « Væ iis qui mane surgunt, et siceram per» sequuntur : qui exspectant vesperam, » et totos dies in his versantur, ita ut nullum sibi servent tempus ad opera Domini perspicienda et ad opera manuum ejus intelligenda. Ecquando enim de Deo possent edoceri ? Mane ? Sed simul atque e somno suscitati sunt, siceram persequuntur. Num media die ? Sed tum vel maxime inter illos augentur ac invalescunt compotationes. Numquid vespere ? sed adhuc bibunt : et dies quidem illos deficit, nec tamen ipsos deserit ebrietas. Maxime autem per noctem tanquam ad ipsos peculiari jure attinentem, dediti compotationibus sunt.

XVIII. « Væ » igitur « iis qui mane surgunt, et sice» ram persequuntur : qui expectant vesperam[1]. » Dein Propheta declarat cur possint convivio immorari. « Vinum enim eos comburet. » Causam affert cur eis insit

[1] Esaï. v, 11.

inexplebilis bibendi libido. Nimirum postquam, inquit, multum sit meri infusum, cum in corpus calorem majorem inducat, nativum potatoris humorem torrefacit. Deinde, opinor, cum ipsum sibi ipsi fit incitamentum, vinum quod præcessit, ingredienti locum ampliorem parat. Quemadmodum autem torrentium alvei videntur esse pleni, intereadum unda effluit : posteaquam vero pertransierit, sicci, lapidosi et aridi permanent : sic etiam temulentorum corpora per nimium vinum excavata et effossa exsiccantur, atque ad se humorem naturalem trahunt. « Qui expectant vesperam, » ob hanc causam, inquit, expectant vesperam : « Vinum enim » eos comburet. » Ille autem ignis, qui a vino excitatur, in carnem introductus, accendit ignita jacula inimici [1]. Vinum enim rationem submergit et mentem; itemque cupiditates ac voluptates inflammat, perinde atque oleum flammam accendit. Unde verba isthæc, « vinum eos com» buret, » non accipimus solum pro bibendi aviditate, sed pro reliqua etiam corporis inflammatione. Subinde Scriptura ineptiam stoliditatemque majorem exhibens, progreditur : « Nam cum cithara, » inquit, « et psalte» rio et tympanis et tibiis vinum bibunt [2]. » Enimvero juvenes quidam citharistæ animo malo cum oculis ebrietatem anhelantibus irrumpentes, tibicinæque et fidicinæ flagitiose formam colentes, chori insuper ac concentus improborum quorumdam, quorum corpora ob intemperantiam fracta sunt et enervata, communi illa modulatione emollientes animos, ad omnem turpitudinem voluptatemque iniquam hosce temulentos provocant. Quid autem inde evenit ? ut opera Domini non respiciant, et opera manuum ejus non considerent. Jam vero verbum illud « respicere » rerum quidem visibilium per-

[1] Ephes. VI, 16. — [2] Esaï. V, 12.

ceptionem per oculos transmissam indicat : hoc vero, « considerare, » eam quam mens assequitur contemplationem exhibet. Quoniam igitur « Invisibilia Dei a crea-» tura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta, conspi-» ciuntur [1]; » is qui non respicit ad opera, ne ad eam quidem quæ mente comparari potest intelligentiam deducitur.

XIX. Quid igitur sibi vult id quod dictum est? Videlicet ebrietatem impietatis causam esse et originem; cum menti qua maxime Deus agnosci potest, tenebras offundat. Manuum autem opera, et quæ in futurum rependentur vices, sunt ignis ille[2], et cruciatus in inferno paratus, lingua perarida exiguæ guttæ levamen expetens[3], flamma undelibet circumdans, quæ ne æstum quidem in visceribus accensum per aëris respirationem sinit refrigerari. Pro tibicinibus qui aderant, adest gemitus : pro ebrietate immodica, desideratur aquæ gutta : quippe quoniam caro ebriosorum igne in camino cruciatur : pro impudicis spectaculis intersunt profundæ tenebræ : pro cupiditate irrequieta, irrequietus vermis accedit[4]. Itaque qui in temulentia mentem suam submergunt, isthæc manuum opera considerare non possunt. Et quia non prævident cruciatus, qui ipsos expectant; jure ac merito luget illos Scriptura, quasi jam in hæc mala incidissent. Audiant hæc qui loco evangeliorum in ædibus suis citharas retinent ac lyras. Nimirum ipsos tanquam si jam periissent, revocat Propheta, atque per commiserationem ex caritate ortam exitium eorum ac ruinam deflet.

XX. « Væ, » inquit, « iis qui cum cithara, et tibiis » et tympanis et psalmis vinum bibunt[5]. » Lyra autem auro et ebore exornata in alta quapiam ara uti statua

[1] Rom. I, 20. — [2] Matth. XXV, 41. — [3] Luc. I, 24. — [4] Marc. IX, 43. — [5] Esaï. V, 12.

quædam ac dæmonum idolum a te reponitur. Atque misera aliqua mulier cum discere debuisset manus ad fusum admovere, eas præ servitutis necessitate ad lyram admovere a te edocta est : qui fortasse et mercedem persolvisti, qui fortasse et ipsam cuipiam mulieri lenæ tradidisti : quæ posteaquam in proprio corpore libidinem omnem explevit, præsidet mulieribus junioribus, operum similium magistra. Mulieris hujus gratia in die judicii duplicem daturus es pœnam : tum quod ipse lascivus es, tum quod per improba documenta animam infelicem a Deo abalienasti. Deinde astat cum lyra, admovetque manus ad sonos depromendos : nudus apparet cubitus, vultus impudens conspicitur. Tum convertitur convivium omne : conjiciuntur illuc omnium oculi : aures tacitæ sono pulsati instrumenti præbentur. Atque ut illic cohibetur tumultus, ita quoque risui ac verborum lascivorum certamini silentium injungitur. Favent autem omnes et acquiescunt in domo, impura ista modulatione inescati : sed in Ecclesia Dei non conticescit, neque vocem Evangelii silentio audit, qui illic silet. Nec mirum. Nam inimicus qui ibi indicit silentium, ille tumultum et perturbationem hic suggerit. Castis oculis et pudicis spectaculum est miserabile, mulierem texturæ non operam dare, sed lyra canere : non a proprio viro cognosci, sed respici ab aliis quasi esset mulier publica : non confessionis psalmum decantare, sed cantilenas meretricias : non Deo supplicare, sed properare ad gehennam : non ad Ecclesiam Dei studiose contendere, sed secum et alios inde avocare. Huic invisæ sunt lanæ, atque deducere stamen, aut tramam intorquere neque scit, neque vult. Sed quia versatur cum temulentis, eorum studia sectatur. Ordiuntur utique araneam telam. Nimirum ad fides contentas quasi ad stamina quædam

manus suas admoventes, et lyræ centrum quasi radium huc et illuc crebro transferentes, nullum operis sui finem ostendunt. Verumenimvero finis artium quarumcumque quæ ad hanc vitam traducendam sunt necessariæ, oculis spectandus objicitur. Exempli causa, artis lignariæ finis scamnum est : architectonices, domus : artis compingendarum navium, navigium ipsum : textrinæ, vestis : artis ferrariæ, gladius. Sed quod ad artes vanas pertinet, ceu sunt artes citharam pulsandi, vel saltandi, vel tibia canendi, vel aliorum id genus : desinente ipsa actione, simul quoque opus ipsum perit. Et vero juxta apostolicam vocem, horum finis est interitus[1]. Hæc a nobis necessario inquisita sunt adversus eos, qui ob plurimam in voluptate capienda mollitiem per cœnam, sive temporibus, ut putant, hilaritatis et lætitiæ, nuptiarum scilicet aut epularum, tibias citharasque et choros adhibent : ut cum a divina Scriptura reprehendi vituperarique ejusmodi studia noveritis, timore impendentium malorum, certe in posterum flagitiosam vitæ vestræ consuetudinem in melius permutetis. Sed si rursus verborum horum intelligentiam juxta aliam acceptionem diligenter perscrutemur, etiam aliud quidpiam animabus nostris opportunum et utile invenire possumus.

XXI. « Væ, » inquit, « iis qui mane surgunt, et sice- » ram persequuntur[2]. » Hoc est, væ iis, qui simulatque ignorantiæ tenebræ introductione cognitionis Dei discussæ sunt, exorto ipsis sole justitiæ, cum prius scelerati et impii essent, jam pii ac religiosi audiunt, atque in Dei Ecclesiam admittuntur, et tamen sic carnis vitiis vincuntur, ut de mente dejiciantur ac deturbentur ; perinde atque illi qui præ ebrietate sunt obcæcati. Tales igitur miseros deflet Scriptura, qui post acceptam

[1] Philip. III, 19. — [2] Esaï. V, 11.

Dei doctrinam sese libidinum ac cupiditatum ebrietati dedunt. Novit siquidem esse qui se absque vino plerumque inebrient, cum dicat : « Væ qui ebrii estis absque « vino[1]. » Quemadmodum enim vinum ultra necessitatem aut bibentis facultatem haustum rationi consuevit tenebras obducere : sic etiam affectiones cupiditatis, aut tristitiæ aut iræ, cum in mentem dominatum habuerint, eos qui ipsis sunt obnoxii, efficiunt amentes. Miseri igitur, imo ter miseri, qui se non solum ineunte vita in temulentiam immergunt, sed etiam expectant vesperam, id est, qui ad usque vitæ occasum cupiditatibus ac vitiis se ipsi addicunt. Et quidem uno modo illustratio ex Dei cognitione in cordibus enascens, « mane » vocatur : sed hoc idem fit alio modo, juxta quem constituta jam et perfecta ratione, vitam rationalem auspicamur. Nam utrovis modo vita prior caligo atque nox est; sive nondum absoluta perfectaque ratio sit, et anima immersa sit in dementia, sive mens ob suam a Deo abalienationem profundis tenebris velata sit et obtecta.

XXII. Itaque « væ iis, qui surgunt mane ; » id est, qui juventutis insipientia recens exuta cum turbulentos animi motus rationis vi strenue oppugnare deberent, ab iis contra subvertuntur, vitiaque ceu quamdam ebrietatem sectantur. Isti plane miserrimi qui ineunte et desinente vita non supersedent ab ejusmodi temulentia. Ebrii autem multiplicis sunt generis. Alii enim statim post auroræ ortum desierunt ab ebrietate : alii paululum progredientes, fecerunt finem : alii diutius eam prorogarunt. Expedit igitur, ut statimatque experrecti sumus, sobrie et sacerdotum more vitam degere studeamus ; quo efficiamur digni, qui ingrediamur sancta, vinum et siceram non bibentes. Scriptum namque est : « Et locu-

[1] Esaï. XXVIII, 1.

» tus est Dominus ad Aaron, dicens, vinum et siceram » non bibetis tu, et filii tui tecum, cum intrabitis in » tabernaculum testimonii[1]. » Quoniam difficile est peccatum non admitti in natura humana, dicit : navigatio secunda est illico post diluculum ab ebrietate exsurgere. Sed qui immorantur in vinis, ac sciscitantur ubi potationes fiant, eorum animus sic in iis investigandis occupatur, ut opera Domini inspicere, aut opera manuum ejus considerare non queant. Imo, eorum ebrietatem adaugent cithara et psalterium : quæ inventa sunt Jubalis, qui ex Caini genere ortum habet. « Accepit enim » sibi, » inquit, « Lamech duas uxores : nomen uni » Adda, et nomen alteri Sella. Et peperit Adda Jobel. » Hic erat pater habitantium in tentoriis, pascentium » pecora. Et nomen fratri ejus, Jubal. Hic fuit qui adin- » venit psalterium et citharam[2]. » Citharæ ac musices istiusmodi fuit amantior Laban, quacum Jacob deducere volebat. « Si enim indicasses mihi, dimisissem te cum » lætitia, et cum musicis, tympanis et cithara[3]. » Sed Patriarcha aversatus est musicam, ut quæ impedimento sibi futura esset, quominus inspiceret opera Domini, et opera manuum ejus consideraret.

XXIII. Quinetiam cum dedicaretur Nabuchodonosor imago ; tuba, fistula, cithara, sambuca, psalterio, symphonia et omni musicorum genere resonantibus, populi utique, et tribus et linguæ sese prosternebant[4]. Qui vero jam pridem vinum Babylonicum bibere recusarant, quique fuerant exsecrati mensæ regiæ delicias, non adoraverunt prostrati, sed humanum omnem potentatum contempsere, imo etiam ipsam ignis vim extinxerunt. Quod si peccatum est non inspicere opera Domini, nec considerare opera manuum ejus : sustollamus mentis

[1] Levit. x, 9. — [2] Gen. iv, 19. — [3] Id. xxxi, 27. — [4] Dan. iii, 7.

oculos, et rationes operum Domini creatrices intueamur; atque ex magnitudine pulchritudinis creaturarum, rerum conditarum opificem cum opificio suo proportionem quamdam ac convenientiam habentem intelligamus[1]. Et quoniam « Invisibilia Dei, a creatura mundi » per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur[2]; » sensibilis creaturarum perceptio, fortasse dicta est visio : spiritualis vero rerum cœlestium comprehensio, contemplatio ac consideratio appellata est. Quapropter, inquit, « opera Domini non respiciunt, » hoc est, res sensibiles oculis non lustrant : « neque opera manuum ejus » considerant, » hoc est, mentis vi invisibilium comprehensionem non exquirunt. Cæterum quo illud diluculi nomen magis adhuc nobis innotescat, cognoscamusque reditum a tenebris diluculum ipsum esse, sive tenebræ illæ proficiscantur ex juventutis dementia, sive ex Dei ignoratione in animis innascantur, primus in veritatem introitus diluculum vocatur. Velim autem colligas multa prophetarum de diluculo aut de prima luce loca, quo per complurium comparationem proposita sententia effulgeat. Exempli causa, « Mittebam diluculo pro» phetas[3] : » item, « Mane exaudies vocem meam : » Et, « mane astabo tibi et videbo[4]. » Et, « De nocte » mane consurgit spiritus meus ad te, Deus[5]. » Et, Deus, » Deus meus ad te a prima luce vigilo[6]. » Et, « In matu» tinis interficiebam omnes peccatores terræ[7] : » Item ; « Ad vesperum demorabitur fletus ; et ad matutinum » lætitia[8]. » Qui fit igitur, ut prophetæ convenienter huic Dei in homines beneficientiæ mittantur mane ? Quia omnis sermo a Deo veniens, venit ad nos, qui Dei audire voluntatem possumus; quippe non eos qui

[1] Sap. XIII, 5. — [2] Rom. I, 20. — [3] Jerem. XXV, 4. — [4] Psal. V, 4 et 5. — [5] Esaï. XXVI, 9. — [6] Psal. LXII, 2. — [7] Id. C, 8. — [8] Id. XXIX, 6.

puerili inscitia detinentur, sed eos quibus insunt jam naturales notiones ad discernendum bonum et malum, reprehendit. Itaque de iis loquitur Scriptura, qui ubi primum oculos ad comparandum intelligentiam intenderunt, et quasi lumina a priore ignorantia erexere, atque lucem aliquam cordis obtutibus accepere, in ipsos illabitur Dei sermo, qui quæ agenda sunt, et quæ præstant, discernit. Notio eadem subjecta est his etiam psalmi verbis : « Mane exaudies vocem meam : mane » astabo tibi[1]. »

XXIV. Quamdiu enim anima nostra versatur in nocte, necdum exortus est sol; non potest exaudiri a Deo. Postquam vero a Dei ignoratione expurgata anima obtulerit preces, in splendore rationalis spiritualisque diei constituta, tum demum Deum vocis suæ auditorem habet. Propterea dicit : « Mane astabo tibi, et videbo. » Quod si vis Deo sisti, improbo nulli negotio intersis : sed fac quæ Moysi præscripta sunt[2]. Tu autem ibi sta coram me, firmus, inconcussus, immotus, fide astans ei, ut dignus evadas, qui veritatis contemplationem perspectam exploratamque habeas. « Astabo, » inquit, » tibi et videbo. » Quamdiu enim quis pulchritudinem in rebus visibilibus enitentem contemplatur, dicitur physicus ac naturæ explorator. Sed cum quispiam isthæc transcendens, Deo ipsi astiterit, postquam cognoverit qua ratione omnia sint valde pulchra, et ex horum pulchritudine sese erexerit ad id quod vere pulchrum est et amabile; cujus visio se solis animabus puris conspicuam ac spectandam exhibere solet : tunc ad ea progrediens quæ disciplinam physicam superant, quæque a quibusdam vocantur metaphysica, jam inspector fieri potest ac speculator. Itaque, ubi, inquit, astitero

[1] Psal. v, 4 et 5. — [2] Exod. xxxiii, 21.

tibi, et mente accessero ad te contemplandum, tunc illam inspiciendi vim recipiam per scientiæ illustrationem. Cæterum cum hoc consentiunt verba isthæc : « Cœli enarrant gloriam Dei[1] : » non quod ad aures nostras emittant vocem sensibilem, sed quod qui in iis meditandis rationibus, quibus constitutus mundus est, exercitatus fuerit, et per cœlos quasi vocem edentes, cœlestium omnium rerum dispositionem ac ornatum cognoverit, addiscat magnificentiam gloriæ ejus, qui condidit cœlos. Propheta etiam ad id nos invitat, dicens : « Sursum aspicite oculis vestris, et videte, qui ostendit » hæc omnia[2]. » Etenim alte speculari, est sursum aspicere, atque per visibilia ad Conditoris cognitionem adduci. Illud autem, « de nocte mane ad Deum consur- » gere, » ejusmodi aliquid sonat : nimirum cum nox progressa fuerit, dies autem appropinquarit, et sicut in die composite ambulare cœperimus, operibus tenebrarum abjectis[3]; comessationibus, ebrietatibus, cubilibus et lasciviis : tunc possumus dicere : « De nocte mane » consurgit spiritus meus ad te, Deus[4]. » Deinde quid in ipso diluculum efficiat, ostendit etiam verbis sequentibus : « Quia, » inquit, « præcepta tua lux sunt super » terram[5]. » Quippe lux præcepta, quæ ignorantiæ tenebras excutiunt; eoque « præceptum Domini luci- » dum, illuminans oculos[6]. »

XXV. Compertum est autem omnibus ac perspectum, quod in psalmo centesimo dictum est, « In matutinis » interficiebam omnes peccatores terræ[7], » id in ænigmate tecte dictum fuisse. Non enim unoquoque diei initio sanguine humano inquinabam manus. Hoc nequaquam significat Scriptura. Id enim præterquamquod

[1] Psal. XVIII, 2. — [2] Esaï. XL, 26. — [3] Rom. XIII, 12. — [4] Esaï. XXVI, 9. — [5] Esaï. supra. — [6] Psal. XVIII, 9. — [7] Psal. C, 8.

detestandum est, adhuc etiam incredibile est et absurdum. Quomodo namque unoquoque diluculo manu propria potuisset omnes terræ peccatores interimere? neque enim fieri poterat, ut unus omnibus evaderet superior : quandoquidem, ut constat, multi sunt qui delinquant. Et si bello eos superasset, utique diluculo uno omnes simul occidisset, sed non unoquoque diluculo ipsis sua manu intulisset mortem. Quid igitur hoc sibi vult : « In » matutinis interficiebam omnes peccatores terræ, ut » disperderem de civitate Domini omnes operantes ini- » quitatem[1] ? » Dicta isthæc magis scite magisque apposite intelligamus; ut ne, quod nefas est, prophetica coarguamus oracula. Civitas Domini, coagmentum est et constitutio opificii humani : peccatores vero terræ non alii sunt, quam ii de quibus loquitur Servator : ab intimis, a corde exeunt cogitationes malæ, invidiæ, cædes, adulteria, furta, falsa testimonia, et his similia[2]. Qui autem se ipse expurgat, istos terræ peccatores ex terrena carne prodeuntes, per quamlibet Dei cogitationem ex sua structura fugat et ejicit. Itaque lux prima et diluculum ad unumquemque salutiferi dogmatis exortum nascuntur in anima, in qua delendæ sunt et exterminandæ omnes cogitationes iniquitatem operantes. Etenim nisi primi illi animæ ad nequitiam motus abscindantur, necesse fuerit cogitationes ad opus procedere. Verbi gratia, terræ peccator, cogitatio est adulterium suggerens, quæ efficit ut quis mulierem intueatur ad eam concupiscendam. Proinde nisi tollatur ex anima veluti gladio quodam, sermone cupiditates abscindenti et exterminanti, et nisi id fiat diluculo, hoc est, ubi primum sese detexerit : post adulterium in corde conceptum, homi-

[1] Psal. c, 8. — [2] Matth. xv, 19.

nem detrudet in peccatum alio gravius, illum quippe ad ipsum corporis actum impellet.

XXVI. Arbitramur his consona esse isthæc Jeremiæ verba : « Maledictus qui facit opera Domini negligenter, » et qui subtrahit gladium suum a sanguine[1]. » Quisquis enim maledicti hujus acerbitatem evitare vult, gladium suum spiritualem ab effundendo sanguine ejusmodi peccatorum nunquam cohibere debet. Tale igitur est et quod nunc dicitur de diluculo. Væ illi, qui licet post primam ætatem exactam, ratione in ipso exoriente, a tenebris et ab ignorantiæ nocte emerserit, tamen simul ut excitatus est a somno, siceram sectatur. Ex iis autem qui a turbulentis affectibus devicti sunt et dejecti, alii in cupiditatis temulentia permansere; alii expurgata mente, mundum ornatumque visibilium respiciunt; ac earum rerum quæ sola ratione capi possunt, substantias considerant et essentias. Visibilia namque indigent contenta oculorum acie; ob id « respiciunt : » quæ vero ratione sola queunt intelligi, expansa et fusa ratiocinatione egent : quapropter dictum est : « considerant. » Sunt tamen primum respicienda Domini opera, atque tunc ad ea consideranda progrediendum est. Ejusmodi erat, qui de se ipso dixit : « Ipse enim dedit mihi horum quæ » sunt scientiam veram, ut sciam mundi dispositionem, » et virtutem elementorum : initium et finem, et medietatem temporum, conversionum permutationes, et » mutationes temporum, annorum cursus, et stellarum » situs, naturas animalium, et iras bestiarum, vim ventorum, et cogitationes hominum, differentias plantarum, et virtutes radicum[2]. »

XXVII. « Igitur captivus populus meus factus est, eo » quod ipsi non cognoverint Dominum : et multitudo

[1] Jerem. XLVIII, 10. — [2] Sap. VII, 17.

» mortuorum fuit propter famem panis, et sitim aquæ[1]. » Hæc secundum historiam de tempore extremæ Judæorum obsidionis possunt explicari; quando aliis in captivitatem abductis, alii fame et siti interierunt. Et causa cur hæc fuerint perpessi, clara est et manifesta, quod Dominum cum ipsis diversantem non cognovere. Quare animadversio in his verbis contenta nobis etiam potest accommodari. Isthæc dicimus, quod qui consectantur ebrietatem, vinumque ad musicos concentus interdictos bibunt, et oculos suos occupant in spectandis turpibus spectaculis, noluntque opera Domini respicere, eo quod voluptatum et deliciarum magis quam Dei sint amatores, captivi fiunt, et in servitutem rediguntur ab inimicis suis. Quinetiam inter ipsos mortuorum fuit multitudo, propter famem et aquæ penuriam. Etenim escam animabus convenientem qui non accipiunt, moriuntur per peccata[2]; et qui ex aqua refectionis non enutriuntur, neque de illa aqua bibere satagunt, de qua locutus est Dominus ad Samaritanam : « Qui biberit ex aqua quam » ego dabo ei, non sitiet in æternum[3], » hi ipsi mortui fiunt. Audi enim hanc mortuorum multidinem contigisse non ob famam solum, sed etiam propter aquæ sitim, eo quod ab illa biberent aqua, unde et mulier illa Samaritana biberat. Quisquis enim, inquit, biberit ex illa aqua, sitiet iterum[4] : de aqua autem in vitam æternam saliente non biberant. Cæterum id nos invitat ad intelligentiam comparandam. Etenim si propterea quod non cognoverunt Dominum, abducuntur captivi, nobis studio omni adnitendum est ut intelligentiæ cognitionisque donum consequamur. Fortassis autem mors vera non ob famem panis, neque ob hujusce sensibilis aquæ sitim, sed propter famem audiendi verbum Domini, in eorum qui

[1] Esaï. v, 13. — [2] Psal. xxii, 2. — [3] Joan. iv, 13. — [4] Ibidem.

non auscultant animas grassatur. « Non » enim « in » pane solo vivet homo, sed in omni verbo, quod pro- » cedit de ore Dei[1]. » Ob hanc causam « Dominus non » interficiet fame animas justorum[2]. « Et, » Junior fui : » etenim senui, et non vidi justum derelictum, nec » semen ejus quærens panes[3]. » Et, « Filii thalami nup- » tialis, quamdiu cum illis est sponsus, non possunt » jejunare[4]. » Ubi autem fames et sitis grassantur, ibi quoque mors. Quapropter ne pereamus fame, cœlestem conquiramus panem, et ne siti aduramur, inquiramus aquam illam, de qua Dominus dixit : « Si quis biberit » ex aqua illa quam ego dabo ei, non sitiet in æter- » num[5]. »

XXVIII. « Et dilatavit infernus animam suam, et » aperuit os suum, ut non cesset. Et descendent inclyti, » et magni, et divites, et pestilentes ejus, et qui exultat » in ea[6]. Et humiliabitur homo, et dedecorabitur vir, » et oculi sublimes humiliabuntur[7]. » Nobis ut poneret ob oculos ingentem pereuntium multitudinem, infernum affirmavit, os suum dilatare. Quemadmodum fieri solet in animalibus, quæ præ ingenti fame et inedia escam avide rapiunt, atque escæ inhiantia os dilatant : ita, inquit, et infernus os suum reddere dictus est amplius atque capacius. Fortasse autem nobis hic sermo indicat communem quemdam locum qui sit in intimis terræ visceribus collocatus, sitque obscurus ab omni parte et tenebrosus, sedem esse inferni; docetque forte, foramen quoddam ad terræ concava pertingere, per quod animabus ad gravissimam pœnam damnatis patet descensus. Quod foramen, ut valeat suscipere universos, ob eorum qui intereunt multitudinem, amplius ait esse

[1] Matth. IV, 4. — [2] Prov. X, 3. — [3] Psal. XXXVI, 25. — [4] Marc. II, 19. — [5] Joan. XIV, 4. — [6] Esaï. V, 14. — [7] Ibid. 15.

factum ac latius. Neque enim animal quoddam est infernus, neque potestas quædam mortuis præfecta, juxta fabulosum ethnicorum commentum. Hi igitur propterea quod non cognoverint Dominum, in captivitatem redacti, et fame ac siti spiritualis alimenti marcescentes, cum inclytis et magnis et divitibus et pestilentibus descendunt in infernum. Sunt autem tria quæ peccatoribus intentantur; captivitas, mors, descensus in infernum. Captivitas quidem ipse est a pristina vita lapsus, per dolum fraudemque inimici, qui nos de paradisi beatitudine deturbavit : mors vero abalienatio est a præcepto vitam largiente : descensus denique ad infernum, est a Deo separatio, quæ ob plurimam peccatorum congeriem et affectionem summo bono adversantem contingit. Nam ut justus una cum Christo jam consurrexit, atque una cum ipso sedit in cælestibus : ita injustus jam captivus et mortuus esse, atque in infernum descendisse dicitur ob letalia peccata. Porro varios ordines eorum qui ad inferos descendunt, recensuit Scriptura. Primum enumerat inclytos, hi autem sunt, qui quadam existimatione sibi comparata, vitæ testimonium exteriori habitudini conveniens neutiquam habent : deinde numerantur magni, qui in potestate quadam et in principatu constituti vulgo præstant : tum divites qui ingentem divitiarum copiam injuste acquisierunt, aut qui inexplebili opum majorum desiderio tenentur : postremum ejus pestilentes, qui instar mortiferi cujusdam morbi per vices serpentis, eos qui ad se accedunt corrumpentes, aut ob pravam doctrinam, aut ob quemdam fomitem et incitabulum peccati, jure ac merito nominantur pestilentes. Hi sunt qui descendunt in infernum. « Et qui, » inquit, « exultat in ea. » Hic ille fuerit Judæus ipse secundum carnem, qui in terrestri Jerusalem exultat,

nec ad beatitudinem sanctis Dei præparatam respicit. Illud autem, « in illa, » dici observabis juxta vulgatam consuetudinem. Ita et in privatorum domibus, solent ipsi sæpe ab iis qui eas incolunt, vocari præcellentes ac superiores. Ejus generis est et illud : « Fundamenta ejus » in montibus sanctis[1]. » Igitur qui in ea exultat, in infernum descendet.

XXIX. « Et » inquit, « humiliabitur homo, et de» decorabitur vir[2]. » Non æque loco humiliari contingit, ac animo. Exaltatur quidem justus cœlesti animi sensu, impius vero terrenorum studio affectuque humiliatur. Homo quidem vulgaris qui de solis communibus naturæ dotibus effertur, si secundum virtutem sibi a prima conditione insitam nequaquam vivit, humiliatur sed qui jam progressum aliquem fecerit, jamque fuerit dignus qui vir appelletur, is si emollitus et fractus cupiditatibus et vitiis sese mancipaverit dedecorabitur. Quapropter « homo humiliabitur et vir dedecorabitur » quippe ille communia non custodivit; hic vero utpote conversus ad improbitatem, etiam eo bono quod usu exercitioque sibi comparaverat multatus est. Homo quidem humiliatur : « Oculi enim Domini sublimes, homo autem » humilis[3] : » vir viro dedecoratur, tanquam qui Deum violatis ejus præceptis, ducat pro nihilo. Nam qui eum nihili faciunt, afficientur ignominia : uti didicimus in primo Regnorum libro, Domino dicente : « Glorificantes » me glorificabo, et qui spernunt me, ignominia ipsis » inuretur[4]. » Vir igitur dedecorabitur per suum ipsius peccatum. Dedecus enim et infamiam infert peccatum. « Resurgent enim, inquit, hi in vitam æternam, et isti » in opprobrium et dedecus æternum[5]. » Cum enim honor

[1] Psal. LXXXVI, 1. — [2] Esaï. V, 15. — [3] Id. II, 11. — [4] 1 Reg. II, 30. — [5] Dan. XII, 2.

dignitatis sit remuneratio : dignitas vero virtutis præmium : sanctis quibus tum honor, tum dignitas tribuitur, impii vero contraria recipiunt : honorat enim dignos Deus. Nam ipse est id quod vere honorandum est, honoremque tribuit. Quare qui ignominia notatur, honorem nequit assequi. Unumquemque autem dedecorant turpitudinis ac infamiæ vitia, coram omni creatura exposita. « Et » oculi, inquit, sublimes humiliabuntur[1] » Quicumque animo sursum erecto, auctorem harumce omnium sunt intuiti, ii oculos habent sublimes, utpote qui super omnia corpora mentem suam attollant. Sed si postea ob falsas opiniones et ingens terrenarum rerum studium, nihil eorum quæ magna sunt, possint amplius contemplari, imo dediti sint toti corporeis deliciis voluptatibusque, jure optimo dicuntur humiliari.

XXX. « Et exaltabitur Dominus Sabaoth in judicio[2]. » Hoc est, per æquam retributionem eorum quæ sunt prius commemorata, exaltatur Dominus Deus in judicio; adeo ut ex iis quæ ad Dei gloriam et honorem faciunt, hoc unum sit, judicium videlicet, quod de impiis pro ratione et merito operum a judice profertur. Quare et in ipso judicio altitudo sapientiæ potestatisque Domini conspicitur. Quemadmodum enim qui sapientiam ordinis rerum cœlestium speculantur, in stellarum situ, motu, atque in mutua ipsarum habitudine effulgentem, jam intelligunt sapientiæ ejus magnificentiam, sic ut dicere valeant : « Sapientiæ ejus non est numerus[3] : » pari modo qui judicii respiciunt rationes, iis non minori futura est admirationi hæc judicii sapientia et prudentia, nec non æquitas illa, qua vel pro minimis et minutissimis unicuique meritam mercedem rependit[4]. Fortasse ergo singulis rebus bene gestis Deum exaltamus; adeo ut exalte-

[1] Esaï. v, 15. — [2] Ibid. 16. — [3] Psal. CXLVI, 5. — [4] Matth. XVI, 27.

tur per temperantiam nostram, exaltetur quoque per justitiam nostram. Cum autem hæc perficiantur Dei auxilio, ubi nos susceptos erexerit, sua nos ope sufful-ciens ac firmans, tum dicimus : « Exaltabo te, Domine, » quoniam suscepisti me [1]. » Sunt autem multæ Dei exal-tationes : alia fit per cognitionem et intelligentiam : alia vero, dum enarrantur magnifica ejus opera, et dum ejus judicia contemplamur. Quapropter de justo dictum est : « Exaltationes Dei in gutture ejus [2]. » Deinde, quoniam vis actionis ac firmitas per rectam contemplationem con-stituitur, subjungit : « Et gladii ancipites in manibus » eorum [3], » hoc est, sermones, qui cupiditates animæ ac turbulentos motus abscindant, ac radicitus evellant. Sed quia Dominus Sabaoth, Dominus dicitur exerci-tuum tunc exercitus ei tempore judicii famulantes, ipsum sunt exaltaturi atque affecturi gloria, ob justum et verax judicium. Aliquid tale futurum esse opinamur, cum Dominus descendet in judicium cum hominibus [4] (ipse enim Dominus veniet in judicium cum populo) nempe Dominum solum exaltatum iri, nemine justificato coram ipso [5]. Quis enim, cujus vita exigetur ad conditoris nostri beneficentiam, et ad varias illas dispensationes quæ ad omne genus hominum generatim pertingunt, repen-dere poterit quod æquum sit, et bonis a se ex Domini dono acceptis dignum? Quamobrem sancti hærent ac du-bitant, dicentes : « Quid retribuam Domino, pro om-» nibus quæ retribuit mihi [6]? »

XXXI. « Et Deus sanctus glorificabitur in justitia [7]. » Postquam exaltatus est in judicio, consequens est ut sanc-tus glorificetur in justitia. Qui eum sunt contemplati in judiciis exaltatum, ii gloriam justitiæ ejus comprehen-

[1] Psal. xxix, 1. — [2] Id. cxlix, 6. — [3] Ibidem. — [4] Esaï. iii, 14. — [5] Id. ii, 11. — [6] Psal. cxv, 12. — [7] Esaï. v, 16.

dunt. « Et pascentur direpti tanquam tauri : et deserta » eorum qui capti sunt, agni comedent[1]. » Populus in captivitatem abductus, eo quod Dominum non cognoverant, et inciderant in ebrietatis peccatum, ad modum armentorum pascentur. Hi autem ipsi fuere eo tempore direpti, cum facti sunt captivi. Planum est autem nos, ubi victi fuerimus in bello, ac superati ab adversariis potestatibus, atque ab ipsis in servitutem redacti, tunc post victoriam tamquam exuvias diripi. Cum autem fuerimus direpti; ea quæ rationalium sunt propria, non amplius in nostrum cibum assumimus, sed motibus, ut fors tulerit, vesanis et belluinis abrepti, instar taurorum in vitæ hujus solitudine ætatem degemus. Atque eam ob causam non dixit boves, sed tauros, quod bobus inter se gregatim viventibus, tauri ob animum ad iracundiam pronum ira in se invicem excandescentes, disjuncti et a se invicem separati pascantur. Quoniam autem verisimile erat loca plurima post captivitatem desertum iri, cum ab hostibus abducendi essent incolæ, idcirco ait : « Et » deserta eorum qui capti sunt, agni comedent[2]. » Nam juxta historiam, in Babylone veluti inclusi detinebantur ii, qui ob expeditionem a Nabuchodonosore adversum se susceptam a Judæa fuerant expulsi[3]. Terram igitur ad eos qui capti et præ belli necessitate detenti fuerant pertinentem, jam in ovium pabulum redactam, agni, inquit, depascent, quod nullas servet antiquæ habitationis reliquias, sed profundum tenerumque gramen ex hominum penuria enutriat[4]. Fortasse autem hic sermo etiam sensu prophetico indicat quod cum mandatorum divinorum violatores ex antiqua sua in locis sanctis habitatione ejecti sint et expulsi; nos, qui ob peccatum eorum ad salutem per divinam dispensationem vocati

[1] Esaï. v, 17. — [2] Ibid. — [3] 2 Paral. xxxvi, 20. — [4] 4 Reg. xxv, 11.

sumus, agni quidam ob recentem nostrum in fide ortum appellati, in eorum qui capti sunt locis pascamur, spiritali rationalique eloquiorum Dei alimento tamquam tenero quodam gramine perfruentes. Quin et Dominus nuper per fidem natos, agnos appellavit, cum Petro dixit : « Simon Bar-Jona diligis me? pasce agnos meos [1]. »

XXXII. « Væ, qui trahunt peccata quasi funiculo » longo, et quasi jugi corrigia vitulæ, iniquitates [2] : qui » dicunt cito appropinquent quæ faciet; ut videamus [3] : » et veniat consilium sancti Israël, ut cognoscamus [4]. » Nobis ipsi tum cum peccamus, vincula conficimus et funiculos, quibus vinciamur : quippe juxta multitudinem vel magnitudinem peccatorum, vel majora vel minora animabus nostris lora nectimus, quibus secundum Jeremiam vincti sumus ac colligati [5]. Quicumque igitur vincuntur carnis sensu, ii terrenis vinculis constringuntur, quibus manus eorum ac pedes cum ligati fuerint, post justam judicis sententiam, ipsi utpote damnati ejiciuntur in tenebras exteriores [6]. Ligantur quidem manus ob facta : pedes vero, ob incessum. Nam reipsa unusquisque stringitur peccatorum suorum catenis; ut membra singula quæ peccatum admiserint, proprio quodam et peculiari vinculo frenentur et astringantur. « Væ » igitur, inquit, « iis qui trahunt peccata » quasi funiculo longo, » hoc est, qui delicto priori secundas, tertias, et alias gradatim impietates, injustitias, lascivias connectunt. Nam oportebat eos qui prius in peccatis fuerant deprehensi, statim post primam vitiorum implicationem sua ipsorum peccata delere, nedum malis alia adjungerent connecterentque. Fieri quidem non potest ut non peccet humana natura : quan-

[1] Joan. XXI, 15. — [2] Esaï. V, 17. — [3] Ibid. 18. — [4] Ibid. 19. — [5] Thren. III, 34. — [6] Matth. XXII, 13.

doquidem non est justus in terra, qui faciat bonum, et a peccato abstineat[1]. Fieri tamen potest, ut de peccato per proclivitatem vel per insidiatoris nostri impulsum commisso, confestim mutata sententia agamus pœnitentiam, nec mala malis cumulemus. Quemadmodum enim qui funes nectunt, cum futurum est ut materia quæ netur deficiat, aliam attexunt, eam longiorem effecturi : ita etiam quicumque immerguntur in malorum profundo; priusquam peccato priori impositus finis sit, adoriuntur secundum, eique iterum aliud connectunt. Atque hoc pacto tota ipsorum vita per peccata progrediens, ad tortum quemdam et longum funiculum similitudine accedit : quippe et quod præteritum est, utpote colligatum et connexum, retinet, et quod semper præsens est, instar præcedentis annectitur. Quamobrem ait, « Væ his » qui trahunt peccata quasi funiculo longo[2].» Mutuemur hujus sententiæ intelligentiam etiam ab exemplo. Sit unus aliquis ad incontinentiæ peccatum propensus. Observa jam per quot media ad se pertrahat impuritatis peccatum. Primo quidem certo modo corpus suum componit : peculiari ratione circumtondentur ipsius crines : speciali quadam veste amicitur, eaque non vulgari, sed ad ornamentum elegantiamque concinnata, imo vel in ipsa zona calceamentisque immodicum elegantiæ ac formæ studium ostendit. Deinde suppeditat pecunias, quibus emat amicæ pulchritudinem. Denique animum intendit ad lenas sibi conciliandas : adornat verba quæ ad corruptelam inducant : congrediendi sibi parat occasiones, compotationes, convivia, prolixas confabulationes. Qui per tot modos intermedios stupri sibi malum adsciscit; hic est qui attrahit peccatum quasi funiculo longo : atque, ut uno verbo dicam, omnis malitia haud

[1] Psal. XIII, 3. — [2] Esaï. v, 17.

fortuito adversus proximum admissa, sed consulto et insidiose per longas molitiones consummata, funiculus longus est, quo peccata licet longe dissita ad se pertrahunt homines. Atque hoc pacto longi illi funiculi sunt solutu difficillimi, ob peccantium in mala impetum, et ob vehementem crebramque peccatorum suorum implicationem.

XXXIII. Eam ob rem dicit : « Et quasi jugi corrigia » vitulæ[1]. » Lora enim quibus jugum alligatur ad temonem, ne a fortissimis quidem boum paribus vel magna vi onera trahentibus facile disrumpuntur. Robur autem et vim intendit Scriptura, cum jugi corrigiam affirmat e vitula fieri, hoc est, ex animali fortissimo; necdum laboribus aut ætate debilitato. Væ igitur, qui prolixos quosdam apparatus diligenter adhibent ad peccandum, et maxime si eos constanter fortiterque perficiunt. Attamen fieri potest, ut is qui peccato vinctus est, sequatur Christum, iis qui in vinculis sunt, dicentem : « Exite, » et iis qui in tenebris, ut revelentur[2]. » Vincti autem e carcere exeuntes, atque e tenebris ad lucem veram oculos per pœnitentiam attollentes, sequuntur Christum, confitentes quidem, sed manicis compediti, donec per bona opera transmutati, fiant digni qui ab ipso iis quæ prius inenodabilia putabantur vinculis solvantur. Hi autem, peccatis attractis, divinoque judicio contempto, plerumque verbis suis accelerant minas, quasi nihil sint sibi nociture, ac dicunt : « Cito appropinquent quæ » faciet, ut videamus : et veniat consilium sancti Israël, » ut cognoscamus[3]. » Atqui funiculus ille longus est, qui peccatum longe remotum attrahit. Liquet enim talia dici ab iis, qui venturo sæculo non habent fidem, sed aspernantur comminationes. Quisquis enim Christi reformidat tribunal, ac juventutis peccata revocat in memoriam,

[1] Esaï. v, 18. — [2] Id. XLIX, 9. — [3] Id. v, 19.

fastidiose judicium urgere non audebit. Contra, precatur utique sibi terminum longiorem ac remotiorem, quo diuturniori tempore suam ipsius animam a peccatorum sordibus expurgare possit. Porro Achitophel et Judas stultæ et inconsultæ ad futura festinationis evidens exemplum præbuere, qui quod mala præsentia futuris atrociora, et opprobria hominum cruciatu gehennæ intolerabiliora esse arbitrarentur, laqueo, quam morte sponte naturæ provenienti vitam finire maluerunt[1]. Etenim si venturo sæculo adjunxissent fidem, minime sibi mortem suspendio conscivissent : imo etiam licet vitæ molestiis afficerentur; si tamen supplicia futura judicassent præsentibus esse formidabiliora, vitam hanc tolerare non dubitassent. Ejusmodi erat Job, cum diceret : Utinam me ipsum possem manu conficere, aut certe deprecatus alterum, et faciet mihi hoc. Nam et his verbis ostendebat gravitatem plagæ atque acerbitatem, et adversus eas ipsas quas sibi struebat insidias cavebat sibi. Etenim qui se ipsi per vim de medio tollunt, damnantur homicidii. Quia vero etiam apud Paulum invenimus dici a quibusdam : « Faciamus mala, ut veniant bona[2], » existimamus hanc etiam agendi rationem funem esse peccatum grave inducentem. Aiunt enim ejusmodi quoque sententiam animos Judæorum subiisse, ex multa morum perversitate : quippe cum præ peccatorum multitudine interitus expectaretur et exitium, dicebant : Agedum, faciamus mala, et extremam iniquitatis adimpleamus mensuram : ita ut veniat rerum præsentium immutatio, et universa in meliori statu constituantur.

XXXIV. « Væ qui dicitis malum bonum, et bonum » malum : qui ponitis tenebras lucem, et lucem tene» bras : qui ponitis dulce amarum, et amarum dulce[3] »

[1] 2 Reg. XVII, 23 et Matth. XXVII, 5. — [2] Rom. III, 8. — [3] Esaï. V, 20.

Est autem perfecti viri, cujus sunt sensus per habitum exercitati, naturam boni a malo distinguere posse ; itemque solertis mensarii, quod bonum est, retinere, atque ab omni mali specie abstinere[1]. Sed qui corruptam habet judicandi facultatem, ejus est de uniuscujusque meritis instabilia testimonia proferre[2]. Atque magna quædam facilitas humanæ naturæ inesse videtur adversantia uniuscujusque rei veritati comminiscendi. Et utinam ad eos solos qui a Scripturarum fide sunt extranei, pervenisset isthæc discrepantia. Qui dum dicunt sermones de re qualibet habitos ejusdem ponderis esse ac momenti, omnem, quantum in ipsis est, evidentiam in ancipiti collocant. Aiunt videlicet argentum esse nigrum propter rubiginem, qua perfunditur, ipsumque solem nigrum esse, quod ea corpora quibus diutius immoratur, nigrescant. Atque ex hujusmodi rationibus suum de ascensionis retentione dogma struunt, tamquam fallatur sensus, nec res quales natura existunt, apprehendat. Sed ut per picturam decipiuntur oculi : ita in columbæ collo alios et alios colores recipiunt, prout varie flectitur animal ; exque radii ac lucis objectu conspectus mutatur. Quapropter cum animum intendunt ad eam quæ per oculos fit perceptionem, neque diem esse statuunt, neque confitentur noctem, atque exinde prolabuntur in impietatem : neque convenit inter illos utrum Dei providentia gubernentur omnia, an temere et fortuito ferantur. Quin et videas plurimos etiam ex iis qui legalibus et propheticis Scripturis credidere, animo quodam in rebus singulis propugnandis obstinato cum verisimilitudine perspicuitati ac evidentiæ reluctari sic ut dogmatum labascat veritas et concutiatur. Imo nonnulli credere se quidem confitentur in Jesum Christum, nec tamen inveniuntur « per-

[1] Hebr. v, 14. — [2] 1 Tim. v, 2.

» fecti in eodem sensu, aut in eadem sententia [1], » sed in discordias maxime inter se repugnantes dividuntur. Alii quidem ob simplicitatem, alii vero nec pauci ob principatus studium ac inanem gloriam, vulgo ostendere volunt quam sint sapientes, quamque cognitione cæteris præstent. Quapropter referta sunt omnia hominibus dissidentibus inter se, dogmataque pugnantia tradentibus : quippe suo quisque dogmati tuendo præfracte insistit, atque alterius placita evertere et confutare acerrima dissensione conatur. Utinam autem ii qui doctrinam apostolicam observasse, atque ab apostolis per traditionem accepisse se evangelii prædicationem gloriantur, ostenderent per suam circa dogmata concordiam se unius ecclesiæ Christi partem esse.

XXXV. Nec vero ad scientiam solum et ad doctrinam, sed ad opera etiam extendit se isthæc perturbatio : siquidem, « Sunt viæ viri quæ videntur esse rectæ : novis- » sima tamen earum spectant in fundum inferni [2]. » Et, « Est justus qui perit in justitia sua, et impius qui manet » in malitia sua [3]. » Etenim si quid contemplatu difficile est, ad id genus pertinet vera justitia. Ideo et Salomon isthæc tamquam inter se paria ac æqualia simul enumerat, his verbis : « Animadvertas et parabolam, et » obscurum sermonem, dictaque sapientum, et ænig- » mata [4] : intelligas justitiam veram, et judicium diri- » gas [5]. » Multi igitur raptim et festinanter pronuntiant judicia mutationi obnoxia; quippe qui antequam res pateant per idoneam ratiocinationem multamque investigationem, temere ac nimis properato, dogmati cuilibet assentiantur. Potest autem nativa dialectices vis ac facultas, ut opinio est, hæc præstare, nimirum distincte rerum naturas dividere : manifesta ac plana facere quæ

[1] 1 Cor. i, 10.—[2] Prov. xvi, 25.—[3] Eccl. vii, 16.—[4] Prov. i, 6.—[5] Ibid. 3.

ejusdem sunt generis : discernere quæ sunt contraria. Quamobrem qui sibi erat conscius se divina hac dialectica præditum esse, aiebat : « Jucundum sit tibi elo» quium meum[1]. » Qui enim rixas et jurgia excitant, atque animo contentioso aggrediuntur negotia, eorum dialectice jucunda non est, sed exasperat. Cum autem sint trium conjugationes, lucis et tenebrarum, boni et mali, amari et dulcis, hæc ne unum sunt subjecto, an a se invicem genere differunt? Nam ex intelligentia simpliciore compertum est et exploratum, referri malum ad morum pravitatem. Bonum autem, ut definitur, est id quod commendandum est et laudabile. Rursus, tenebræ aër est luce privatus : e diverso lux substantia est, quæ dissolvit tenebras. Iterum dulce lævitas est humoris aut succi, quæ exhilarat gustus sensum : amarum vero est id quod dum degustatur, gustum exasperat. Itaque juxta simpliciorem et magis obviam intelligentiam isthæc adeo multum inter se dissident. Quis igitur ita demens est, ut in profunda nocte constitutus, lucem vocet tenebras, et interea dum ejus oculis tenebræ offunduntur, sit perinde affectus, ac si luce illustraretur? Quis itidem de rei amarulentæ gustu dolens, ita afficitur quasi ex dulcedine caperet voluptatem? Jam vero a quonam qui oculos habeat internosci facile non potest sensibilis pulchritudo? Nimirum pulchritudo per mutuam quamdam partium convenientiam bono colori emicanti conjunctam illicio quodam ultroneo et naturali obvios sibi conciliat, et vice versa deformitas suapte natura suos a se spectatores avertit.

XXXVI. Et quidem non videtur esse sermo de rebus quæ sensu percipiuntur : sed cum « præceptum Domini » lucidum sit illuminans oculos[2], » et lucerna pedibus justi verbum Dei sit[3], quisquis non vivit ex virtutis

[1] Psal. CIII, 34. — [2] Id. XVIII, 9. — [3] Id. CXVIII, 105.

præscripto, sed terrenis et corporeis volutatur affectibus, utique ille ipse fuerit qui vitam malitiosam veluti lucem aliquam amplectitur, vitam vero præceptis Domini congruentem uti tenebras quasdam aversatur. Et qui ob mandatorum difficultates eloquia Dei fastidit, licet sint justi faucibus et spirituali ejus gustui melle dulciora[1], si assentiatur voluptatis lenitati; ille dixerit amarum dulce, et dulce amarum. Sane eodem etiam modo sentiendum est de bono, cum id quod vere est bonum, sit quædam in anima erga virtutem bene affecta mediocritas. Virtus enim quiddam est medium ac mediocre. Cum autem ex alterutra parte deflectitur, sive excedendo, sive deficiendo, oritur inconcinnitas deformitasque. Exempli causa, fortitudo mediocritas quædam est : quod autem in ea redundat, audacia : quod autem desit timiditas vocatur. Itaque animæ pulchritudo mediocritas quædam est in virtute sita : fœditas vero, excessus sunt vel defectus a malitia emergentes. Quamobrem Scriptura eos miseros prædicat, qui malitiam veluti bonum probant ac consectantur, virtutem vero tamquam improbitatem declinant. Cæterum inquirendum etiam est quam ob causam de bono dictum sit : « qui dicitis : » de luce vero et de dulci non amplius hæc verba; « qui dicitis, » usurpata sint, sed isthæc; « qui ponitis. Væ » enim « qui » dicitis bonum, malum. » Et « Væ qui ponitis tenebras, » lucem. » Et « Væ qui ponitis dulce, amarum[2]. » Num igitur docet Scriptura nos in primis vitæ institutis eligendis per solam rationem in errorem delabi : sed cum devenerimus ad ipsa opera, nec tamen post experientiam a malo recesserimus, tum nos nobis ipsis quasi quasdam operum metas præstituere, ac immota malitiæ opera reddere. Quisquis enim ab intemperantia volup-

[1] Psal. CXVIII, 103. — [2] Esaï. v, 20.

tateque ad temperantiam sese non convertit, amarum non dulce ponit. Et qui vitam quæ ex Evangelio instituenda est, fugit, imo qui belluinam et rationis expertem vitam amplectitur, sibi ponit lucem tenebras. Qui autem his patrocinatur, ac audacter impudenterque loquitur de ineptis et absurdis actionibus, ille est qui dicit bonum malum; juxta Apostolum, qui non illos solum reprehendit, qui hæc faciunt sed eos etiam, qui assentiunt facientibus[1]. Rursus is ponit lucem tenebras, qui lucernam ponit subter modium aut occultat vase quodam, nec eam ponit super candelabrum [2]. Quamobrem verba illa, « dicere bonum malum, » usurpata sunt ad designanda dogmata : hæc vero, « ponere lucem tenebras, » consuetudinem per actus acquisitam significant.

XXXVII. « Væ qui intelligentes estis in vobismetipsis, » et coram vobis ipsis scientes[3]. » Sane non illi solum his verbis coarguuntur, qui offendunt in actionibus, sed etiam ii, qui in incredulitate et ignoratione Domini nostri Jesu Christi detinentur[4]. Qui enim non credit veræ luci, sed seipse facit diaboli filium, is vocat lucem tenebras, et tenebras lucem[5]. Quemadmodum igitur lux Dominus est[6] : ita et dulcedo est iis qui ipsum solerter et scite degustant : cum ipsis delicias suaves, ac omni animi jucunditate refertas præbeat. Quare qui eo degustato, expertus jam est dulcissimam hanc et suavissimam delectationem, dicit : « Gustate et videte quoniam suavis Dominus[7]. » Itaque qui non credit in Dominum Jesum, dicit dulce amarum. Rursus, qui non credit in Dominum, is neque cum veræ pulchritudinis natura consentit, neque admittit ipsius contemplationem. Nam ea quæ divinæ naturæ propria est pulchritudo non in

[1] Rom. I, 32. — [2] Matth. V, 15. — [3] Esaï. V, 21. — [4] Joan. I, 9. — [5] I Joan. III, 10. — [6] Joan. VIII, 12. — [7] Psal. XXXIII, 9.

concinna membrorum proportioue, nec in eximio quopiam colore, qui in corpore efflorescens creet oblectamentum, sed in sola mente maxime expurgata dignoscitur, juxta psalmum dicentem ; « Specie tua et pul» chritudine tua[1]. » Quisquis igitur suis ipsius oculis decoris divini fulgores minime excipit, hic dicit bonum malum. Hoc autem negato rejectoque, contrario utique assentitur. Etenim si Dominus lux est, profecto qui contrarius est, caligo est et tenebræ. Si dulcis est veritatis natura amarum procul dubio fuerit mendacium. Itaque dum negatur Deus, assensus præbetur ejus adversario. Quoniam igitur nullum est consortium justitiæ cum injustitia, nulla communio luci cum tenebris, nulla concordia Christo cum Belial[2], isthæc a se invicem sunt separanda. Eam ob causam magna diligentique opus est attentione, ut ne falsis rationibus decepti, eum qui se in lucis angelum transfigurat[3], lucem esse arbitremur : ne quis vitii amaritudine delectatus, dulcedinis dignitatem vitæ voluptariæ ascribat : neve animam corporeæ pulchritudinis servituti addicentes, in ea constitui existimemus, veræ pulchritudinis naturam.

XXXVIII. « Væ » igitur « qui intelligentes estis in » vobismetipsis, et coram vobis ipsis scientes[4]. » Possunt hæc de iis dici, qui sibi videntur esse intelligentes ac scientes, quamvis tales non sint. Possunt etiam et de iis accipi, qui vere dono intelligentiæ ac scientiæ præditi sunt, sed cæteros illius non faciunt participes : « Sapien» tia » enim « occulta, et thesaurus non comparens, » quæ utilitas in utrisque[5]? » Itaque qui sunt ejusmodi, coram se ipsis sunt scientes : nequaquam vero coram aliis : uti erat, qui apud se absconderat talentum[6]. At

[1] Psal. XLIV, 5. — [2] 2 Cor. VI, 14. — [3] Ibid. XI, 14. — [4] Esaï. V, 21. — [5] Eccl. XX, 32. — [6] Matth. XXV, 25.

neque sciens est coram Deo, qui non ad gloriam Dei usus est scientia. Quinetiam videtur esse prudentium et scientium tertia quædam acceptio. Qui quidem Dei ope tales existunt, donum illud ab eo esse agnoscunt : qui autem intelligentiæ causam et originem in Deum non referunt, imo qui sibi ipsis quæ præclare gesserint, ascribunt, ii in semetipsis sunt intelligentes, et coram se ipsis scientes ; adversum quos opportunum fuerit dicere : « Quid autem habes quod non accepisti? Si » autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis[1]? » Et illud, « Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum » laboraverunt, qui ædificant[2]. » Dicitur itaque intelligentia, veluti facilis quædam ac prompta animæ comprehensio, rerum notitias in unum statim colligentis : quæ per perfectionem seminum in nobis reconditorum et a ratione proficiscentium fieri ac conflari solet. Vel intelligentia est animi solertia et sagacitas, quæ celeriter et expedite id quod rebus singulis proprium sit ac conveniens, inveniat. Scientia autem habitus est in se stabilis et firmus, ac ratione immutabilis. Sciens vero ille est, qui contemplationes ad consequendam beatitudinem conducentes comprehendit, quatenus eas jam habitu firmiterque in se ipso continet. Sapientia autem dicitur scientia esse divinarum et humanarum rerum, et causarum ipsarum. Quoniam autem sapientia ipsa Christus est, eum dicemus sapientem, qui participatione Christi quatenus sapientia est, jam exstat perfectus[3]. Quispiam autem intelligens esse noscitur per perfectionem seminum intelligentiæ in nobis manentium. Quispiam vero sciens est, quatenus contemplationes ad beatitudinem comparandam attinentes comprehendit, cum jam illas habitu et stabiliter in se ipso continet. Invenimus autem

[1] 1 Cor. IV, 7. — [2] Psal. CXXVI, 1. — [3] 1 Cor. I, 24.

in Exodo oraculum, quod de architectis dicit : Implebo eos spiritu divino intelligentiæ et scientiæ[1]. Quapropter væ ei qui intelligentiæ et scientiæ causam et originem Deo non attribuit. Nemo igitur sibi vendicet res tantas, nec scientem, nec intelligentem, nec sapientem esse se dicat : sed cum sapientia, divinarum humanarumque rerum scientia sit, harum causam Spiritui sancto ascribat. « Egredietur » enim « virga de radice Jesse, et » flos de radice ascendet. Et requiescet super eum spiri- » tus Dei, spiritus sapientiæ et intellectus, etc.[2] »

XXXIX. « Væ fortes vestri, et qui bibunt vinum, et » potentes qui miscent siceram[3]. » Lex et sacerdotibus mox sancta ingressuris usu vini ac siceræ interdicit, et iis quoque qui vocantur Nazaræi[4], ut dictum est in Numerorum libro, hoc modo : « Locutus est » enim « Domi- » nus ad Moysem, dicens : loquere filiis Israël, et dices » ad eos : vir aut mulier, qui magnopere voverit » votum purificandi puritatem Domino, a vino et sicera » temperabit[5]. » Et in Proverbiis Salomon ait : « Poten- » tentes iracundi sunt, vinum non bibant ; ne bibentes » obliviscantur sapientiæ[6]. » Nam divini verbi administros, ac eos quibus hominum concredita est cura, prorsus ab iis quæ mentem perturbant, abstinere par fuerit. Posteaquam enim multum introierit meri, quasi tyrannus quidam ad arcem ascendit ; atque nihil non iniquum imperans, a summo vertice irrequietos in anima tumultus excitat. Imo ratione ipsa in servitutem primum redacta, omnem concinnitatem ex disciplina ortam confundit perturbatque, et risus indecoros, vocem turbulentam, procaces iras, cupiditates effrenatas, stimulum ac furorem ad omnem iniquam voluptatem

[1] Exod. xxxi, 3 et 6. — [2] Esaï. xi, 1. — [3] Id. v, 22. — [4] Lev. x, 9. — [5] Num. vi, 1. — [6] Prov. xxxi, 4, apud 70, sub finem cap. 24.

provocantem exsuscitat. Quamobrem non bibant vinum potentes, neque ii, quibus principatus quidam, aut rerum publicarum administratio concredita est, neque ii, qui ob ætatis vigorem corporeis viribus pollent. Enimvero qui sunt ejusmodi, utpote suapte natura ad iras proni, postquam fomes etiam vini et incitamentum accessit, suppeditata abunde materia, quæ apta est ustioni et idonea, velut flammam quamdam in sublime attollunt. Quoniam autem « exiguo conceditur misericordia : » potentes vero potenter tormenta patientur[1]; » idcirco væ fortibus ob acceptum a vino et a sicera detrimentum. Cui enim multum traditum est, amplius ab ipso reposcetur[2].

XL. Itaque si commissa tibi sit mysteriorum dispensatio, sermo sapientiæ, facultas scientiæ, tu tamen animum vino immersum circumferas, nonne jure optimo te deflet ac lamentatur Propheta? Nam cum penes te sit vis spiritualis, eam vini intemperantia reddis imbecillem. Et qualicumque tandem succubuerit quis perturbationi animæ, is tamquam in ebrietatem inductus, per hanc mentis alienationem ex vitio ortam, bibere vinum, et sibi siceram miscere dicitur : quod nomen novimus, si interpretemur, ebrietatem significare. Nam ratione vitiosis affectibus inserviente, pari modo et tristitia, et timor, et voluptas, et cupiditas ineptias ac stupiditatem in anima procreant. Nos itaque potentes, qui populo sumus præfecti, si vel minimum vitio succumbamus, licet rationis temperamentum adhibentes, vitium ratione frenare ac inhibere videamur, nihilominus tamen ob hujusmodi causas dicimur miseri. Nam gloriæ vanæ cupido et principatus studium, gravis ebrietas est. Gravis temulentia est invidia, hypocrisis,

[1] Sap. VI, 7. — [2] Luc. XII, 48.

et ea quæ adversus proximum fit obtrectatio : quibus malis inebriata anima obliviscitur sapientiæ. Nihil enim sic obturbat et confundit contemplationem sapientiæ, ut vitium illud, ac peccatum omne. Quo autem pacto sapiens fuerit iracundus? Quia nondum de eo loquitur, qui affectibus sit prorsus immunis, sed hactenus de eo disserit, cujus affectus extant mediocres. Quemadmodum et alibi dicit : Insipiens eadem die prodit iram : sapiens vero eam reservat per partes[1]. Itaque qui ratione cupiditatem ac vitium frenat, ab eo iram parce et moderate proferre dicit; sicut scriptum est : « Irasci-» mini et nolite peccare[2]. » Dominus autem qui jubet perfectiora, ait vitium illud esse penitus abscindendum[3], non temperandum ac castigandum.

XLI. « Væ iis qui justificant impium pro muneribus, » et justitiam justi auferunt[4]. » Perspicua est hæc sententia quæ condemnat eos, qui pro tribunali sedentes, ob suum in mammonam studium corrumpunt judicium rectum, faventque cuilibet ob munera accepta : qui itidem impium, justum appellantes, justum injustitiæ damnant[5]. Ratio enim pecuniarum desiderio præoccupata, trutina est, quæ suo pondere momentum libræ deprimit. Attendamus igitur diligentius nobis ipsis, ne forte impium quempiam sive hominem sive sermonem justificemus, adducti videlicet ad hos approbandos per collatum quoddam in nos beneficium, nequando in miserias intentatas incidamus. « Propter hoc, sicut uretur » stipula a carbone ignis, et comburetur a flamma » accensa, radix eorum quasi lanugo erit, et flos eorum » quasi pulvis ascendet. Noluerunt enim legem Domini » Sabaoth, sed eloquium sancti Israël irritaverunt[6]. »

[1] Prov. XII, 16.—[2] Psal. IV, 5.—[3] Matth. V, 23.—[4] Esaï. V, 23.—[5] I Reg. VIII, 3. — [6] Esaï. V, 24.

Interminatur hæc sententia comburendas esse peccatorum radices, ac in lanuginem comminuendas, floremque ipsorum, tamquam pulverem ascensurum. Quæ nunc inferuntur pari ratione ac quæ prius tradita sunt, intelligamus. Postquam enim superius disseruit de iis, qui immodico vino usi sunt, eosque qui in judiciis munera accipiunt, reprehendit, nunc eorum radices uti stipulam a carbone ignis comburendas esse affirmat. Calamus autem planta est radice debili innixa, extima superficie lævis, intus inanis et vacua : quæ inæqualiter recipiens incrementum, frequentibus intercipitur geniculis, quod virtus qua increscit, infirma cum sit, plantam istam modo plano et æquali augere non possit, sed intermediæ cujusdam stabilitatis indigeat. Quapropter perficitur geniculum tum, cum virtus illa quiescit. Nam ubi paululum emersit, exinde subsidit, sicque longiore mora geniculum efficit. Deinde rursum vis illa geniculo tamquam basi quadam ac fundamento usa, se rursum exerit; et dum ita semper interquiescit, plantam absolvit. Tales sunt, qui ex hujus mundi rebus illustres evadunt ac conspicui : quippe putri fundamento nixi, et juxta interiorem hominem vacui, inter mundanarum rerum inconstantiam ac inæqualitatem vitam suam traducunt. Eam ob causam, quemadmodum uretur stipula a carbone ignis : ita radices eorum a flamma accensa affirmàt combustum iri.

XLII. Est autem carbo, ignis quasi terrestris ac spissior, qui post materiæ transitum in crassiore materia remanet. Quoniam igitur ii qui inter turbulentos animi affectus vivunt, perturbationum suarum habent ignem peculiarem, quemadmodum et dives ille intrinsecus habebat causam, quæ per sitim ipsum incendebat, idcirco vinum bibentibus uti vinolentis extremum per

flammam exitium comminatur. Sed quia propter munera etiam jus pervertunt, ait radicem ipsorum esse comburendam a flamma accensa; radicem videlicet appellans avaritiam, de qua et Apostolus hanc sententiam tulit : « Radix omnium malorum est avaritia[1]. » Qualem autem florem verisimile est ab hujusmodi radice emergere, nisi similem pulveri suapte natura instabili et in aëra effuso? Aut forte quemadmodum pulvis respirationem impediens, vitæ nostræ molitur insidias : ita et avaritiæ flores, inexplebilis pecuniarum cupiditas, injustitiæ, mendacium, calumnia, et alia quæcumque radicis pravæ germina sunt, vitam nostram penitus tollunt, cum spiritum munditiam præpediant. Cæterum prudenter admodum non dixit : « Et fructus eorum, » sed « flos eorum. » Nam imperfecta manent nequitiæ germina, et simul atque germinare ac primum florere cœperint, marcescunt. » Vidi » enim « impium superexaltatum : et transivi, » et ecce non erat[2]. » Et quidem justus veluti lignum, secundum decursus aquarum consitum[3], continuo vitæ allapsu irrigatur : sed comburetur peccatoris radix, « et » flos, ut pulvis ascendet. Nam noluerunt legem Domini » Sabaoth, sed eloquium sancti Israël exacerbaverunt[4]. » Legem et eloquium appellat diversa Domini nomina : eam ob rem Propheta de ejusmodi eloquio tanquam animato ait : « Eloquium Dei irritaverunt. » Est enim lex viva Verbum Dei, unigenitus filius, per quem facta sunt omnia[5].

LXIII. « Et indignatus est ira Dominus Sabaoth adversus populum suum, et immisit manum suam super » eos, et percussit eos. Et exacerbati sunt montes, et facta » sunt morticina eorum, sicut stercus in medio viæ. Et » in omnibus his non est adversus furor ejus, sed adhuc

[1] 1 Tim. VI, 10. — [2] Psal. XXXVI, 35. — [3] Id. I, 3. — [4] Esaï. V, 24. — [5] Joan. I, 2.

» manus excelsa [1]. » Fortium potentiumque peccatum iræ a Domino adversus populum commotæ viam patefecit. Quamobrem priore loco dixit : « Væ fortes vestri, et » potentes; » deinde subjungit : « Et indignatus est ira » Dominus adversus populum suum, » cum videlicet et ipse ad exemplum præfectorum versaretur in peccatis, essetque dignus, qui flagella furoris ac iræ Domini pateretur. Est autem furor quædam sanguinis circa cor ebullitio, a quopiam veluti tumore, ex humorum vaporatione circa cor concreto, nomen sortitus. Ira vero est appetitus vindictæ. Itaque furor velociter commovet affectum : ira vero firmiorem ac perseverantem tristitiæ expletionem indicat. Credere quidem pium fuerit ac religiosum, de Deo neutrum propie dici : sed hæ voces figuratæ sunt et translatæ. Non enim perturbatio ulla in Deo est, neque adventitia ulla qualitas cadere potest in ejus essentiam. Verum actio ejusmodi quæ in nobis excitatur appellatur furor. Et fortasse severa et gravis castigatio ira dicitur : reprehensio vero quæ cogitationes nostras perturbat, furor nuncupatur. Etenim Deus furore extimulatus, eos quibus succenset, turbat ac confundit, necdum ipsos ullo dignatur sermone, juxta illud dictum : « In furore suo conturbabit eos [2]. » Qui autem castigantur in ira, hi disciplina censentur digni, prout dicitur : « Tunc loquetur ad eos in ira sua [3]. « Qui enim ob peccata redarguitur, nondum est castigatus : qui autem castigatur, ostendit accedere se jam aliquo pacto ad scientiam. Itaque si castigat ira, furor vero objurgat, ira furori præstat. Quare et Jeremias : « Corripe nos « Domine, verumtamen in judicio, et non in furore [4]. » non enim dixit : « Et non in ira ; » quandoquidem correctio ex judicio profecta, benignior est et mitior quam

[1] Esaï. v, 25. — [2] Psal. II, 5. — [3] Ibidem. — [4] Jerem. x, 24.

quæ per furorem et iram adhibetur. Quisquis enim corripitur in judicio, et a sermone illustratur, ex Dei judiciis emolumentum percepturus est atque utilitatem, cum nihil peragat citra judicium, imo perficiat omnia cum sano judicio; sic ut nec ipsius cogitationes judicii sint expertes, juxta id quod dictum est : « Cogitationes jus- » torum, judicia[1]. » Et quidem judicii tempore, cum manum suam populo injecerit; montes etiam dicuntur exacerbandi. Nimirum indicat Scriptura omnem simul concurrere creaturam ad ulciscendum peccatores[2]. Quemadmodum enim plagarum Ægyptiacarum tempore ab omni parte eos invadebat bellum, ab aëre a terra, aqua : sic et modo, cum Dominus populo manum suam ad ipsum percutiendum injecerit. Quinetiam exacerbandi montes sunt, atque morticina populi ut stercus per ignominiam et dedecus in media via jacentia conculcabuntur. Consideres velim eos qui in peccatis constituti vitæ hujus immorantur negotiis, atque proculcancantur ab adversariis potestatibus : quorum cor cum non ducatur pœnitentia, affirmat Dominisermo iram non esse ab iis avertendam, sed etiamnum manere manum excelsam, id est, erectam ad ultionem sumendam. Quippe manum vocat virtutem vindicem secundum Job : « Manus enim Domini est, quæ me tetigit[3]. » Et in ipso hoc libro diabolus tempore castigationis de manu loquitur : « Nequaquam, sed mitte manum tuam, et tange » ossa ejus[4]. »

XLIV. « Igitur elevabit signum in nationibus longin- » quis et propinquis, et sibilabit eas ab extremo terræ. » Et ecce cito leviter veniunt[5]. » Scriptura quidem ad litteram videri posset Romanorum exercitum prædicere,

[1] Prov. XII, 5. — [2] Sap. V, 18. — [3] Job. XIX, 21. — [4] Id. II, 5. — [5] Esaï. V, 26.

qui in extrema obsidione Jerosolimam invasit. Nam in hoc apparatu indices militares complebantur tum ex longinquis, tum ex propinquis gentibus : nempe ex iis quæ circa Syriam et Arabiam habitant : quin et aliæ nationes quæcumque adjacent Judææ, a Romanis ad militiam describebantur. Erectum est in gentibus illud signum, hoc est, signum crucis quæ apparuit. Et quidem gentes ad fidem accitæ sunt : Jerusalem vero ruinæ tradita est et eversioni. Fortasse autem ita cito et leviter veniebant quod erat belli gerendi desiderium quo ducebantur, ut obliviscerentur commeatuum, neque opperirentur militare stipendium, neque intermissionem ac laxamentum exposcerent, neque exuerent se militari habitu. Isti quasi solida petra habiti sunt, et currus eorum quasi procellæ. Erant pares leonibus vi, et leonum catulis impetu : quorum fuit clamor veluti maris æstuantis, quo tempore populus qui oppugnabatur, nihil aliud nisi crassas tenebras in terra sparsas cernebat.

CAPUT VI.

I. « Et factum est anno, quo mortuus est Osias » rex : vidi Dominum. Et missus est ad me unus de Sera» phim[1]. » Semper a prima mundi constitutione et origine ad sanctos mittuntur divinæ potestates, quæ humanæ naturæ resarciant infirmitatem. Missus igitur est etiam ad Esaïam unus, qui ab eo auferret peccata, ipsumque expiaret. Missus est autem, posteaquam (Dominus) eum audivit miserias suas deflentem. Dixit enim : « O » miser ego quia compunctus sum : quia homo cum sim,

1 Esaï. VI. 1.

» et immunda labia habeam, in medio populi immunda » labia habentis ego habito[1]. » Hæc dicebat et Paulus : « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis » hujus[2]? » Deinde etiam hic ipse quasi jam consecutus divinum subsidium, addit : « Gratias ago Deo per Jesum « Christum » Dixit autem illud, « O miser ego, » postquam regnum Dei qui super solium excelsum et elevatum sedebat, atque mundum adeo vastum gloria sua adimplebat, clare animo perspexisset. Etenim antequam Deum mente perciperet ,non comperitur dixisse : « O » miser ego. » Nam et Abraham ipse cum Deus sese ipsi ostendit, tum dixisse refertur : « Ego autem sum terra » et cinis[3]. » Similiter etiam et Moyses omni Ægyptiorum sapientia eruditus, et, ut credere par est, hos omnes ingenii dexteritate ac intelligentia exuperans[4], linguæ hæsitantia et tarditate laborare se non advertebat : sed ubi Dominum oracula edentem audivit, tunc loquendi difficultatem ac linguæ tarditatem sensit[5].

II. « Et in manu sua habebat carbonem quem for» cipe tulerat de altari, et tetigit os meum[6]. » Qui hanc interpretantur sententiam animo judaico, dicturus est utique Dominum in aliquo civitatis Jerosolymitanæ loco fuisse visum, in solio excelso et elevato sedentem : Seraphimque in ejus circuitu stetisse, et sumptum ex holocautomatum ara ignem ori Prophetæ ad labia ejus expurganda ab uno Seraphim oblatum fuisse. Nos vero qui quæ in lege memorantur, imaginem esse cælestium et umbram credimus, omnem creaturæ tum spiritualis, tum sub sensus cadentis cœtum et universitatem domum dicimus : illum vero Dei in omnes principatum ac dominium dicimus solium elevatum, Seraphim autem

[1] Esaï. VI, 5. — [2] Rom. VII, 24. — [3] Gen. XVIII, 27. — [4] Act. VII, 22. — [5] Exod. IV, 10. — [6] Esaï. VI, 6.

cælestes virtutes. Si enim, quod quidam opinati sunt, duo cœli hemisphæria alternis vicibus se super terram conspicienda præbeant, utroque sex partibus tanquam alis quibusdam ad velocem motum utente, qui fieri potest ut missa sit harum altera, aut ab alia avulsa, quandoquidem continua est cœli natura? Verum, ut cœperam dicere, virtutes cælestes propter summam suam sanctimoniam habitæ sunt dignæ, quæ throno proxime astarent; quarum una venit ad Prophetam. Quemadmodum enim Deus omnium gubernator ad hominum curam e cœlo respicere haud fastidit : ita nec particulares illæ virtutes ad impertienda hominibus beneficia ministerium suum denegant. Accepit igitur Seraphim ille forcipe carbonem ab altari. Tecum reputa quale fuerit altare, illud ad quod aditus ita difficilis erat, ut ne audeat quidem ipsum in manu Seraphim attingere, sed forcipe ignem in manum accipiat. Et sumpsit carbonem. Accepit ignem in manum. Cujusmodi est hic, qui peccata expiat? Num forte cognationem habet cum eo igne, de quo dictum est : « Ipse vos baptizabit in Spi» ritu sancto et igni[1] ? » Sed quia carbo ignis ille est, qui in materia jam crassiore ac magis terrestri remanet (nam ubi flos viresque flammæ pertransiere, reliquiæ illæ quæ circa crassam hanc ignis materiam versantur, vocantur carbones) fortasse igitur futurum Domini in carne adventum significat. Dicitur enim : « Verbum caro factum » est[2] : » atque caro illustratione divinitatis suscepta, juxta, id quidem quod erat corporeum, sensibilis erat : at secundum suam cum Deo unionem, pellucida erat et illuminata. Illa autem caro sustulit peccata mundi, et iniquitates nostras perpurgavit[3]; quam in ænigmate prophetia nobis exhibuit[4]. Nabad quidem et Abiud concre-


[1] Matth. III, 11. — [2] Joan. I, 14. — [3] Ibid. 29. — [4] Heb. I, 3.



mati sunt, utpote alieno igne usi[1]; Seraphim vero ille e sancto igne in spiritali illa verorum holocaustorum ara posito, non per se, sed cum forcipe carbonem sumpsit. Sed ut ostendat ignem cælestem non comburere, sed expurgare : hunc manu susceptum ita labiis admovet. Huic igni ignis ille similis erat et affinis, qui in rubo apparuit; quem vidit Moses plantæ incumbentem, nec tamen rubum exurentem[2]. Fortasse autem forceps eam facultatem indicat, qua quisque præditus bona a Deo concessa recipere valet, pro ratione ejus qui unicuique ad virtutem inest habitus.

III. « Et audivi vocem Domini dicentis : Quem mit- » tam, et quis ibit[3]? » Mosem quidem non interrogat : sed quasi eum jam haberet paratum, ait : « Et nunc » veni, mittam te ad Pharaonem regem Ægypti[4]. » At vero ad Esaïam ait : « Quem mittam, et quis ibit? » Ecqua est causa? Quia illic quidem mittebatur Moses bonum beneficiumque in populum collaturus : hic autem ministerium proponitur circa res molestas. Quocirca illi injungitur præceptum : huic vero relinquitur obeundæ legationis potestas; propterea quod nos homines ea quæ libentes gerenda conspicimus, tametsi ardua, sustinere soleamus. Eam ob causam sponte ab Esaïa vult Dominus hanc legationem recipi. Atque necessitatem quidem ostendit legationis, sed tamen vult, ut ex animi alacritate exploratum sit ac compertum, personam fuisse explendæ administrationi idoneam. Quare Moses ad splendidissimum vitæ genus et ad tanti populi præfecturam accitus, abnuit et deprecatur; « Quis sum ut pergam » ad Pharaonem regem Ægypti, et educam populum ex » terra Ægypti[5]? » Et rursus, « Precor, Domine, non » sum idoneus ante hesternum, neque ante tertium diem

[1] Lev. x, 2.—[2] Exod. III, 2.—[3] Esaï. VI, 8.—[4] Exod. III, 10.—[5] Ibid. 11.



» neque ex quo cœpisti loqui ad famulum tuum[1].» Et iterum : « Supplico, Domine, elige alium qui possit, » quem mittes[2]. » Esaïas autem licet nihil hujusmodi audiisset, sed esset solam mittendæ legationis necessitatem edoctus, se ipse libens obtulit, ac præ summo amore et studio injecit sese in media pericula; nec ad ullum malorum quæ sibi erant a populo inferenda, attendit. Observa autem Prophetæ accuratam et circumspectam loquendi rationem. Nam ad duas sententias unum adhibuit responsum : « Quem mittam, et quis ibit? Ecce ego « sum, mitte me. » Nec jam adjecit, « Et ego ibo : » si quidem est nostri arbitrii et potestatis recipere legationem : confirmare autem ad profectionem, ejus est qui gratiæ largitione nos corroborat, Dei videlicet. Itaque qnantum pertinet ad id quod ex libera voluntate pendebat, dixit : « Ecce ego sum : mitte me : » quod autem erat gratiæ; reliquit Domino. Non enim pollicitus est sese profecturum, utpote suæ ipsius infirmitatis conscius. Audit autem vocem Domini is etiam cujus corporalis auditus ictus non est tum, cum mens eorum quibus Deus consilium suum revelare voluerit, a Deo informatur. Hi enim quorum animus informatur ineffabili quadam virtute, mentem valde attentam ac puram custodientes, sermonem Dei veluti in se sonum edentem possident, etiamsi aër non excipiat formas ullas, neque ad aurem transmittat. Nam in Prophetæ animo quasi in quodam libro voluntatem suam inscribit Deus : et audire dicitur is, qui in animo divina sensa excipit. Quamobrem postquam dixit Propheta : « Ego sum, mitte » me; » ad sequentia nihil respondit. Non enim dixit : « Ego ibo, » propterea quod major fuisset ejusmodi pollicitatio, nec ipsius viribus par. Quod autem sibi non

[1] Exod. IV, 10. — [2] Ibid. 13.

vindicavit id ei largitus est Dominus. Dixit enim ipsi : « Vade, et dic populo huic. » Et quidem cum dicit : « Ecce sum ego[1]; » jam confidens tanquam ejus qui est factus particeps, inter ea quæ sunt, se ipse annumerare audet; atque hoc dixit, postquam labia ipsius fuerunt mundata. Qui autem in iniquitatibus jacet, et ejus qui est, agnitione non donatur, non potest sibi ipsi testimonium illud reddere : « Ecce ego sum. » Quoniam autem posuit Deus primum Apostolos, deinde Prophetas[2], ea de causa et Esaïas primum accepit apostolatus munus. Quin et Moyses recensetur inter Apostolos. « Veni enim « inquit, mittam te ad Pharaonem regem[3]. » Sed et Jeremias audit : « Ad omnes ad quos misero te, ibis[4]. »

IV. « Vade, et dic populo huic auditu audietis et » non intelligetis, et respicientes respicietis, et non » videbitis[5]. Incrassatum est enim cor populi hujus, et » auribus graviter audierunt, et oculos suos clauserunt : » ne forte videant oculis, et auribus audiant, et corde » intelligant et convertantur, et sanabo illos[6]. » Sententiam hanc retulit in actibus Lucas[7]. Et missus est ad me unus ex Seraphim. Scripturæ docent Seraphim cælestem quamdam virtutem esse, iniquitates expurgantem, cui concredita administratio est. Missi igitur sunt administratorii illi spiritus ad nos, qui sumus futuri hæredes salutis[8]. Sed non sua auctoritate, aut suo arbitrio veniunt nos invisuri. Etenim præcipua et naturalis eorum vita, est pulchritudinem Dei cum omni attentione contemplari, eique jugiter gloriam dare, Sollicitudo autem et cura erga nos homines adhibita, functio quædam est adventitia. Quamobrem ait : « Missus est ad me unus ex » Seraphim. » Videtur autem Propheta cum Seraphim

[1] Exod. III, 14. — [2] I Cor. XII, 28. — [3] Exod. III, 10. — [4] Jerem. I, 7. — [5] Esaï. VI, 9. — [6] Ibid. 10. — [7] Act. XXVIII, 26. — [8] Heb. I, 14.

famulatum conspexisset, qui nihil aliud agunt nisi quod Deum prædicent sanctum, tunc animadvertisse impuritatem labiis suis insidentem, quod et de rebus humanis fuerat locutus, et verbis ad mundi hujus vanitatem spectantibus sæpenumero linguam suam inquinarat. Itaque ob comparationem cum Seraphim illis initam compungitur, quippe quia Seraphim aliud nihil loquntur, nisi quod divinitatis clamant sanctimoniam : contra, ipsius vocem res humanæ plerumque occuparant. Quamobrem dixit : « O miser ego quia compunctus sum : quia homo « cum sim, et immunda labia habeam, in medio populi « habito, immunda labia habentis[1]. » Eumdem ad modum et Moses antea intellexerat balbum esse et tardiloquum : qui tamen omni Ægyptiorum sapientia fuerat eruditus, illosque omnes ingenii acumine ac intelligentia superarat[2]. Verum cum audivit Deum oracula edentem, tum suam agnovit infirmitatem[3]. Abraham quoque Deus quando se ei exhibuit conspiciendum, tunc confessus est esse se terram et cinerem[4]. Itaque et Esaïas perinde atque illi, posteaquam vidit sedentem in solio excelso et elevato, gloriamque contemplatus est totam mundi domum adimplentem, et ubi conspexit Seraphim in throni circuitu illam suam vocem cum tremore emittentes tunc se ipse miserum appellavit, tum labiorum suorum cognovit impuritatem, eoque habitus est dignus, qui a Seraphim purgaretur. Observa autem ejus delicta ad quamlibet actionem et operationem nequaquam sese extendisse, seb labiorum tenus et sermonum duntaxat constitisse.

V. « Et in manu habebat carbonem, quem forcipe « tulerat de altari, et tetigit os meum[5]. » Quod quidem ad verbum attinet, videtur sermo esse de templi altari

[1] Esaï. VI, 5. — [2] Act. VII, 22. — [3] Exod. IV, 10. — [4] Gen. XVIII, 27. — [5] Esaï. VI, 6.

ex quo Seraphim accepit carbonem in suam manum ab altari holocaustorum : at secundum veritatem, propterea quod cultus judaicus imagini et umbræ cælestium exprimendæ subserviret, cæleste quoddam altare intelligendum est, hoc est locus expurgandis animis idoneus, unde ignis ille purgans ob virtutes illas sanctitate præditas emittitur. Tali igne cor Cleophæ et Simonis incalescebat, Domino eis adaperiente Scripturas [1]. Cor eorum qui Spiritu fervent, hujusmodi igne incenditur. Similem ignem accepit Jeremias, ideoque dicebat : « Et factus » est ignis in visceribus meis, et dissolutus sum undi» que[2]. » Multum autem honoris ac reverentiæ altari huic exhiberi ex eo ostendit, quod illud sua ipsius manu attingere Seraphim non audeat, sed forcipe quasi medio quopiam instrumento utatur. Itaque carbonem intelligamus sermonem verum, qui ignito quodam et objurgatorio modo mendacium expurget eorum, quibus ab illa virtute studiose ac strenue operam suam dante allaturus est. Putandum namque est Seraphim manum pro facultate bona suppeditante accipiendam esse. Et dixit « Ecce « tetigit hoc labia tua : et auferet iniquitates tuas et « peccata tua perpurgabit[3]. » Dictum id fuisse Esaïæ soli existimandum non est, sed et omnibus, quos tangit ignitus ac verus sermo, qui prorsus abolet quæ committuntur præter divinam legem, atque peccata expurgat. Excipiamus autem et nos divini verbi adventum ut in ore nostro velut insidens, locumque nullum mendacio præbens, expurget nostra labia, et auferat iniquitates nostras. Incredibile autem non est carbonem in verbi naturam mutatum iri, juxta testimonium psalmi dicentis : « Ignitum eloquium tuum vehementer, et servus » tuus dilexit illud[4]. »

[1] Luc. XXIV, 32. — [2] Jerem. XX, 9. — [3] Esaï. VI, 7. — [4] Psal. CXVIII, 140.

VI. « Et audivi vocem Domini dicentis : Quem mit« tam, et quis ibit ad populum hunc? Et dixi : Ecce « sum ego mitte me[1]. » Quæri jure ac merito potest cur Moses missus deprecetur, et cur legatione recusata plurimum reclamet : Esaïas vero tanta cum alacritate sese offerat. Moyses enim nequaquam interrogatur, « Quem « mittam? » sed ipse in propria persona excipit mandatum : « Et nunc, inquit, veni : mittam te ad Pha» raonem in Ægyptum : et educes populum meum filios » Israël de terra Ægypti[2]. » Contra permittit se ipse Esaïas, licet sermo suspensis et incertis verbis administrum ad obeundam legationem exposceret. Quid igitur respondemus? Nequaquam pugnant inter se sanctorum animi, quasi forent sibi invicem circa rem eamdem adversi. Sed cum novisset Moses causam, ob quam mittebatur, ideo moram trahebat, quod simul et ad cor Pharaonis inflexibile, et ad populum incredulum atque intractabilem respiceret. Erat namque expertus ingratum Judæorum animum, qui vel beneficiis affecti eum fugere coëgerant. Quocirca non ferens eorum malignitatem, secessit in solitudinis quietem; atque per speciem pascendi gregis, civitatum, multorumque hominum tumultus declinavit. Eam ob rem ait : « Quis sum ut » vadam ad Pharaonem, et ut educam populum e terra » Ægypti[3]? » Neque enim Pharao dimittet populum, nisi attritus gravissimis malis, nec populus facilis est tractatu, imo semper iis qui ipsius saluti consulunt, reluctetur. Cæterum et quæ sequuntur, Mosis detegunt animum. Cum enim Deus, conflato jam vitulo, gratiam impertivisset famulo suo, ac populi peccatum condonasset, tum demum ait : « Abi, et dux esto populi « hujus, et mittam angelum meum ante te[4]. » Quid igi-

[1] Esaï. VI, 8. — [2] Exod. III, 10. — [3] Ibid. 11. — [4] Id. XXXII, 34.

tur Moses? « Obsecro, Domine, nisi tu ipse proficiscaris « ante nos, ne nos hinc educas[1]. » Quæ igitur erat viri sententia? Populum illum peccatis obnoxium esse, atque indigere eo, qui remittat peccata, id quod angeli præstare non possunt. Angeli mulctant quidem delinquentes, ac ulciscuntur, delicta vero non queunt condonare. Quamobrem efflagitat ut ipse veniat; hoc est quod et nunc dicit : « Elige alium quem mittas[2]; » hoc est, veniat verus legislator, potens ille Servator, qui solus potestatem habet remittendorum peccatorum[3]. Quoniam autem nondum advenerat plenitudo temporum[4], et hominum genus prius figuris assuefactum oportuit[5], idcirco Prophetæ petitio exaudita non est. Esaïas autem post concessam peccatorum suorum veniam, cum dixisset : « In medio populi ego habito, immunda labia haben» tis, » tum audivit : « Quis ibit ad populum hunc? » Ratus quæri qui mitteretur ad similia beneficia in eos conferenda, præ immodica lætitia se ipse offert, ut et ipsis peccata relaxarentur. « Ecce ego, inquit, mitte « me. » Itaque et illius excusatio et hujus alacer assensus rationibus justis innitebantur. Erat sane sancti hujus responsio secura, et omnis periculi expers, qui jam ex carbonum purgatione opem et præsidium accepisset. Cum enim dixisset Dominus : « Quem mittam, et quis « ibit? » Ad illud quidem, « Quem mittam, » respondit : « Ecce sum ego : » ad hoc vero : « Quis ibit? » non item respondit : « Et ibo. » Noverat enim opus esse Deo adjutore ad agendum : quare quod liberæ erat voluntatis et arbitrii id obtulit; quod vero indigebat perficiente, id silentio prætermisit. Dictum est autem sæpenumero, quomodo audiat quispiam vocem Domini.

[1] Exod. XXXIII, 15. — [2] Id. IV, 13. — [3] Marc. II, 7. — [4] Gal. IV, 4. — [5] I Cor. X, 11.

Nimirum mens ejus qui ejusmodi dono dignatur, sibi per ineffabilem quamdam virtutem fingit Dei sermonem, insonante iis qui digni sunt virtute divina, non ad aures corporis : sed ipsam partem præcipuam animi eorum qui purgati sunt, mentem scilicet informante, ac tacite perceptiones rerum ac species in eis quasi inscribente, id quod auris voce sensibili percussa ad usque nostri animi sensum transmittit. Audivit igitur spiritualem vocem in corde resonantem : quod et in somniis fieri contingit. Videmur enim audire, nemine loquente; nec tamen vox sensibilis per aërem defertur ad auris meatus. Sic igitur loquitur Deus, sicque audiunt sancti.

VII. « Vade, » inquit, « et dic populo huic : aure » audietis, et non intelligetis; et respicientes respicietis, » et non videbitis[1]. Incrassatum est enim cor populi » hujus, et auribus suis graviter audierunt, et oculos » suos clauserunt, ne forte videant oculis, et auribus » audiant, et corde intelligant, et convertantur, et » sanabo eos[2]. » Beatus Paulus dum Romæ cum Judæis disputaret, sententiam hanc perspicue et evidenter ad tempora adventus Domini referens, in actis dicebat : » Bene enim Spiritus sanctus locutus est per Esaiam pro» phetam ad patres vestros, dicens : Vade, et dic populo » huic, etc[3]. » Et hæc sententia maxime ostendit prophetam ceu divino afflatu loquentem : quippe audivit populus Jesu sermonem, nec tamen intellexit; et quanquam patrata ab eo miracula cerneret, ea non videbat. Hæc enim sententia cum in futurum tempus inclinet, vaticinia ad posteriora tempora spectare indicat; et inde declaratur divini judicii æquitas. Etenim cum Esaïas dixisset habere se labia immunda, et de populo pariter subjunxisset : « In medio populi habito immunda labia

[1] Esaï. VI, 9. — [2] Ibid. 10. — [3] Act. XXVIII, 25.

» habentis, » concessum ei fuit veniæ donum, eidemque per unum e Seraphim accessit purgatio, populo non item : siquidem pari non movebantur affectu et propheta et populus. Ille enim vidit Dominum Sabaoth in solio sedentem; atque iis quæ intuitus est, adhibuit fidem : hi vero licet Dominum viderent secum diversantem, minime crediderunt. Et ille auditis Seraphim, divinas laudes ab ipsis decantatas intellexit : hi autem verba exaudientes Servatoris, ea non excepere. Atque cor quidem illius utpote compunctum, proprium sensit peccatum, quapropter dixit : « O miser ego quia com- » punctus sum : » horum vero cor incrassatum est, ut ne ullo peccatorum suorum sensu tangerentur, neque accederent ad eum, qui ipsis peccata condonare poterat. Quare illo purgato, hi in suis derelicti sunt peccatis, sicut et Dominus ad eos locutus est : » Moriemini « in peccatis vestris[1]. »

VIII. Forte autem quispiam adversabitur nostræ sententiæ, ex eo quod dictum est : « Dic populo huic : » nec concessurus est hæc vaticinia ad Salvatoris tempora esse referenda. Etenim si vox, « huic, » pronomen est demonstrativum, nullus autem ex eo populo qui demonstrabatur; auditurus erat Salvatorem, aut ejus intuiturus miracula, qui fieri potest ut illa, « populo huic, » conveniant iis, qui tanto intervallo post prophetam erant victuri? Nos autem ex aliis verbis propheticis solutionem excogitabimus, qua proposita quæstio enodanda facile sit. Dictum est enim in aliquo e duodecim prophetis : « Popule meus quid feci tibi, aut quid te » contristavi, aut in quo molestus fui tibi? Responde » mihi. Quia eduxi te de terra Ægypti, et de domo » servitutis redemi te, et misi ante te Mosem, et Aaron

[1] Joan. VIII, 21.

» et Mariam[1]. » Quemadmodum enim tunc populus qui prophetæ ætate vivebat, non vidit Ægyptum, nec deductus est a prius memoratis ducibus, et tamen hoc ei exprobratur, quod horum beneficiorum sit immemor: ita et nunc ostenditur quidem cœtus populi, qui ætate prophetæ vivebat, sed tamen ea quæ ipse vaticinatus est; tempore illo quo Dominus apparuit, evenere. Quinetiam id in more positum est, ut hæc loquendi ratio usurpetur, quam nonnulli solent variantem appellare. Exempli causa, cum unum et eumdem chorum ex certo quodam virorum numero constantem animo sibi repræsentant; uno mox exeunte, et altero illius locum replente, idem chorus dicitur permanere. Quanquam autem alter, aut etiam tertius egrediatur, idque crebrius accidat, et alius quispiam in uniuscujusque locum introducatur; mutato paulatim choro, singuli quidem commutati sunt, et tamen chorus eamdem servat appellationem. Hunc ad modum et civitas eadem, et exercitus idem esse dicitur, non quod singuli permaneant, sed quod cœtus nomen idem servet. Pari ratione nihil prohibet etiam nunc populum qui vivente Esaïa demonstrative conspiciebatur, eumdem etiam fuisse qui Domini tempore fuit, non quod singuli superstites fuerint, sed quod commune gentis nomen permanserit.

IX. « Et dixi, quousque Domine? Et dixit: donec » desolentur civitates, eo quod non habitentur, et » domus, eo quod non sint homines: et terra derelin- » quetur deserta[2]. Et post elongabit Deus homines, et » qui relicti fuerint, multiplicabuntur super terram[3]. » Et adhuc in ea est decimatio: et rursum erit in direp- » tionem sicut terebinthus, et sicut balanus, quando » exciderit e theca sua Semen sanctum, fulcimentum

[1] Mich. VI, 3. — [2] Esaï. VI, 11. — [3] Ibid. 12.

» ejus[1]. » Quandoquidem quæ a Domino exposita sunt Esaïæ, tristia erant ac molesta; ratus judicium illud inexorabile esse, nec vitari posse, quantum certe abesset ab eo tempore, quo isthæc ipsis mulcta esset infligenda, edoceri postulat. Cæterum hæc clare pertinent ad imperii Romani tempora. Postquam enim non audierunt Domini verba, nolueruntque ejus miracula viribus humanis majora oculis benevolis intueri, desolatæ sunt urbes, quod non habitarentur, et domus, quod non essent homines, et terra relicta est deserta, habitatoribus fame, exilio, et captivitate interemptis. Quod autem subjungitur, « Post hæc elongabit Deus homines, » id mea sententia refertur ad abalienationem Judæorum a Deo, quibus ex parte contigit cæcitas, ut gentium intraret plenitudo[2]. « Sed et qui, inquit, relicti fuerint mul- » tiplicabuntur. » Quinam igitur hi sunt? An ii, de quibus Apostolus dixit : « Reliquiæ secundum electionem » gratiæ factæ sunt[3] : » qui etiam multiplicabuntur super terram, ut inveniantur qui deinceps per omnem terram evangelium Christi ediscant? Etsi enim id quod omnis Israël inquirit, consecutus non est, at certe consecuta est electio eorum[4], de quibus dicit Eliæ : « Reliqui » mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt » genua ante Baal[5]. » Hi igitur, sunt de quibus dictum est : « Et adhuc in ea erit decimatio. » Illud autem, » Et rursus erit in direptionem, sicut terebinthus, et » sicut balanus, quando exciderit e theca sua; » ostendit, uti arbitror, Judaicos ritus in Evangelicum institutum esse paulatim immutandos. Illi enim sunt iterum ad populationem congregandi, sicut colligitur terebinthi fructus, et sicut balanus jam ad collectionem matura.

1 Esaï. VI, 13. — 2 Rom. XI, 25. — 3 Ibid. 5. — 4 Ibid. 7. — 5 3 Reg. XIX, 18 et Rom. XI, 4.

Tunc enim exsolvitur thecæ suæ vinculo, utpote jam progressu temporis concocta, et ad suam perfectionem perducta. Sed etiam fortasse, propterea quod a regione Judaica exciderint, fuerintque dispersi, glandi e sua theca decidenti comparantnr. Illud autem, « Semen sanctum « fulcimentum ejus, » e Theodotionis interpretatione adjicitur, nec reperitur apud Septuaginta; sed tamen, quod ad eorum quæ prius tradita sunt seriem spectat, sensum habet memoratu dignum. Colliguntur enim hi sicut terebinthus, et sicut balanus tum, cum per suam stabilitatem constantiamque semen sanctum fiunt. Cæterum hic pariter ac in multis Scripturæ locis, finis eorum qui pœnis, beneficii loco, afficiuntur, utilis esse ostenditur. « Percutiam enim, inquit, et ego sanabo[1]. » Et ipse mœrore conficit : ac rursus recreat. Qui igitur prius auditu audiebant, nec tamen intelligebant, et ea quæ sequuntur, patrabant, eoque res adducebant ut civitates non habitarentur, quique sic dispergebantur ut vix decima populi pars superstes esset ac salva; ii multiplicabuntur iterum, suntque fructum rursus edituri, perinde ac terebinthus et glans, semen sanctum proferentes, propterea quod firmi steterint et stabiles, nec fuerint transmoti, imo vero in caritate radices egerint.

[1] Deut. XXXII, 39.

ANNOTATIONES.

ANNOTATIO (1) pag. 22.

Respicit Basilius ad vers. 20 Actorum c. VII : *Et erat gratus, Deo :* Auctor vero Actorum respexerat ad vers. 2 cap. II Exodi : *Videntes autem eum elegantem occultaverunt eum.* Combefisius verba Basilii sic interpretatur : *a Deo testimonium habens, quod elegans :* sed mihi persuadere non queo ejus interpretationem cuiquam probatum iri. Etenim ut locum haberet interpretatio Combefisii, sic debuisset loqui Basilius ὁ παρὰ τοῦ θεοῦ μαρτυρηθεὶς ἀστεῖος εἶναι, *a Deo testimonium habens, quod* etc. non autem scripsisset, ὁ μαρτυρηθεὶς ἀστεῖος εἶναι παρὰ τῷ θεῷ : adeo ut illud, παρὰ τῷ θεῷ, clare et evidenter ad vocem ἀστεῖος, non ad vocem μαρτυρηθεὶς referri debeat. Melius igitur ita interpretabere : *Testimonium* [*a Scriptura*] *habens, quod gratus esset Deo,* sive *apud Deum.* Cæterum nemini modo paulum humaniori ignotum est hebraismum esse, quo in significatione præstantiæ atque dignitatis uti solebant. (Ita Julianus Garnerius.)

ANNOTATIO (2) pag. 45.

Quamvis hic ita Basilius loqui videatur de Angelorum existentia ante mundi creationem, ut dubitet, vel ex suppositione de iis agat : tamen homilia I disertis verbis et sine dubitatione asserit in lumine creatos fuisse beatarum mentium ordines. Quo factum est ut hæc in suam quæstionem sextam inserere non dubitaverit Theodoretus, postquam dixerat quæstione tertia : *Hoc autem concesso, si quis angelorum turbas ante cœlum et terram conditas esse dixerit non offendet verbum pietatis :* et hæc fuit pene communis Græcorum Patrum sententia : sed alteram, quæ sancti Augustini est, fere omnes qui post Augustinum latine scripserunt, sequuntur.

ANNOTATIO (3) pag. 65.

In confesso est apud omnes tum antiquos, tum recentiores, hîc coargui Origenem.

ANNOTATIO (4) pag. 103.

Videtur Basilius confudisse versum 31 capitis II Joëlis cum versu 29 capitis XXIV Matthæi. Qua de re ut cuique existimare liceat, utriusque verba proferam. Joëlis igitur hæc sunt: ὁ ἥλιος μεταςραφήσεται ἐις σκότος, καὶ ἡ σελήνη ἐις αἷμα, *Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem.* Apud Matthæum vero sic legitur: ὁ ἥλιος σκοτισθήσεται, καὶ ἡ σελήνη ὀυ δώσει τὸ φεγγος ἀυτῆς. *Sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum.*

ANNOTATIO (5) pag. 133.

Libuit, quod non suppeterent verba latina, sic vertere *schizopteras etc.* Aves autem schizopteræ, eæ dicuntur, quæ habent pennam discretam, alas fissas. Dermoteras eas vocamus, quibus cutis pro pennis est. Ptilotæ eæ intelliguntur, quæ sicca membrana volant. Denique coleopteras appellare solent eas quarum pennæ vagina continentur. Quod hic scriptum invenimus de coleopteris, id non probatur Petro Petito. Igitur lib. IV Miscellanearum observationum cap. XXVI loquitur hoc modo: *Hujus itaque volatilium secundum alarum differentias divisionis, cætera quidem bene, et ex Aristotelis sententia, unde accepit: sed in voce* κουλεόπτερα *non mediocriter hallucinatus videtur, cum putat significari hoc nomine insectorum illud genus, quæ involucris quibusdam concepta et fota ad aliquod tempus, postmodum putamine disrupto evolant: ut de cicadis Lucretius memorat lib.* V:

Folliculos ut nunc teretes æstate cicadæ
Linquunt sponte sua, victum vitamque petentes.

Plane id verba hæc Basilii sonant: ὅσα ἐν θήκαις τισὶ καὶ περιβολαῖς γεννηθέντα περιῤῥαγέντος, etc. *quibus, quæ proprie* κουλεόπτερα *dicantur, explicat. At falso et præter mentem Aristotelis, qui longe diverso sensu id nomen usurpat. Non enim ab iis folliculis* κουλεόπτερα *vult dici, sed ab* ἐλύτροις, *vaginis, quibus alæ eorum*

muniuntur. Nam Græcis κουλεόν *vagina est. Unde Theodorus eas volucres* vaginipennes *latine vertit. Ita enim Græcum nomen* κουλεόπτερον *sane non infeliciter expressit. Alarum proinde hæc differentia est et proprietas, non loci in quo fit generatio. Quod ipsa divisio Aristotelis indicat qua ex alarum differentiis volucrum differentias venatur lib.* 1, *cap.* v, *etc.*

ANNOTATIO (6) pag. 155.

Hic verba græca ita reddita sunt a veteri interprete ut dicas elephantem idcirco tot annorum spatio vivere, quod pedes habeat compactos, nec articulis ullis distinctos. Sed ea non est verborum Basilii sententia. Hoc autem dicit, inde constare pedes elephantis compingi, et articulis destitui, quod elephas tanto temporis spatio vivat. Putabat enim futurum fuisse, ut tantæ molis animal non potuisset stare et consistere, nisi pedes ejus articulis caruissent, sed statim suo ipsius pondere ruiturum. Ita quidem sensisse Basilium arbitror : neque tamen continuo velim hanc opinionem pro vera haberi. Probe enim scio gravissimum Patrem, cui res ejusmodi diligenter expendere non vacabat, eas quæ sua ætate vigebant opiniones non raro in his libris incautius secutum esse.

ANNOTATIO (7) pag. 212.

Scriptor non ipsa Scripturæ verba retulit : ea si quispiam videre cupit, Jobum legat XXXIX, 9 et 10. Aquila pro μονόκερως scripsit ῥινόκερως. Unde Vulgata : *Numquid volet rhinoceros servire tibi... Numquid alligabis rhinocerota?* Aliqua hoc loco redundare in editione Veneta monet vir doctissimus Ducæus.

CONCORDANTIA

BIBLIOTHECÆ LATINÆ CUM GALLICA.

HOMILIÆ IN HEXAEMERON.

BIBLIOTHECA LATINA.	BIBLIOTHECA GALLICA.
Homilia I, p. 20.	Ejusdem fragmenta longiora, t. VII, p. 79-86.
Homilia II, p. 37.	Ejusdem fragmenta, p. 86-95.
Homilia III, p. 52.	Ejusdem fragmenta, p. 95-98.
Homilia IV, p. 68.	Ejusdem fragmenta, p. 98-103.
Homilia V, p. 80.	Ejusdem fragmenta, p. 103-112.
Homilia VI, p. 96.	Ejusdem fragmenta, 113-120.
Homilia VII, p. 117.	Ejusdem fragmenta, 120-124.
Homilia VIII, p. 129.	Ejusdem fragmenta, p. 124-129.
Homilia IX, p. 145.	Ejusdem fragmenta, 129-133.

Sequuntur in Bibliotheca Gallica Homiliæ duæ de structura Hominis, et de Paradiso una, quæ utpote non authenticæ in latina consulto omittuntur.

HOMILIÆ IN PSALMOS.

Homilia in psalmum I, p. 161.	Ejusdem fragmenta, t. VII, p. 148-157.
Homilia in psalmum VII, p. 174.	Ejusdem fragmenta, p. 158-160.
Homilia in partem psal. XIV, p. 190	Ejusdem fragmenta, p. 160-169.
Homilia in psalmum XXVIII, p. 201.	Ejusdem fragmenta, p. 170-172.
Homilia in psalmum XXXII, p. 231.	Ejusdem fragmenta, p. 172-174.
Homilia in psalmum XXXIII, p. 249	Ejusdem fragmenta, p. 175-179.
Homilia in psalmum XLIV, p. 275.	Ejusdem fragmentum, p. 179-180.
Homilia in psalmum XLVIII, p. 306.	Ejusdem fragmentum, p. 180-182.
Homilia in psalmum LIX, p. 326.	Ejusdem fragmentum, p. 181.
Homilia in psalmum CXIV, p. 343.	Ejusdem fragmenta, p. 182-185.

COMMENTARIUM IN ESAÏAM.

Caput I ad VI, p. 360.	Ejusdem fragmenta, t. VII, p. 185-188.

INDEX

TOMI QUADRAGESIMI SECUNDI.